Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZ.
Vittorio Emanuele III
XXV
C
20
NAPOLI

Digitized by Google

Digitized by Google

XXV
C
20

Digitized by Google

Digitized by Google

IOANNIS BODINI, ANDEGAVENSIS,

DE MAGORVM DÆMONOMANIA, SEV DETESTANDO Lamiarum ac Magorum cum Satana commercio,

LIBRI IV.

RECENS RECOGNITI, ET MVLTIS in locis à mendis repurgati.

ACCESSIT EIVSDEM OPINIONVM IOANNIS Wieri confutatio, non minus docta quam pia.



FRANCOFVRTI,

Typis Wolffgangi Richteri, impenſis omnium hæredum Nicolai Baſſæi.

M. DC III.

BIBLIOTECA NAZIONALE V. EMANUELE III

Digitized by Google

CLARISSIMO VIRO ET DOMINO CONSVLTISSIMO, D.

Chriſtophoro Thullenſi, Equiti, Domino Cæliano, primo Præſidi Pariſienſis Parlamenti, & Conſiliario in priuato conſilio Regis.

QVOD tibi, Clariſſime vir, hoc munus exhibeo, non ideo facio, vt mea erga te obligatione ſolutus ſim, ſed potius vt hoc documento teſtatum faciam, quantum in ſumma illa Iuſtitiæ ſchola, cuius tu caput es, & in qua optimam meæ ætatis conſumpſi partem, didicerim: vbi melius quam vſquam alibi vera legum iuriſque peritia, & iuſtus deciſionum, quas omnes à ſeculo Doctores tradiderunt, vſus videtur, auditur, atque cognoſcitur ex principum, qui in Europa ſunt, oratorum concertationibus, ſummorum Iurecoſſ. collationibus, ſententiiſque optimorum iudicum: quibus plane modis germana iuſtitiæ ſpecies velut meridiana luce aperitur, cum voluptate eorum & vtilitate incredibili, qui ita

diſcunt narrare docte, ſapienter expendere & ſublimes quæſtiones iuris in ſingulis cauſis argute ſoluere cum in hoc aut in illo foro, tum in toto conſeſſu Iudicum & cauſidicorum illius Parlamenti, omnium quæ Sol in omnibus orbis terrarum imperiis & Rebuſpubl. viderit illuſtriſſimi. Nam in eo demum vera prudentia (quam optime ducem lucemque humanæ vitæ appellaueris) perdiſcitur, quum digito commonſtrantur & oculis tanquam in excelſo theatro ſpectandæ proponuntur actiones abſtruſiſſimæ, πραξικοπίαι, arteſque hominum vel aſtutiſſimorum, quas nulla hominis vita (vt fuerit longiſſima omneſque terras peragrauerit) fuiſſet compertura. Et quamquam in eleganti illo Iuſtitiæ templo ſpectatiſſimus eſt ſplendor atque amplitudo ſingularum ipſius partium, refulget tamen in capite ipſius maxime: vt quod alios ad tantum honoris faſtigium prouectos ſuperauerit literaturæ humanæ ſcientia, infinita memoria hiſtoriarum omnium, & diligentia ad iudicandas partium lites incredibili, quæ certiſſima ſingulorum Iuriſprudentiæ capitum peritia coniunctæ ſunt. Hęc autem non eo dico, vir clariſſime, vt decantem laudes tuas, cum iam in alio argumento verſer: Etſi lex ait, Præſidem prouinciæ non grauate ſuas laudes audire oportere, & plurimum quoque intereſt Reipubl. vt veræ illuſtrium virorum laudes paſſim exarentur incidanturque ad horum exemplum, illorum incitamentum, & imita-

imitationem omnium: cum alioqui eorum honor, qui virtutem colunt, minime flagitet, vt ad illuſtrationem ſui laudibus extollatur. Atque hoc quidem ipſum de te fuiſſem facturus, cùm quia me honoris leges religioque obſtringunt propter ſingularia tua in me beneficia, (officia enim cur dixerim? quæ apud te non ſum promeritus) tum quia bonos omneis, qui literas humaniores colunt, ſingulari ſtudio ſemper proſequutus es. Sed hoc in alium locum reiicio, & dignius argumentum. Mihi ſatis eſt in præſentia, ſi munuſculum hoc tibi obtulero: quod ſi grato animo acceperis, confido, ſi quis adhuc mihi reſtabit maleuolus, eum maiore ſaltem vſurum cautione atq; prudentia, quam ille nuper vſus eſt, (nomen reticeo, vt honori ipſius conſulam) qui libellum ſuum contra libros de Republica à me in lucem editos dicauit Regi. Nam ſimulatque animaduertit Rex hominis calumnias, in vincula rapi iuſſit, decretum ſubſcripſit manu ſua, & pœna capitali indicta cauit ne venumdarentur libri. Euaſit tamen hac lege, vt honorem quem ſublaturum putabat redderet: qui homo ſi iudicio magis valuiſſet, par ſupplicium fuiſſet meritus, ac olim de pari munere à Ptolemæo Philadelpho Ægypti Rege Zoilus reportauit. Equidem ſpero, neminem contra hoc opus ſcriptum eſſe, niſi qui Magus ſit patronus cauſæ ſuæ: quem ego ſi percepero, verbum illud DVBITO, quod in permultis huius regni partibus magna vo-

ce aduerſus homines Magicarum artium ſuſpectos ſine alia contumeliæ formula procul exclamari ſolet ad amolienda ipſorum carmina & maleficia, illud, inquam, verbum in eum hominem adhibebo. Laoduno, 20. Decembr. M. D. LXXIX.

Tuus humilimus ſtudioſiſſimusq́; ſeruus Ioannes Bodinus.

IOAN-

IOANNIS BODINI IN LIBROS DE MAGORVM DÆMONOMANIA

PRÆFATIO.

IVDICIVM *contra Magam mulierem latum, ad quod vocatus fueram pridie Calend. Maias 1578. mihi occaſionem ſcribendi præbuit, vt argumentum de Magis, quod omnibus ſumme admirabile, non paucis incredibile videtur, illuſtrarem. Iſtius Magæ nomen erat Ioanna Haruilleria Verberij ad Compendienſes nata, necis multis hominibus pecoribusq; oblatæ accuſata: quod maleficium etſi primo negabat pertinaciſſime, poſt ſermones tamen ſubinde commutatos animi nutantis indices ſine quæſtione & equuleo confeſſa eſt. Agnouit quoque, ſe diabolo (qui ſpecie hominis atri apparebat ſtaturam humanam excedentis atrisq; veſtibus induti) inde à duodecimo ſuæ ætatis anno fuiſſe oblatam à matre dicente, ſe cum primum nata eſſet filia, eam illi quem nominabat diabolum ſpopondiſſe: illum promiſiſſe, optima fide curaturum eſſe ſe & beaturum filiam: ipſam ex illo tempore Deo renuntiaſſe, operamque diabolo addixiſſe, rem cum illo iam tum habuiſſe, & exinde ad ætatem vſque illam, qua capta fuerat, (erat autem fer-*

me quinquagenaria) in eo conſortio perrexiſſe. Addidit præterea, diabolum ſe cum ipſa annueret, ilico ſiſtere eodem amictu & ſpecie, qua primum ſe exhibuerat, ocreatum, inſtructum calcaribus, accinctum gladio, equo præ foribus exſpectante, quem equum nemo præter ipſam animaduerteret: eumq; interdum ita rem cum ipſa habuiſſe, vt maritus ipſi ad latus cubans nihil perciperet. Quamuis autem ex communi ſermone omnium pro infami Saga haberetur, ruſticiq; ægre impediri poſſent, ne ipſam tradendam igni manibus Iudicum adimerent: (grauiter enim metuebant, ne mulier iſta effugeret.) Antequam tamen ad ferendam capitis ſententiam veniretur, Conſilio placuit, in natalem illius pagum Verberium mitti, & in vicos alios, in quibus habitauerat, vt de illius vita amplius cognoſceretur. Itaque compertum eſt, illam ex eodem crimine ante annos triginta virgis fuiſſe cæſam, & matrem igni damnatam ex Areſto Curiæ Parlamenti ſententiam Iudicis Sanliſiani confirmante: nomen ſuum ſedemque tegendis facinoribus mutare ſolitam, vbique tamen magicarum ſortium conuictam eſſe. Quapropter videns illa ſe teneri maleficij, dari veniam ſibi poſtulauit, & rerum geſtarum ſe finxit pœnitere, licet maleficia quamplurima à ſe perpetrata, quæ ante confeſſa fuerat, pernegaret. In poſtremi tamen homicidij quod commiſerat confeſſione perſtitit, ſe pulueres quoſdam à diabolo præparatos in eum locum inieciſſe, qua tranſiturus fuerat is, qui filiam ipſius pulſauerat: alterum verò quem non oderat illac tranſeuntem acerbo dolore per totum corpus illicò affectum eſſe: Cùm autem vicini omnes qui in

illum

illum ſortium coniectarum locum ingreſſam viderāt, hominem animaduerterent tam repente cum morbo conflictari, eos inclamaſſe ſuiſſe magicas ſortes ab ea immiſſas: ideoq́, ſanitatem eius ſpopondiſſe, & durante morbo languentem hominem curauiſſe. Adhæc confeſſa eſt ſe die Mercurij antequàm prehenderetur orauiſſe diabolum, vt decumbenti homini reſtitueret valetudinem, quo renuente & negante poſſe fieri, ſe cum diabolo expoſtulaſſe quòd ſemper ipſam falleret, atque mandauiſſe ne ſe ampliùs inuiſeret: reſpondiſſe diabolum ſe deinceps non eſſe venturum, & biduo pòſt hominem exſtinctum eſſe: itaque ſe confeſtim in arcam illam vbi comprehenſa eſt abdidiſſe. Qui conſilio aderāt, dignam quidem morte eſſe iudicabant omnes: ſed quidam natura mitior & procliuior ad miſericordiam ſatis arbitrabatur fore ſi vitam finiret laqueo: alij verò cùm deteſtabilia maleficæ iſtius crimina, tum ſupplicia æquè diuinis ac humanis legibus inſtituta expēdentes, vniuerſamq́, totius Chriſtiani orbis conſuetudinem iam olim in florentiſſimo hoc regno obſeruatam, cenſuerunt damnari & viuam igne cremari oportere: quæ ſententia lata & ſine prouocatione pridie Calend. Maias effecta eſt, inſtante D. Claudio Dofæo Regis apud Ribemontium procuratore. Pronuntiata condemnatione, eadem confeſſa eſt ſe à diabolo in Magarum cœtus exportatam eſſe, poſtquàm certis pinguibus ab eo traditis delibuta eſſet, & tanta leuitate tam procul agitatam vt defeſſa planè & quaſi confecta ex labore eſſet: in illis cœtibus permagnam hominum turbam vidiſſe, atrum hominem in excelſo poſitum, trigenarium fermè, quem vocabant Belzebub, adorantium,

deinde verò inter ſe coeuntium: hoc facto Principem concionem apud ipſos habere vt fidem in ipſum habeãt, ſe vlturũ inimicos omneis ipſorum, & ipſos deniq; beaturum. Rogata an non daretur pecunia, reſpondit non dari: & opilionem quemdam imbricariumq; tectorem Genliſianum magicæ artis incuſauit, confeſſaq; reſipuit à peccatis ſuis & veniam à Deo poſtulauit. Nobis autem placuit librum hunc componere, quem Dæmonomaniam Magorum inſcripſimus à furore manico, quo diabolos miſeri proſequuntur, vt omneis qui ipſum viderint commonefaciat, & quaſi digito ſpectandum ante oculos monſtret, nulla eſſe crimina quorum tam horrenda ſit conſtitutio, quæ tam graues pœnas mereantur, aut quæ ad hæc proximè videãtur accedere: præterea vt iis reſpondeam qui modis omnibus in illud incumbunt, vt libris palàm tueantur magos, adeò vt Satanas eos inſpiraſſe promulgandis tam bellis libris & in ſuam naſſam videatur perduxiſſe. Talis fuit Petrus de Apono medicus, qui perſuadere volebat nullos eſſe ſpiritus, cùm tamen poſteà fuerit comprobatum eum fuiſſe Magorum omnium quos habebat Italia facilè principem. Sed ne cui mirum videatur quod dico, homines exiſtere à Satana ſubornatos, qui ſcribant, propalent, doceantq; id omne quod de Magis prædicatur fabuloſum eſſe, memorabile exemplum afferam, quod Petrus Mamorius in libello de Lamiis, de M. Guilhelmo Linenſi Doctore Theologiæ annotauit accuſato Magicarum artium condemnatoq; duodecimo die Decembris 1453. Hic ergo cùm reſipiſcentia tandem afficeretur, confeſſus eſt ſe per noctem cum Magis aliis perſæpe deportatum eſſe, vt diabolum adoraret modò humana ſpecie, modò

odò hircina conſpicuum, & religioni toti renuntiaſſe. uinetiam penes ipſum inſtrumentum obligationis cõ-actæ cum Satana fuit deprehẽſum, quo ſpõſiones re-iproca continebãtur: inter alias autem hæc, Doctorem ligatum eſſe vt publicè cõcionetur quicquid de Magis adicetur fabulã eſſe, non poſſe fieri, nullam fidem ſer-monibus iſtis haberi oportere: atque his concionibus au-ebatur mirum in modum Magorũ numerus & ſe con-rmabat, dum ab illis perſequendis ceſſarent Iudices. inc certè apparet Satanæ ex omnibus ordinibus & nditione qualibet ſuos eſſe fideles adminiſtros: quem-dmodum Cardinalis Beno, Platinaq; ſcripſerũt com-lures eſſe Papas, Cæſares, & alios Principes viros, qui à Magis ineſcari paſſi ſunt, tandemq; miſerrimè à atana deturbari: & Toleti quoq; (vbi Magorum ſcho-habebatur olim) nunquam exiſtimaſſet quiſquam s homines eiuſdem criminis affines eſſe, qui effuſè ri-ebant ſi quando quæſtio de Magis haberetur, totius co-næ riſum ſuis vrbanis dictis ſalibusq; commouebant, nſtanter affirmabant fabulas eſſe, ἀδύνατα, itaq; angebãt & mitigabant Iudicũ animos vt magi omnes aderent: prout nuper Alciatus fecit, Inquiſitoris of-nſus facto: quòd in Pedemontana regione Magos am-lius centum comburi curauiſſet. Queritur Bartholo-æus Fayus quæſtionum Curialium Præſes in ſuis ope-ibus, quod conniuentes multi Iudices non fuerint auſi agos igni addicere, vt Parlamentum omnibus ſeculis aliæ gentes quælibet factitarunt, id cauſam maximis alamitatibus quas Deus immiſit attuliſſe. D. verò uentonius Conſil. in Parlam. Pictonum præſes deinde ctus (cui in Pictonicis honoribus ſucceſſit Saluertus)

Magos

Magos 4. viuos Pictauij cremari iuſsit anno 1564. neglecta ipſorum prouocatione, affirmans indignè factum quòd aliquot Magi antè ad prouocationem ipſorum fuiſſent abſoluti; qui ex eo tempore totam regionem contaminauerint, populumq; ſeditionibus mouendis excitatum inflammauerint: Etſi multa homicidia carminibus ſuis ſortibusq; cōmiſſa fatebantur, ideoq; iudicatum in ipſis (vt lege damnatis) iubebat fieri nihil obſtāte appellatione, quia plus eſt, ait lex, occidere veneno quàm gladio. Ac Magorum quidē impunitas quæ fuit illis temporibus, admirabile ipſis in regno hoc attulit incrementum, quò omni ex parte confluxerūt, Italiaq; maximè: inter quos Neapolitanus quidam exiſtit Conſeruator dictus, Magorum princeps, & rebus geſtis plus ſatis celebratus. Ex eo verò tempore ita perrexerunt, vt Cenomannus ille Magus Triſcalanus, cùm iudicio capitali in ipſum lato veniam hac lege impetraſſet ſi indicaret conſcios, dixit in hoc regno ſupra cētum millia Magorum eſſe, idq; fortaſſe falsò, vt impietatem ſuam tanta comitatus frequentia eleuaret. Quocunque modo res habeat, non mediocrem numerū indicauit: ſed huic rei tam bene prouiſum eſt vt plerique omnes euaſerint, licet confiterentur execrāda ſcelera quibus Cœlum ipſum inficitur, & quibus exacerbatus Deus ſummiſit terribiles perſequutiones, prout lege comminatus fuerat ſe eos populos exterminaturum qui Magis vitam permitterent. Quamobrem Auguſtinus in libris de ciuitate Dei teſtatur omnes ſectas, quæcunque tandem fuerint, ſupplicia in Magos decreuiſſe. Epicureos ſolùm excipio, quos Plutarchus in libro de Oraculorum defectu, & Origenes contra Celſum Epicureum

[Margin: l. 1. C. de maleſic.]

[Margin: Leuit. 20.]

reum ſcribens refellerunt, eosq́ ſequuti Academici, Iamblichus, Porphyrius, Proclus, familiæ Epicuorum fundamenta euerterunt. Etſi iam ſatis Ariteles Metaphyſicis ſuis principiis ea conuellerat neſaria, concludens argumentatione totidem cœlos eſſe ot ſunt intelligentiæ mouendis cœlis, aut intelligen- ſpiritus: has autem intelligentias à corporibus ſeratas eſſe: Angelosq́ ita moueri in cœleſti motu, vt ima hominis in humano motu. Ex quibus verbis deonſtratur planè quæſtionem de Angelis dæmonibusq́ yſicè tractari non poſſe, eosq́ non mediocriter falli i negant poſſe id nunquam fieri quòd eſt natura ἀδύνατον. Nam tactus, motus, & locus (ſi Phyſicè eris) corpori ſolùm conueniunt, idq́ in corpore: vemtamen ex rei veritate (quæ ſibi ſemper & vbiq́ nſtat) de tactu quoque, motu, & loco fatendum eos ſpiritibus æquè ac corporibus conuenire: quod iſtoteles de Angelis aut intelligentiis cœlos mouenus in Metaphyſicis demonſtrauit. Quamquam Plurch. & Apuleius teſtes ſunt Ariſtotelem ſcripſiſſe od nuſquam in libris qui ad manus noſtras peruenerunt offenderis (amplius enim dimidia parte deleratur de ſcriptis illius) mirari Pythagoricos ſi qui mo inter mortales exſtet qui nunquam Dæmonem gnouerit. Idemq́ Ariſtoteles Thaſium quendam à viſum narrat, cui indeſinenter ſpiritus ſpecie huma- ad hærebat, quam nemo alius quàm ipſe cerneret: c autem Magorum omnium commune eſt. Et nuper iam Franciſcus Picus Mirandulanus Princeps à ſe ôs fuiſſe ſcribit Magos Sacerdotes duos, quibus duo phialtæ muliebri ſpecie comites aderant, eosq́ amplius

Ariſt. lib. 4. & 6. φυσικῆς ἀκροάς.

Metaphyſ. lib. 8.

Plutarch. lib. de Dæmon. Socratis.

Apul. lib. de Dæmon. Socrat.

libro περὶ θαυμασίων ἀκουσμάτων.

plius quadraginta annis ad muliebre conſortium ſuccubis iſtis abuſos eſſe: prout antè confeſſi ſunt quàm traderentur igni, & nos ſuo loco oſtendemus. Ibidem quoque ſcribit Ariſtoteles Æolidum inſularum vnam admirabilibus tympanorum cymbalorumq́ ſonis & cachinnationibus perſonare nemine comparente: quod etiam non rarò in locis compluribus ad Septentrionem fieri narrauit Olaus, & in Atlante monte Plinius Solinusq́ teſtantur. Hi autem ſunt Magorum cœtus & ſaltationes cum ſpiritibus impuris ordinariæ, vt quæſtionibus innumeris fuit confirmatum. Eodem libro ait Ariſtoteles Tenæ in Theſſalia fuiſſe Sagam, quæ conceptis verbis circulisq́ ductis baſiliſcum incantabat: quæ efficacitas non à natura eſt, vt ſuo loco demonſtrabimus, ſed à vi & facultate ſpirituum: qui ſpiritus (Aquinas inquit) non poſſent facere actiones inſolentes illas quæ cernuntur oculis, niſi in loco eſſent vbi ſuas actiones exhibent. Abſurdum enim profectò fuerit, ſi Angelis mouentibus Cœlos à quibus ſeparati ſunt tactum locum motumq́ tribueris, quod Peripatetici omnes, Academici, & Stoicum Hebræis & Arabibus ſtatuerunt: ſpiritibus verò per elementa fuſis eaſdem proprietates ademeris. Hæc autem eò pertinēt, vt non ij ſolùm informentur qui credunt vnum eſſe Deum, & plures intelligentias (quæ duo ab Ariſtotele demonſtrata vniuerſa Scriptura ſacra confirmauit) ſed vt aliorum quoque barda & torpentia ingenia reuincātur. Etſi non eſt propterea ſingularum actionum quas Dæmonum intellectus parit reddenda ratio, quod nemo homo praſtare poteſt: nam quiſquis rationem omnium rerū explicare poſſet, is Deo qui nouit omnia, foret

lib. 6. Phyſic. & 8. Metaphyſic.

ſoret perſimilis. Quemadmodum autem Deus ita vt eſt à nemine cognoſci aut comprehendi poteſt, niſi idē qui ſic cognoſcit & comprehendit ſit Deus: quia non poteſt is qui eſſentia, poteſtate, amplitudine, æternitate, ſapientia, & bonitate infinitus eſt ab alio cōprehendi, quàm qui fuerit infinitus, infinitum autem nihil eſt niſi vnus Deus: ita etiam confiteamur neceſſe eſt Deum ſolum poſſe rationes rerum omnium exponere. Infinitate enim ſcientiæ opus eſt, quæ neque in hominibus, neque in angelis, neque in re vlla creata poteſt ſubſiſtere. Ideoq; Ariſtoteles Methaphyſicorum primo de ſpiritibus agens intelligentibus fatetur eam eſſe humanæ mentis imbecillitatem vt cognoſcere nequeat veritatem, eoque pacto καθόλου cernit ignorantiam omnium, nec videt ἐν μέρει ſuam, cùm eodem libro dicat vbi non eſt ratio ibi non eſſe inueſtigandam rationem. Hæc illius verba, quæ Plinius libro 37. lib. 4. 6. & 7. Metaphyſic. *naturalis hiſtoriæ capite quarto imitatur dicens: Non vlla in parte ratio, ſed voluntas naturæ quærenda. Indignum verò ſermonem philoſopho, eorum quæ videntur cauſas ſi ignorabuntur negari potius, quam ignorationem humanam profiteri. Atqui laus nūquam maior Deo tribuitur quàm ſi propriam ignorationem fateamur: contrà verò iniuriam Deo facimus niſi tenuitatem ingenij noſtri agnoſcimus. Quamobrem poſt omnes ſermones à Iobo & amicis vltro citroq; habitos, factaq; Dei in diſceptationem reuocata, cùm veritatem ſibi videretur attigiſſe, Deus viſione apparens effari cœpit in hanc ſententiam: Quis ille ignarus homo eſt qui ſermonibus ſuis inanibus obſcurat opera excelſi? tum de cœlorum altitudine agens, magnitudine, &*

motu

Digitized by Google

motu admirabili, de vi aſtrorum, de Cœli in terram legibus, de terra aquis innitente, de aquis in medio mundo pendentibus, aliiſq; miraculis quæ ante omnium oculos verſantur, ſcientiam humanam docet ignorantia abundare. Multi ſcientiæ primas tribuunt Ariſtoteli, quem certè multa nouiſſe conſtat, ſed ne milleſimam quidem partem rerum naturalium tenuiſſe. Etenim Hebræi omnes philoſophi & Academici oſtenderũt eum nihil vidiſſe ἐν τοῖς νοητοῖς, & naturalium quoq; pulcherrimas non paucas ignoraſſe. Verbi gratia, ne Cœlorum quidem cognouit numerum in Scriptura decem aulæis tabernaculi (quo figurabatur mundus) adumbratum, & his verbis expreſſum: Cœli ſunt opera digitorum tuorum: vt tam deni Cœli quàm digiti intelligerentur (alibi enim Scriptura ſemper opera manuum Dei nominauit) quod omnes Philoſ. & Mathematici neſciuerunt donec à Ioan. Realmontano fuit demonſtratum. Imò ne Planetarum quidem ordinem didicit Ariſtoteles, aut vnicũ aſtrorum motum, qui Venerem Mercuriumq; ſupra Solem collocauit, contra quàm à Ptolemæo poſt fuit oſtenſum. Sed ne ad res altas ſemper contendamus, aut ex Ariſtotele veritatem Dæmonum earumve rerum quæ naturã ſuperant ſciſcitemur, bonam rerum naturalium partem videmus ipſi fuiſſe incognitam, vt maris ſalſuginem, quam Mirandulanus Princeps (qui Phœnix ſui temporis dicebatur) ſoli Dei prouidentiæ tribuit. Origo tamen fontium quam ſtatuit Ariſtoteles magis eſt abſona, cum dicit ex putrefacto in terræ ſpecubus meatibuſq; aere progigni fontes: maxima enim & inexhauſtæ ſcaturigines fontes, & perennes riui ſunt, nec totus aer corruptus

R. Maymoni lib. 2. More nebocim.

ruptus qui in mundo eſt centum annorum ſpatio eam aquã generaret, quæ vel vnico die profunditur. Hebræi verò Philoſophi ac imprimis Solomo docuerunt, vt venas humani corporis ab hepate, ſic aquas orbis noſtri à mari proficiſci. Quinetiam ſæpenumero in natura rerum effecta cernuntur præter omnem rationem naturæ conſequentia: vt à niue (quæ aqua glaciata eſt) terram caleſieri ſementémque contra iniuriam gelu conſeruari, à pruina (vt eſt frigidiſſima) torreri ſegetes, & aduri tanquam in furno pampinos: quamobrem Feſtus pruinam à perurendo arbitratur dictam, neque ſcriptura ſancta inter admirabilia Dei opera hanc quoque reticet Pſalmo 147. Qui dat niuem, inquit, ſicut lanam, & pruinam ſicut cinerem ſpargit: quem locum Buchananus ſic interpretatur. Ioan. Picus in poſitione

Qui niuibus celſos operit ceu vellere montes,
Denſas pruinas cineris inſtar diſiicit.

Et Beza,

Qui couure les monts & la plaine
De nege blanche comme laine,
Et qui vient la bruine eſpandre
Tout auſſi menu comme cendre.

Hi verò inſigne illud miraculum non attigerunt: bona autem pars lanarum nigra eſt, & pruinæ cum cineribus nulla interuenit ſimilitudo. Quamobrem non incommodè hoc pacto verteris.

Qui niuibus campos refouet ceu veſte iacentes,
Torret pruina, ardente vt foco, pampinos.

De iride quoque Albertus Ariſtotelis errorem demonſtrauit negantis de nocte conſpici. Hoc enim planè falſum eſt, ac proinde rationem Ariſtotelis vt alie- lib. 1 ſenten. q. 3.

nam à ratione atq; veritate concidere: cùm eodem argumēto ſo et neceſſarium vt nubes omnes vnius coloris eſſēt. Taceo mille naturæ miracula, quorū obſcuræ ſunt adhuc & ignotæ cauſæ: quæ Cardinalem Cuſanum virū ſuis temporibus inſignē, & ante hunc Cardinalem Beſſarionem adduxerūt vt Ariſtotelis doctrinam velut variam, & ambiguam, & incertam perſtringerent. Inter alios verò Cardinalis de Alliaco defendit rationibusq; certis confirmauit, nullam exſtare in Ariſtotele demonſtrationem neceſſariam præter eam, quæ demonſtrauit vnicū eſſe Deum & alias perpaucas quas idē annotat. Æternitatis verò mundi demonſtratio, quam Philoſophorum primus & ſolus Ariſtoteles tuebatur, plena eſt ignorātiæ: quod Plutarchus, Galenus, Stoici, & Academici docuerunt, & ipſi Epicurei ludificati ſunt. Ex Hebræis quoq; Rabbi Maymon, (qui ob præſtantiā doctrinæ aquila magna vocabatur) doctiſſimè oſtendit Ariſtotelis demonſtrationē ἐν τοῖς ἀδυνάτοις reponendā eſſe, itemq; Philoponus libris quatuordecim quos Græcè de eodem argumēto ſcripſit contra Proclum Academicum planè dignos qui donētur ſermone vernaculo. Aquinas deniq; demonſtrationem illam accipi non poſſe argumentis aliis docuit, quæ in præſentia vt annotata alibi præteribimus. Quid verò, quòd ipſe Ariſtoteles ſicubi offendit lacum vnde ſe ipſe nequiuit expedire, tam bellè agit Oedipodem, vt nemo ipſius mētem diuinare poſſit? Demonſtrant illud caput primum Phyſicæ & liber de anima, vbi Scotus inter argutos philoſophos locum non poſtremum obtinens rationes contrarias Ariſtotelis & pugnantes inter ſe annotauit: & quibus alij corruptionem animæ tentarunt eruere, vt Ariſtotelis ipſius tempore

Plut. lib. περὶ τῆς ἐν τῷ τιμαίῳ ψυχογονίας. Galen. lib. de placit. Hippoc. Plut. in Placitis philoſ. Plato in Timæo. Philopon. lib. 14. contra Proclum. Lucret. & Plut. in placit.

lib. 2. more hannebocim.

lib. 2. diſt. 1. q. 3.

lib. de methodo hiſtoriarum. c. 6.

pore Dicæarchus, Atticus Epicureus, Aphrodiſeus, Simō Portius & Pomponatius: alij verò, vt Theophraſtus, Themiſtius, Philoponus, Simplicius, Thomas, & ipſi quoq; Arabes, & Mirandulanus princeps immortalitatē eius confirmarūt. Auerroes enim ex iiſdem locis vnitatem humani intellectus non dubitauit aſſerere. Quibus ex rebus ſtatuimus elegantia naturæ arcana ab Ariſtotele non fuiſſe viſa: quod veteres quoque obſeruauerunt poſt ſignum Ariſtotelis fingētes mulierem velatam facie cui nomen eſt Phyſis, id eſt, natura: atq; hoc pacto innuerunt dignitatem naturæ fuiſſe tectam Ariſtoteli, & veſtem ſolùm externam quodammodo fuiſſe ab eo viſam. Atque hanc ob cauſam præcipitem ſe in mare, vt Procopius, dediſſe dicitur, cùm non potuiſſet inueſtigare cauſam cur reciproco ſluxu Helleſponti fretū mearet per diem remearetq; ſepties. Quod ſi præſtātiſsimi naturæ theſauri nobis ſunt abditi, ecqui tandem eas res quæ ſupra naturam ſunt & in intellectu poſita ꝑtingemus? Ideoq; Heraclitus primus, Plutarcho teſte, & poſt eū Theophraſtus dixit res mūdi pulcherrimas ab arrogantia hominū ignorari: dum nihil ſtatuūt credere niſi humana mens orationē illius perceperit: quo in genere admirabilia Spirituum impurorum Magorumq; facta, quæ humani ingenij aciem & naturaleis cauſas tranſcendunt, meritò numeranda ſunt. Verùm quemadmodum ſtultus & excors, neque iniuria dicendus eſt is qui Cadmiā Magnetemve negauerit impreſſione ſui Boream verſus gnomonem obuertere, quia ignorat cauſam: aut qui fateri noluerit à torpedine retibus incluſa manus primū, dein brachia, tum ipſum piſcatorum corpus totū obtorpere, quia neſcit cauſam:

lib. 4.

ita etiam ſtulti dementesq́; habendi ſunt qui vtut admirabilia Magorum facta ſpirituumque videant, nihil omnino credendum putant, ſiue quia eorumcauſas mente non poſſunt comprehendere, ſiue quia ſunt naturæ lege ἀδύνατα. Nam ipſe Ariſtot. raptus admiratione multarum rerum ignotis cauſis orientium, ait quiſquis id quod videt in dubium reuocauerit, hunc nihil melius quàm cæteri faciant allaturum. Videmus autem Orpheum, qui anteceſſit Chriſtum quaſi mille ducentis annis, deinde Homerum autores è Gentibus antiquiſſimos artes magicas, necromanticas, & carmina quæ hodie in vſu ſunt literarum monumentis tradidiſſe. Videmus in lege Dei quæ amplius ducentis annis antè promulgata eſt quàm Orpheus viueret, Pharaonis Magos opera Dei effinxiſſe: Euocatos ſpiritus à Saga illa Saulis & ſermonem cum eis habitum legimus: Exſtant interdicta Legis à Deo data, ne qui diuinos, magos, pythonas conſulat: vbi recenſentur omnia magiæ diuinationumq́; genera, propter quæ Amorrhæos & Chananæos à ſe fuiſſe exterminatos è terra declarat Deus, & propter quæ Iehu Reginam Ieſabelam præcipitem ex arce datam canibus expoſuit deuorandam. Supplicia quoque in Magos lege xij. tabularum inſtituta exſtant, quas tabulas Legati Romanorum de Græcis legibus deprompſerant: quin acerbiſſima omnium quæ legantur in conſtitutionibus Cæſarum aduerſus Magos decerni legimus, vbi hoſtes naturæ, inimici humani generis, & malefici propter grauiſſima ipſorum crimina appellantur: quibus adde horrendas imprecationes expreſſas legibus, quales imprecationes nuſquam in legibus,

in Ethic. Nicom.

Exod. 6. & 7.
1. Sam. 28.

Leuit. 20. & 21.
Deut. 18.
Ierem. 17. 19. & 50.
Nahum. 3.
2. Reg. 9. & 2. Paral. 33. Eſa. 3. 4. 8. & 47.
Num 23.
2. Reg. 23.

gibus, niſi contra Magos inueneris, Quos feralis peſtis, ait Lex, abſumat. Exſtant Græcæ, Latinæ, priſcæ, nouæ, omnium regionum populorumq́ hiſtoriæ, in quibus deſcribuntur res geſtæ à Magis, effectaq́ eadem variis in locis, exceſſus animi, & Magorum corpora cum animis in longinquas terras à ſpiritibus impuris deportata pauloq́ momento eodem à ſpiritibus iiſdem reportata: quod Magæ omnes fatentur vno ore, vt German. Italorum, Gallorum, aliorumq́ populorum teſtantur libri. Nouimus quid ſcriptum reliquerint Plutarchus de Ariſtæo Proconneſio & Cleomede Aſtypalæo, Herodotus de atheo quodam philoſopho, Plinius de Hermotimo Clazomenio, Philoſtratus de Apollonio Tyanæo, & Romanæ omnes hiſtoriæ de Romulo, qui ante oculos totius exercitus in aera ſublatus eſt: quod item Matiſconenſi cuidam Comiti in Chronicis noſtris legimus accidiſſe. Præterea ex variis quæſtionibus habitis & illud compertum eſt, multos cùm imitati fuiſſent Magos momento ad centeſimum aut ducenteſimū milliare à domo ſua abfuiſſe, aſpectis Magorum conuentibus Dei opem & auxilium imploraſſe, conuentum nefariorum ſpirituum Magorumq́ ſtatim euanuiſſe, illos qui ſoli relicti erant magnis itineribus domum reuertiſſe. Deniq́ ad manum, ante oculos ſunt quæſtiones de Magis in Germania, Gall. Italia, Hiſpaniaq́ habitæ & ſcriptis conſignatæ: nec dies vllus præterit, quin teſtimonia innumera & repetitiones eorum, collationes, conuictiones & confeſſiones exſcriptas videamus, in quibus ad mortem vſque perſtiterunt damnati, quorum pars maxima aut imperitiſſimorum hominum aut vetularum fuit, qui neque Plu-

toto ti. de malef. C. l. 3. de malefic. C. l. nemi- nem. de malefic. C.

Plutarch. in Romulo.

Hugo Floriacenſis.

Sprangerus in Malleo.

Paulus Grillandus.

Digitized by Google

tarchum, Herodotum, Philoſtratum, aliorúmve populorum leges nouerant, neque cum Germaniæ aut Italiæ Magis communicauerant, vt ipſis tam bellè inter ſe de rebus ſingulis conueniret. Neſciebant Auguſtinum libro decimo quinto de ciuitate Dei dicere non eſſe dubitandum, & impudentiæ videri, ſi quis negauerit Dæmonas & impuros ſpiritus coire cum hominibus, quos ideo Græci Ephialtas & Hyphialtas, Latini incubos, ſuccubos, & Syluanos, Galli Duſios (ait Auguſtinus) nuncupant hos virili ſpecie, illos muliebri. Ac de hoc quidem congreſſu conſtans eſt Sagarum omnium confeßio, eum non dormiendo ſed vigilando fieri: quo argumento oſtenditur non eſſe illam Medicorum τίφην *aut nocturnam ſuppreßionem, quam agnoſcunt illi dormientibus ſolùm accidere: tum etiam hoc altero quod non poſſet res eadem Succubis atque incubis accidere. Nec minus dignum admiratione eſt, quod omnium quoque Magarum communis docet conſenſio, malignos ſpiritus, cùm ſe forma humana exhibent, plurimùm atros eſſe aut proceriores*

lib. de ſpiritibus ſubterraneis.

aliis, aut exiliores, vt nanos: quod Georgius Agricola non mediocri eruditione vir ſcriptis demonſtrauit. Noſtri autem Magi non viderant illud quod Valerius Maximus libro primo de Caßio Parmenſi tradit, procerum hominem & atrum valde ei ſe obtuliſſe, qui rogatus ſe κακοδαίμονα *eſſe reſponderit: neque ſimiliter Magæ hiſtorias Plinij iunioris in epiſtolis, Plutarchi, Flori, Appiani, & Taciti legerant de Curtio Ruffo Africæ Proconſule, de Dione & Bruto, quibus vigilantibus viſiones eædem oblatæ ſunt: aut hiſtoriam illam memorabilem Athenodori philoſophi, cui*

Plinius ſecund. in epiſtol.

vigi-

vigilanti conſimile viſum obuenit maligni ſpiritus humana ſpecie, procera, nigra, catenis vincta, qui in ædibus propter allatas à maligno ſpiritu moleſtias, iamdiu deſertis indicauit locum vbi proſtrata erant cæſorum quinque corpora: aut quod apud Suetonium poſt cædem Caligulæ, quod apud Plutarchum poſt cædem Damonis & Remi legimus accidiſſe, poſt quorum cædem horrentia & inhoſpita loca effecta ſunt per eos ſpiritus quos Latini à Remo Remures, & mutatione vnius liquidæ Lemures appellabant. Initio autem diximus Ioannam Haruilleriam confeſſam eſſe humana ſemper ſpecie, procera, & atra diabolum à ſe conſpectum. Hiſtoriam hîc placet apponere, quæ anno 1578. quarto Nonas Februarias geſta eſt. Catharina Darea agricolæ cuiuſdam vxor Coparis in Sueſſionenſi agro habitantis, ab Hunautio Copararum Præfecto interrogata cur puellis duabus, quarum altera ipſius altera vicinæ filia erat, caput abſcidiſſet, reſpondit à ſe diabolum humana ſpecie viſum altum atrumq; valde, qui oblata viri falcula ad hoc facinus ipſam in itauerit. Hæc iudicio Compendijs lato morte affecta eſt. Denique perpetuam hiſtoriarum, quæ apud varios populos varijs ſeculis acciderunt, conuenientiam & ſimilitudinem cum rebus Magarum geſtis & confeſſionibus earum ſuo loco demonſtrabimus. Non eſt igitur, non eſt pertinaciter cum veritate pugnandum, ſi tot effecta, quorum obſcura cauſa eſt, videntur apertiſſime. Nam vbi humana mens cauſam rei, id eſt, τὸ διότι nequit pertingere, tum certe iudicium oportet inhiberi, & in eo quod fit, id eſt, ἐν τῷ ὅτι δεῖ conſiſtere. Itaque

In Caligula in vita Cimonis.

que maximus ille Plato & agnomine diuinus appellatus, de Sagarum actionibus (quas ſtudioſe perquiſiuerat & diligenter expenderat) loquens vndecimo libro de legibus, rem affirmat difficilem eſſe cognitu, & quam ſi noueris, difficilius alteri perſuaſeris: Rident plerique, inquit, ſi quando cereis ſigillis vti dicuntur Magi ad ſepulchra & compita, ſub ianuas apponendis, aut carminibus, incantamentis, atque ligaturis res admirabiles efficere. Ac Magæ quidem noſtræ Græciam non viderunt, Platonem non legerunt, vt imagines cereas facerent, per quas adiectis ſuis coniurationibus ope Satanæ homines occidant, quod infinitis iudiciis (vt dicturi ſumus) fuit confirmatum; inprimis vero Magarum Alenconiarum, quæ inimicorum ſuorum quærebant necem. Itaque Enguerrandi Marignij iudicium maxime conſtitutum eſt de coniuratis imaginibus cereis, quibus accuſabatur Regis exitium procuraſſe: & nuper etiam Magus Sacerdos Anglus Curio vici Iſtinctonij (qui vicus Londino abeſt fermè quingentos paſſus) deprehenſus eſt cum tribus cereis imaginibus (vt vocant) coniuratis, quibus Reginam Angliæ & duos alios Reginæ proximos è medio tolleret: ſed dum hæc quæſtio ad nos ex Anglia perferretur, amplius erat de ea cognoſcendum. Quamuis autem iſtarum rerum cauſam Plato ignorauerit, eas tamen pro certis & indubitatis habuit, & in legibus ſuæ Reipublicæ pœnas capitales conſtituit in Magos, qui iſtis artibus homines pecoráve ſuſtuliſſent, quod homicidium ab aliis, quæ ſine Magia committuntur, optime diſtinxit: pariterquè Hebræus Philo in libro

lib. 11. de legib.

περὶ τῶν ἀναφερομένων ἐν εἴδει νόμων. Imperiti homines fieri non poſſe iudicant: Athei & quicunque fouent κενοδοξίαν ſcientiæ, nolunt id quod vident confiteri, quia ignorant cauſam, ne quid neſcire videantur: Magi ludificantur duabus cauſis, tum vt ſe ipſos eximant ſuſpicione iſtius maleficij, tum vt hoc pacto regnum Satanæ ſtabiliant: ſtulti & curioſi facere volunt periculum, (quemadmodum Comi in Italia nuper, teſte Syluestri Priera, cum Officialis & Inquiſitor fidei turbam Magarum in vinculis detinentes non poſſent fidem habere admirabilitati rerum, quas illæ narrabant, ipſis placuit experiri, & ſe vni Magæ ducendos permittere: itaque abducti cum ſeorſim in locum aliquem ſtarent, res quidem abominandas proſpectarunt, fidem dari diabolo, ſaltari, coiri, ſed tandem diabolus, qui eos à ſe non videri finxerat, tam ſtrenue verberauit eos, vt poſt dies quindecim morerentur) alij renuntiarunt Deo, ſeque periculi faciundi gratia Satanæ deuouerunt, ſed illis perinde euenit ac illis beſtiis, quæ ſpeluncam leonis ingreſſæ non reuertebantur. Quicunque vero ducuntur reuerentia Dei, cognitis Magorum hiſtorijs, miraculis Dei quæ in toto orbe ſunt exploratis, lectaque diligenter lege & ſacra Scriptura, eo adduci non poſſunt, vt res iſtas in dubium vocent, quæ humanæ menti videntur incredibiles: ſed ita ſtatuunt, ſi res naturales plurimæ ſunt incredibiles, nonnullæ ἀκατάληπτοι, multo magis potentiam actioneſque ſpirituum intelligentium captum animi noſtri excedere. Videmus autem, res multas, quæ à natura ſunt admirabiles, frequenter & de more fieri, puta terram & mare à mercatoribus noſtris circumdari, pedibus ſurſum verſus de-

curri equis pegaſeis, (quod Lactantius & Auguſtinus riſerunt; negantes eſſe Antipodas, rem tam certam & ita clare demonſtratam, vt eſt lux meridiana Solis) & ſimilia. Et ij quoque ipſi, qui fieri non poſſe contendunt, vt impius ille Spiritus exportet hominem ad centum aut ducenta milliaria, non animaduertant; cœlorum cœleſtiumq; corporum (vt ſint maxima) conuerſationem fieri horis viginti quatuor, id eſt, ſi milliari bis millenos paſſus tribueris; tam breui ſpatio 245791440. milliaria decurrere. Quod ſi dixerint, quotidie videri iſta, & ſenſibus ſtandum eſſe, fateantur ergo pariter, credi actiones ſpirituum, quæ præter ordinem naturæ fiunt, oportere, ſine ipſius quidem naturæ miracula, quæ in oculis quotidie verſantur, poſſumus comprehendere, maxime cum inter Philoſophos non ſatis conueniat, in quo κριτήριον τῆς ἀληθείας, veritatis index, ſit poſitum. Nam Dogmatici regulam diiudicandi verum à falſo in quinq; ſenſibus conſtituunt ad rationem ſingula perferentibus: Plato & Democritus repudiant ſenſus, & ſolam iudicem veritatis ponunt intelligentiam: Theophraſtus ſenſibus & rationi intermedium fecit communem ſenſum, quem τὸ ἐναργὲς nominabat: animaduertentes autem Sceptici nihil ad rationalem animam peruenire, quin illud ante ſenſus perciperent, & nos à noſtris ſenſibus decipi, nihil ſciri poſſe contenderunt. Aiebant enim, ſi Ariſtoteleum illud axioma ex Platone verum eſt, animam intelligentem ſimilem eſſe tabellæ albæ imponendis figuris accommodæ, & nihil ineſſe animæ, quod non fuerit prius in ſenſibus, fieri non poſſe, vt ſciamus quicquam. Senſum enim omnium potentiſſimum & argutiſſimum eſſe viſum, oculos autem

fal-

alſos teſtes eſſe, qui (vt bonus Heraclitus inquit) Solem entíes ſexageſies ſexies ampliorem terra ſic nobis exibent, vt ſi vnius duumve pedum eſſet, qui in aqua res onge maiores quam ſint, & baculos tortos qui recti unt videntur aſpicere: Cæteros vero ſenſus plane in iuenibus ſenibusque, vt vegeti ſint, variare: huic enim alidum videri quod illi frigidum, & (quod omnes vient) eumdem hominem vario tempore de iiſdem rebus um admouentur ſenſui varie iudicare. Primus hanc iam aperuit Socrates, ſe dicens hoc vnum ſcire quod ihil ſciret: cuius ſecta deinde aucta eſt per Arceſilam, rincipem Academiæ, quem Ariſto, Pyrrhus, Herilus equuti ſunt, & Cardinalis Cuſanus memoria noſtra in ibris, quos fecit de docta ignorantia. Quemadmodum utem primi illi ſe honoris cauſa Dogmaticos, id eſt, Doctores, ſic etiam poſtremi Scepticos ſiue Ephecticos anquam dubitatores ſeſe nuncupabant. Etſi hos tamen pudebat conſiteri, ſe nihil ſcire, quod fatebatur Socrates: fatendo enim ſe optime ſcire, quod nihil ſcirent, tos poſſe aliquid ſcire pariter fatebantur. Itaque roganti ſcirentne calidum eſſe ignem, aut clarum Solem, reſpondebant, cogitari de hac re oportere, vt Socrates reſpondebat, ſe vtrum homo beſtiave eſſet ignorare: & Polyænus Mathematicorum ſua ætate princeps auditis ſuper hoc argumento Epicuri ſophiſmatis, Geometriam totam falſam eſſe confeſſus eſt: cum tamen hæc pro veriſsima omnium habeatur, & minime ſenſibus innitense, quos Ariſtot. fundamenta eſſe ſtatuit ſcientiarum omnium, & quibus ita ſtandum eſſe dicit, vt ex collectis rebus ſingularibus catholica axiomata componantur ad conſequendas ſcientias, & eam quæ inueſtigatur veritate-

Ptolemæus in Almageſt. lib. 1.

in Analyticis poſter. lib. 4. 6. 7. Metaphy.

ritatem. Quod ſi ſenſibus ſolum ſtari oporteret, falſa eſſet regula Ariſtotelis, (omnes enim homines etiam Lyncei agnoſcent, ampliorem eſſe Solem, & res in aqua merſas breuiores quam videntur, neque baculum in aqua fractum, vt omnibus videtur, eſſe) falſa item Platonis & Democriti ſententia indicium veritatis intelligentiæ ſoli vindicantium: neque enim cæcus de coloribus poteſt, neq; ſurdus de concentibus iudicare. Amplectenda igitur nobis eſt opinio Theophraſti inter ſenſus & intelligentiam velut interpretem adhibentis communem ſenſum, & ad rationem tanquam ad Lydium lapidem quicquid videmus, audimus, guſtamus, & odoramur perferendum. Quoniam vero plurimæ res exſtant, quarum excelſa conſtitutio à nobis ægre comprehendi poteſt, & à pauciſsimis, qui ad eas percipiendas fuerint idonei, hic vero perito cuique in ſcientia ipſius oportet haberi fidem. Itaque etiamſi omnibus certiſsimum videretur, Solem & Lunã æquales eſſe, prout in ſpeciẽ videntur, cũ vnus in occaſu, alter in ortu ſitus eſt, peritis tamen huius ſciẽtiæ fides habebitur, qui Solẽ demonſtrãt centies ſexagies ſexies terra maiorem eſſe, & amplius octauis tribus, eundẽq; maiorẽ Luna ſexies millies quingenties quadragies quinquies, prætereaque octauis ſeptem: qua ratione Iureconſulti in rebus medicis accipiunt Medicorum placita, neque ſecus definiendum putant. At non ſunt profecto Magorum arcana tam tecta, quin à tribus annorum millibus per totum orbem terrarum innotuerint. Primum lex Dei ἀψευδῶς ea declarauit expreßitq; minutatim, qua perditionem interminantur populus, qui Magos non caſtigauerint. Hic ergo ſiſtendus gradus eſt, non de ijs quæ neſcimus

l. 7. de ſtat. hom. ff. l. 2. de ſuis & leg. ff. Auth. de teſt. fideicom. & ea quæ parit 11. menſe. l. Ædiles aiunt, de ædil. edi. ff. l. 1. de ventre inſp. ff. Leuit. 20.

mus cum Deo contendendum. Deinde Græci, Romani, alijq́ populi, antequam de lege Dei audiuiſſent quicquam, Magos conſimiliter & facta eorum abominati ſunt, eosq́ ſupplicio vltimo (vt ſuo loco dicemus) affecerunt. Denique, ait Auguſtinus, quotquot in mundo fuerunt ſectæ, pœnas in Magos decreuerunt. Quod ſi ad conſequendam veritatem periti requiruntur, an peritiores ipſis Magis inueniri poſſunt? qui inde à ter mille annis actiones ſuas, ſacrificia, ſaltationes, nocturnas exportationes, homicidia, carmina, ligaturas & artes magicas indicarunt, confeſſi ſunt, ad mortem vſque confirmarunt. Præterea quotquot in Italia, Germania, & Gallia cremati ſunt, eorum concors eſt vbique confeſſio omnium teſtimoniis. Si igitur legis Dei communis conſenſio, humanarum legum, populorum omnium, iudiciorum, conuictionum, confeſſionum, repetitionum, collationum, excutionum, ſi communis ſapientum conuenientia non eſt ſatis; quæ amplior, obſecro, probatio deſiderabitur? Demonſtraturus Ariſtoteles ignem eſſe calidum, ita eſt, inquit: Nam ſic Indi, Galli, Scythæ, & Mauri agnoſcunt. Argumentis quæ in contrariam ſententiam adducuntur ſperamus nos ita reſponſuros, poſtea vt ſinguli acquieſcant: interea vero ſapientes iſtos dubitandi autores omittemus, quibus incertum eſt ſitne Sol clarus, glacies frigida, calidus ignis, & qui rogantibus teneantne ſuum ipſorum nomen reſpondent cogitari de eo oportere. Certe impietatis fere eiuſdem eſt reuocare in dubium, poſſintne Magi eſſe, & ſitne Deus dubitare: nam qui vnum, idem etiam alterum confirmauit Lege. Omnium autem errorum cumulus ex eo proceſſit, quod multi, qui facultates Spirituum

lib. 13. de ciuit. Dei.

&

& Magorum facta pernegabant, putauerunt Phyſicę de rebus Metaphyſicis, quæ ſupra naturam ſunt, diſputandum eſſe. Hoc vero plane abſurdum eſt. Nam ſcientiæ cuilibet ſua principia & velut fundamenta ſunt, alia ab aliis diuerſiſsima. Statuit Phyſicus, atomos eſſe corpora, quæ nequeas diuidere, hoc erroribus grauiſsimis deputat Mathematicus, docens & demonſtrans quodcunque minimum corpus in orbe terrarum extiterit, id poſſe in infinita corpora diuidi: demonſtrat Phyſicus nihil infinitum eſſe, Metaphyſicus primam cauſam ſtatuit infinitam: Phyſicus præteritum ac futurum tempus numero motuum diſterminat, Metaphyſicus æternitatem ſpectat carentem numero, tempore & motu: Phyſicus demonſtrat, in nulla mundi parte exſtare quicquam quod non ſit corpus, non poſſe motum niſi corporibus accidere, ſola ſe corpora inter ſe contingere, Metaphyſicus, Spiritus & Angelos eſſe mouenteis Cœlos & Cœlorum motu ſentienteis motum κατὰ συμβεβηκός, *vt confitetur Ariſtot. proinde illos ſpiritus vbique eodem tempore minime ſubſiſtere, ſed ibi neceſſario eſſe, vbi apparet ipſorum actio: Phyſicus demonſtrat, naturalem formam non eſſe ante ſubiectum aut extra materiam, & corruptione omnino intercidere: hac enim Ariſtoteles vniuerſe de omnibus naturalibus formis enuntiat, Metaphyſicus vero, formas ſuas diſparatas permanere ſine corruptione & mutatione vlla: eoq; amplius idem autor & Metaphyſicis ait formam hominis, hoc eſt, intellectum extrinſecus aduenire* (θύραθεν ἐπεισιέναι) *ait, & permanere poſt corruptionem corporis. Præterea Phyſici omnes principium illud retinent conſtantiſsime, non ineſſe formas duas in vno ſub-*

Lib. 2. Phyſic.

Libr. 4. & 6. φυσικῆς ἀκροάσεως.

lib. 8. τῶν μετὰ φυσικά. Libro 12.

libr. 2. de generat. animal.

biecto, depelli ſemper alteram ab altera, neque vnuam ab vno corpore in alterum commigrare: Dæmonas autem contra malignosq́ ſpiritus, quos Peripatetici formas ſeparatas nuncupant, euidentiſſimum eſt ſe inſinuare in hominum pecorumq́ corpora. in corporibus effari, ſiue os hominis clauſum ſiue lingua ad laryngas vſque proiecta habeatur, idque varijs linguis & ipſi dæmoniaco incognitis, & (quod amplius eſt) modo ventre modo pudendis eloqui, quamobrem eos veteres & ἐγγαστριμύθους, ἐγγαστριμάντεις & εὐρυκλέας appellabant. Si cui autem cum Academicis placebit ſtatuere, dæmonibus ſua eſſe corpora, tum admirabilius ſane futurum eſt & magis à principiis naturæ alienum, quæ corpus vnum in alterum penetrare negant: cum illud tamen fuerit ab omni antiquitate viſum, & in compluribus hominibus, quos dæmones infeſtant, ſæpe videatur. Ideoq́ ait Ariſtoteles, non placuiſſe priſcis, vt Phyſica diſputatio commiſceretur ſcientiæ Metaphyſicæ, ſed Mathematicas diſciplinas interpoſuiſſe, vt eo pacto indicarent, non eſſe ex rationibus Phyſicis de Magis & de actionibus, quibus cum Dæmonibus ſpiritibusq́ malignis communicant faciendum iudicium. Noſtrum autem hoc argumentum (quod alioqui ex ſe difficile atque obſcurum eſt) vt fiat euidentius, totum opus in quatuor partes diuiſimus. Primo libro de natura ſpirituum agimus, de eorum cum hominibus conſociatione, de modis tum diuinis, tum etiam humanis ad res occultas cognoſcendas. Secundo Magorum artes & modos illicitos, quam breuiſſime fieri potuit, attigimus, idque tam ſobrie, vt nemo vllam ex eo occaſionem abutendi inuenturus ſit, atque in hunc finem, vt ſingulis pedica retiaque mon-

monſtrarentur, à quibus cauendum eſt, & ijs Iudicibus leuamen afferretur, quibus non vacat iſta excutere, quamuis ad iudicia bene ferenda deſiderent informari. Tertio modos licitos & illicitos exponimus anteuertendis aut amoliendis ſortibus occupatos. Quarto agimus de forma quæſtionis habendæ & conſtituendi iudicij aduerſus Magos, & de probationibus neceſſarijs, vt pœnæ legibus in eos ſancitæ decernantur. Adieci denique Ioannis VVieri confutationem & ſolutionem argumentorum, quæ in hanc cauſam afferri poſſent, ſermones meos regulis conformans & axiomatis priſcorum Theologorum atque determinationi, quam facultas Theologiæ fecit Pariſiis 19. Septembris M. CCC. XCVIII. Quapropter nos illam diſertis verbis hic apponi curauimus.

DETER-

DETERMINATIO
PARISIIS FACTA PER ALMAM
facultatem Theologicam Anno Domini M. CCCC. XCVIII. ſuper quibuſdam ſuperſtitionibus nouiter exortis.

Vniversis orthodoxæ fidei zelatoribus Cancellarius Eccleſiæ Pariſienſis & facultas Theologiæ in alma vniuerſitate Pariſienſi, matre noſtra, cum tegro diuini cultus honore ſpem habere in ɔmino: ac in vanitates & inſanias falſas non ſpicere. Ex antiquis latebris emergens noui- r errorum fœda colluuio recogitare commo- uit: quod plerumque veritas catholica apud idioſos in ſacris literis apertiſſima eſt: quæ cæ- ros latet, nimirum cum hoc proprium habeat nnis ars, manifeſtam eſſe exercitatis in ea, ſic ex eis cõſurgat illa maxima, Cuilibet in ſua te perito credendum eſt. Hinc eſt orationum ıd, quod Hieronymus ad Paulinum ſcribens umit: Quod Medicorum eſt, promittunt edici: tractent fabrilia fabri. Accedit ad hæc ſacris literis aliud ſpeciale, quod nec expe- ntia & ſenſu conſtant vt aliæ artes, nec poſ- ıt ab oculis circumuolutis nube vitiorum fa-

cile deprehendi. Excæcauit enim eos malitia eorum. Ait ſiquidem Apoſtolus, quod propter auaritiam multi errauerunt à fide: propterea non irrationabiliter idolorum ſeruitus ab eodem nominatur: alii propter ingratitudinem, qui cum cognouiſſent Deum, non ſicut Deum glorificauerunt in omnem idololatriæ impietatem (ſicut idem commemorat) corruerunt. Porro Salomonem ad idola, Didonem ad magicas artes pertraxit dira cupido. Alios poſtremo miſera timiditas tota ex craſtino pendens in obſeruationes ſuperſtitioſiſſimas impiasque depulit: quemadmodum apud Lucanum de filio Pompeij Magni, & apud Hiſtoricos de plurimis notum eſt. Ita fit, vt recedens peccator à Deo declinet in vanitates & inſanias falſas, & ad eum qui pater eſt mendacii tandem impudenter palamque apoſtando ſe conuertat. Sic Saul à Domino derelictus Phytoniſſam, cui prius aduerſabatur, conſuluit, ſic Ochozias Deo Iſrael ſpreto miſit ad conſulendum Deum Acharon. Sic denique eos omnes, qui fide vel opere abſque Deo vero ſunt, vt à Deo falſo ludificentur neceſſe eſt. Hanc igitur nefariam, peſtiferam mortiferamque inſaniarum falſarum cum ſuis hæreſibus abominationem plus ſolito noſtra ętate cernentes inualuiſſe, ne forſan Chriſtianiſſimum regnum, quod olim monſtro caruit, & Deo protegente carebit, inficere valeat tam horrendæ impietatis & pernicioſiſſimæ contagionis monſtrum: Cupientes totis conatibus ob-

obuiare, memores inſuper noſtræ profeſſionis: proque legis zelo ſuccenſi paucos ad hanc rem articulos damnationis cauterio (ne deinceps fallant incogniti) notare decreuimus: rememorantes inter cætera innumera dictum illud ſapientiſſimi doctoris Auguſtini de ſuperſtitioſis obſeruationibus: Quod qui talibus credunt, aut ad eorum domum euntes, aut ſuis domibus introducunt aut interrogant, ſciant, ſe fidem Chriſtianam & baptiſmum præuaricaſſe, & paganum & apoſtatam, id eſt, retro abeuntem & Dei inimicum & iram Dei grauiter incurriſſe, niſi Eccleſiaſtica pœnitentia emendatus Deo reconcilietur. Hæc ille. Neque tamen intentio noſtra eſt in aliquo derogare quibuſcunque licitis & veris traditionibus, ſcientiis & artibus, ſed inſanos errores atque ſacrilegos inſipientiam & ferales ritus pro quanto fidem orthodoxam & religionem Chriſti lædunt, contaminant, & inficiunt, radicitus quantum fas nobis eſt extirpare ſatagimus: & honorem ſuum ſincerum relinquere veritati.

EST autem primus articulus, quod per artes magicas, & maleficia & inuocationes nefarias quærere familiaritates, & amicitias, & auxilia dæmonum, non ſit idololatria. Error. Quoniam dæmon aduerſarius pertinax & implacabilis Dei & hominis iudicatur: nec eſt honoris vel domini cuiuſcunque diuini vere ſeu participatiue vel aptitudinaliter ſuſceptiuus, vt aliæ

creaturæ rationales non damnatæ: nec in ſigno ad placitum inſtituto, vt ſunt imagines & templa, Deus in ipſis adoratur.

Secundus articulus, quod dare, vel offerre, vel promittere dæmonibus qualemcunq; rem, vt adimpleant deſiderium hominis, aut in honorem eorum aliquid oſculari vel portare non ſit idololatria. Error.

Tertius, quod inire pactum cum dæmonibus tacitum vel expreſſum non ſit idololatria vel ſpecies idololatriæ vel apoſtaſiæ. Error. Et intendimus, eſſe pactum implicitum in omni obſeruatione ſuperſtitioſa: cuius effectus non debet à Deo vel natura rationabiliter expectari.

Quartus, quod conari per artes magicas dæmonas in lapidibus, annulis, ſpeculis aut imaginibus nomine eorum conſecratis, vel potius execratis includere, cogere & arctare vel eas velle viuificare, non ſit idololatria. Error.

Quintus, quod licitum eſt vti magicis artibus, vel aliis quibuſcunque ſuperſtitionibus à Deo & Eccleſia prohibitis pro quocunque bono fine. Error: quia ſecundum Apoſtolum non ſunt facienda mala, vt bona eueniant.

Sextus, quod licitum ſit aut etiam permittendum maleficia maleficiis repellere. Error.

Septimus, quod aliquis cum aliquo poſſit diſpenſare in quocunque caſu, vt talibus licite vtatur. Error.

Octauus, quod artes magicæ & ſimiles ſuperſtitiones & earum obſeruationes ſint ab Eccleſia

leſia irrationabiliter prohibitæ. Error.

Nonus, quod Deus per artes magicas & ma-
:ficia inducatur compellere dæmones ſuis in-
ocationibus obedire. Error.

Decimus, quod thurificationes & ſuffumi-
:ationes, quæ fiunt in talium artium & maleſi-
iorum exercitio, ſint ad honorem Dei, & ei
laceant. Error & blaſphemia, quoniam Deus
lias non puniret vel prohiberet.

Vndecimus, quod talibus & taliter vti non
ſt ſacrificare ſeu immolare dæmonibus, & ex
onſequenti damnabiliter idololatrare. Er-
or.

Duodecimus, quod verba ſancta & oratio-
ıes quædam deuotæ, & ieiunia & balneationes
c continentia corporalis in pueris & aliis, &
niſſarum celebratio, & alia opera de genere bo-
ıorum, quæ fiunt pro exercendo huiuſmodi
rtes, excuſent eas à malo, & non potius accu-
:ent. Error: nam per talia ſacræ res, imo ipſe
)eus in Euchariſtia dæmonibus tentatur im-
nolari, & hæc procurat dæmon, vel quia vult in
ıoc honorari ſimilis altiſſimo, vel ad fraudes
uas occultandas, vel vt ſimplices illaqueet faci-
ius, & damnabilius perdat.

Decimustertius, quod ſancti Prophetę & alii
ancti per tales artes habuerunt ſuas prophe-
ias, & miracula fecerunt, aut dæmones expule-
unt. Error & blaſphemia.

Decimusquartus, quod Deus per ſe imme-
liate vel per bonos angelos talia maleficia ſan-

ctis hominibus reuelauerit. Error & blaſphemia.

Decimuſquintus, quod poſſibile eſt per tales artes cogere liberum hominis arbitrium ad voluntatem ſeu deſiderium alterius. Error,& hoc conari facere eſt impium & nepharium.

Decimuſſextus, quod ideo artes præfatæ bonæ ſunt & à Deo, & quod eas licet obſeruare; quia per eas quandoque vel ſæpe euenit,ſicut vtentes eis quærunt vel prædicunt, quia bonum quandoque prouenit ex eis.Error.

Decimuſſeptimus, quod per tales artes dæmones veraciter coguntur & compelluntur, & non potius ita ſe cogi fingunt ad ſeducendos homines.Error.

Decimuſoctauus, quod per tales artes & ritus impios, per ſortilegia, per carmina & inuocationes dæmonum,per quaſdam inſultationes & alia maleficia nullus vnquam effectus miniſterio dæmonum ſubſequatur.Error.Nam talia quandoque permittit Deus contingere: patuit in Magis Pharaonis & alibi pluries: vel quia vtentes, ſeu conſulentes propter malam fidem & alia peccata nephanda dati ſunt in reprobum ſenſum.& demerentur ſic illudi.

Decimuſnonus, quod boni Angeli includantur in lapidibus, & conſecrent imagines vel veſtimenta, aut alia faciant, quæ in iſtis artibus continentur. Error & blaſphemia.

Viceſimus, quod ſanguis vpupæ, vel hœdi, vel alterius animalis, vel pergamenum virgineum,

neum, vel corium leonis, & ſimilia, habeant efficaciam ad cogendos vel repellendos dæmones miniſterio huiuſmodi artium. Error.

Viceſimusprimus, quod imagines de ære, plumbo vel auro, de cera alba vel rubea, vel alia materia baptizatæ, exorcizatæ & conſecratæ, ſeu potius execratæ ſecundum prædictas artes & ſub certis diebus, habent virtutes mirabiles, quæ in libris talium artium recitantur. Error in fide & philoſophia naturali, & aſtronomia vera.

Viceſimuſſecundus, quod vti talibus & fidem dare non ſit idololatria & infidelitas. Error.

Viceſimuſtertius, quod aliqui dæmones boni ſunt, alii omnia ſcientes, alii nec ſaluati nec damnati. Error.

Viceſimuſquartus, quod ſuffumigationes, quæ fiunt in eiuſmodi operationibus, conuertuntur in ſpiritus, aut quod ſint debitæ eis. Error.

Viceſimuſquintus, quod vnus dæmon ſit rex Orientis & præſertim ſuo merito, & alius Occidentis, alius Septentrionis, alius Meridiei. Error.

Viceſimuſſextus, quod intelligentia motrix cœli influit in animam rationalem ſicut corpus cœli influit in corpus humanum. Error.

Viceſimuſſeptimus, quod cogitationes noſtræ intellectuales & volitiones noſtræ interiores immediatè cauſätur à cœlo, & quod per ali-

quam traditionem magicam tales poſſint ſciri, & quod per illam de eis certitudinaliter iudicare ſit licitum. Error.

Viceſimusoctauus articulus, quod per quaſcunque artes magicas poſſimus deuenire ad viſionem diuinæ eſſentiæ vel ſanctorum ſpirituum. Error.

Acta ſunt hæc & poſt maturam crebramque inter nos & deputatos noſtros examinationem, concluſa in noſtra congregatione generali Pariſiis apud S. Maturinum de mane ſuper hoc ſpecialiter celebrata. Anno Domini M. CCC. XCVIII. die 19. menſis Septembris, in cuius rei teſtimonium ſigillum dictæ facultatis præſentibus literis duximus apponendum.

Originale huius determinationis eſt ſigillatum magno ſigillo facultatis Theologicæ Pariſiis.

INDEX

INDEX CAPITVM.

Libro primo.

Magi definitio. Cap. I.

De ſpirituum cum hominibus conſociatione. Cap. II.

De bonorum ſpirituum malorumq; differentia. Cap. III.

De prophetia aliisq; diuinis modis ad res occultas cognoſcendas. Cap. IV.

De naturalibus & humanis modis ad res occultas cognoſcendas. Cap. V.

De modis illicitis ad perueniendum eò quò intenditur. Cap. VI.

De teratoſcopia, aruſpicina, orneomantia, hieroſcopia, aliisq; ſimilibus. Cap. VII.

Libro ſecundo.

De Magia vniuerſe, & generibus ipſius. Cap. I.

De tacitis malignorum ſpirituum inuocationibus. Cap. II.

De expreſsis malignorum ſpirituum inuocationibus. Cap. III.

De iis qui expreſſa conuentione Deo renuntiant, & vtrum corpore à dæmonibus exportentur. Cap. IV.

De Magorum ecſtaſi & raptu, & de ordinariis ipſorum frequentationibus cum dæmonibus. Cap. V.

De Lyncanthropia, & poſsintne homines à ſpiritibus in beſtias commutari. Cap. VI.

An Magi cum dæmonibus copulentur. Cap. VII.

Poſsintne Magi morbos, ſterilitatem, grandines, tempeſtates immittere, & homines beſtiasve morte afficere. Cap. VIII.

Libro Tertio.

Cap. I. *De modis licitis ad carmina & magicas artes prauertendas.*

Cap. II. *An poſſint Magi valentium incolumitatem confirmare, & curare affectos.*

Cap. III. *An Magi ſuis artibus conciliare poſſint gratiam procerum, formam, voluptates, honores, diuitias, ſcientiam & fertilitatem afferre.*

Cap. IV. *An his plus, quàm illis Magi nocere poſſint.*

Cap. V. *De modis illicitis ad carmina maleficiaq́ prauertenda, & curandos morbos.*

Cap. VI. *De iis qui obſidentur, coguntur à malignis ſpiritibus & quibus modis propulſentur.*

Libro Quarto.

Cap. I. *De Magorum inquiſitione.*

Cap. II. *De probationibus ad euincendum Magiæ crimen neceſſariis.*

Cap. III. *De voluntaria & coacta Magorum confeſſione.*

Cap. IV. *De præſumptionibus aduerſus Magos.*

Cap. V. *De ſuppliciis quæ merentur Magi.*

DÆMONOMANIÆ MAGORVM

Liber primus.

Magi definitio.

CAPVT I.

MAGVS eſt, qui ſciens prudens diabolicis modis ad aliquid conatur peruenire. Hanc definitionem ponimus vt neceſſariã, non ad huius operis ſolùm intelligen-am, verum etiam ad iudicia quæ contra Ma-os ferenda ſunt. Eſt autem ab omnibus ad-uc prætermiſſa, qui de Magis inſtituerũt ſcri-ere: quamuis huic fundamento tractationem)tam oporteat incumbere. Nunc ergo defi-itionem noſtram minutatim exponamus. Pri-ıùm vocibus illis, *Sciens prudens*, vſus ſum: quia on videntur (ait lex) vllo pacto conſentire, ui errant. Ægrotus itaque medicinam diabo-cam à Mago, quem virum bonum putabat, ſi-ı miniſtratam bona fide ſumens, non eſt ma-;us: iuſtam enim cauſam habet ignorantiæ. Sin utem indicauerit Magus, aut malignos ſpiri-us coràm inuocauerit, vt nonnunquam acci-dit:

l. nihil conſenſui, de reg. iur. ff. l. ſi ſtuprum, de adult. ff. l. aut facta, de pœnis, ff.

ditatio diuerſa eſt. Hoc autem exempli gratia ſolùm apponimus, ſuo loco ampliùs explicaturi. Iam quinam modi ſint diabolici, opus eſt cognoſcere. Diabolus Græcè calumniatorem ſignificat: quia ſemper explorat bonorum facta, vt Scriptura oſtendit, & coram Deo appetit calumniis. Modi verò diabolici ſunt ſuperſtitiones & impietates quas excogitauit, & ſeruos ſuos docuit, ad perdendum humanum genus. Quamobrem illum Hebræi Satanam, id eſt, aduerſarium nominarunt, quod Salomo innuebat, dicens Deum creaſſe hominem ad imaginem ſuam, qui immortalis eſſet: inuidia autẽ Satanæ mortem in mundum ingreſſam eſſe, & narratur compluribus Scripturæ locis. Statuit enim his verbis Salomo, nõ ſolùm exiſtere eum qui aduerſetur humano generi, ſed à principio creatum eſſe: vt in libro Iobi dicitur. Cum hac autem Scriptura ſacra omnibus etiam Academicis, Peripateticis, Stoicis, & Arabibus, optimè conuenit, ſpiritus exiſtere: adeò vt quiſquis hoc in dubium vocauerit (quod athei Epicuri faciunt) is principia totius Metaphyſicæ negauerit, & ſubſtantiam Dei, ab ipſo Ariſtotele demõſtratam, corporumq; cœleſtium motus ſpiritibus & intelligentiis attributos: vox enim Spiritus, de Angelis Dæmonibusq; enunciatur. Et quamuis Platoni, Plutarcho, Porphyrio, Iamblicho, Plotinoq; placeat, demonas bonos & malos eſſe: Chriſtianis tamen appellatio Dæmonum, de ſpiritibus malis vbiq; accipitur,

Sapient. 3. Eccleſ. 17. Geneſ. 2. Iob. 1.

Iob. 4.

Libris Phyſic. & Metaphyſic.

Aug. tractat. 42. in Ioan. & libr. 8. de ci-

& Sor-

Sorbonæ quoque determinatio, confecta 19. ſeptembris, 1398. ſententiæ veterum Docto-
rum conformata, eos pro hæreticis damnat, qui Dæmonas bonos eſſe docent: vt cõtrà An-
gelicorum ſpirituum nomine ſemper intelli-
gũtur boni. Quæ quidem reſolutio eſt optima, ad præcidendæ eorum excuſationi & impietati
apprimè neceſſaria, qui ſpecie bonorum Dæ-
monum non dubitant inuocare diabolos, atq;
accerſere. De origine Dęmonum vix inuenias
quod poſſis affirmare. itaque ſic de illis in Ti-
mæo Plato: περὶ δὲ τῶν δαιμόνων εἰπεῖν, καὶ γνῶναι
τὴν γένεσιν, μεῖζον ἢ καθ' ἡμᾶς. πιστέον δὲ τοῖς εἰρηκόσιν
ἔμπροσθεν. id eſt, de Dæmonibus autem dicerę,
et eorũ noſſe originem, maius eſt quàm vt à no-
bis præſtari poſſit. Fides verò iis eſt adhibenda,
quæ à veteribus dicta ſunt. Priſcorum verò pa-
trum ſentẽtiam amplecti licet, qui ſpiritus gra-
tia præditos, exorteſque peccati, à Deo creatos
eſſe docuerunt: quorum alij, volentes in Deum
inſurgere, dati fuerint præcipites. Huic ſenten-
tiæ accommodant Draconis caſum, pertrahen-
tis ſecum ingẽtem ſtellarum numerum in Apo-
calypſi: Dæmonumque principem cum ſubdi-
tis ſuis intelligunt. Ethnici verò ad Giganto-
machiam olim retulerunt: atque in eam ſen-
tentiam Pherecydes Draconem *Ophionæum*, ca-
put rebellium Angelorum, Triſmegiſtus in
Poimandro, & Empedocles, Dæmonas cœ-
lo delapſos οὐρανοπετεῖς appellarunt. Hoc ſen-
sit Auguſt. lib. viij. capit. xxij. de Ciuitat. Dei:
idemq;

uitat. Dei, & 22. & lib. de vera reli. cap. 13. & lib. contra Manich. ca. 33. & lib 1. contra Pelagium.

Apoc. 12

idemque propter antiquitatem, autoritatemq́ eorum qui ita ſenſerunt, à Chriſtianis receptum eſt. Verumtamen illis videtur Deus ab initio mundi magnum illum Satanam, quem Scri-
Iob. 40. & 41. ptura Behemoth & Leuiathan vocat, creauiſſe, ait enim Scriptura: Is prima rerum origine à Deo conditus eſt. Atque vt eum confirment fuiſſe à gratia in creatione alienum, adducitur
Eſaiæ 54. Eſaiæ locus, in quo ſic effatur Deus: Feci & formaui Satanam, vt perdat, vaſtet ac deſtruat. (Itaque non rarò appellatur Aſmodæus, à verbo שמד quod ſignificat profligare) & Deus populo Hebræorum narrans, ſe in toto Ægyptiorum regno de omnibus tam hominum quàm iumentorum primogenitis vltionem ſumpturũ
Exod. 12. eſſe: Non ſinam, inquit, deſtructorem intrare domos veſtras. Orpheus ipſe dęmonem magnũ appellat vltorem, atque (vt erat Magorũ prin-
Pſalm. 74. ceps) ei decantat hymnum. Similiter hæc Pſaltæ verba adducuntur, Magnum illum Leuiathanem, quem formaſti vt triumphares de i-
Exod. 9. pſo: & illa in Exodo: Feci te, o Pharao, vt demõſtrem meam potentiam in te: quæ præter nudum hiſtoriæ ſenſum de Satana accipiuntur:
Ezech. 29. vt iſta in Ezechiele: Ecce me inimicum tuum, Pharao magne, Leuiathan, Draco iacens in medio fluuiorum, qui dixiſti, Meus eſt fluuius, & ego feci me, &c. Efficiam te eſcam volucribus cœli. Quibus in locis interpretes conſenſerunt, Leuiathane, Pharaone, & Behemoth, ſignificari magnum humani generis inimicum,

regno

gno Ægypti, carnem cupiditatemque: & flu-
o, torrentem naturæ fluxæ, continenter in
rruptionem delabentis: quæ corruptio de-
uctori propria, Creatori vero omnium Deo
uerſa eſt. Vt enim ad creationem & genera-
onem Creatore patre & genitore opus eſt, ita
am corruptore ad ſuccedentem elementaris
ius mundi corruptionem opus eſſe. Eadem
oque ratione Prouerbiorum Salomonis xxx.
pite dici allegorice, coruos torrentis effodere
ulos illius qui deridet patrem, & contemnit
ctrinam matris. His enim verbis diabolos
mentaris huius torrentis intelligi, qui nigri
rimum apparent vt corui, & rationis lumen
eis exſtinguunt, qui contemnunt naturæ le-
m, & ludificantur Deum. Quinetiam He-
æi affirmant, periturum Satanam, adductis
is ex Ezechiele xxi. & Eſaia xxvij. vbi Deus
itur certo die Leuiathanem magnũ occiſu-
s, magnum ſerpentem tortuoſum qui eſt in
ri: intelligentes maris nomine, materiã hanc
xam & elementarem, quam Plato & Ariſto-
es, originem mali indagantes, ſubiectum eſſe
tuerunt malorum omnium, & quam Salomo
allegoriis paraboliſque vocauit mulierem,
cens nullam malitiam accedere ad malitiam
ulieris: & paulo poſt (quod amplius eſt) me-
tricem quæ viros omneis admittit, vt mate-
formas. Atque hæc R. Maymonis interpre- Lib. 1. More
tio. Præterea dicunt, eos homines qui ſe cul- nebocim.
Dei in hoc mundo penitus addixerint, fore

vt An-

vt Angelos Dei: Erunt, inquit Scriptura, ſicut
Marc. 13. Angeli Dei: è diuerſo autem qui Deo renuntiauerint, & ſe in cultum Satanę dederint, eos perpeſſuros, ſeruituros vt diabolos & carnifices iuſtitiæ Dei, ac perituros tãdem (huc enim adducunt Zachariæ locum: Auferam, ait Dominus, ſpiritum immundum de terra) hæc deniq; electorum Angelorum ſigna, reproborumq; diabolorũ eſſe, quòd illi vitam, hi mortem æternã conſequũtur, cùm tormenta ſuis ſceleribus digna pertulerint, idq; eo tempore quod ſingulis fuerat deſtinatum arcano conſilio Dei. Hæc ergo ſummatim Hebręorum quorundam Theologorum opinio, qua priſci quoq; autores Gręci imbuti ſunt.
Lib. περὶ ἐκλελοιπότων χρηστηρίων. Nam Plutarchus cauſas exponens, cur oracula deſiuerint (quod Cic. iamdiu
Lib. de diuinatione. ante ætatẽ ſuam ſcribit contigiſſe) hac inter cæteras vtitur, quòd vita Dæmonum circumſcripta ſit, & illis deficientibus defecerint oracula.
Lib. περὶ ἐλογίων φιλοσοφίας. Porphyrius quoq; hos verſus citat ex Apolline:

Οἴ οἴ μοι τρίποδες στοναχίστετε. οἴχετ᾽ Ἀπόλλων,
οἴχετ. ἐπεὶ φλογόεν μ᾽ βιάζεται οὐράνιον φῶς.

Id eſt.

Væ væ mihi, tripodes lugete, perijt Apollo,
Perijt, quoniam ardens mihi vim infert cœleſte lumen.

Lib. 5. cap. 1. 8. & 9. Euſebius item Eccleſiaſticus hiſtoriographus memorabilem narrat hiſtoriam ad Tyberium
προπαρασκευῆς εὐαγγελικῆς. Cęſarem fuiſſe perlatam, quę apud Plutarchum etiam legitur: Multos cùm Echinadas inſulas prȩternauigarent, audiuiſſe in aere vocem

ſæpius

ſæpius inclamantem, Thamus (hoc autem fuit gubernatoris in naui nomen) & huic edicentem, vt cum Palodes appuliſſet, magnum Pana mortuum eſſe indicaret. Hoc facto, repẽte magnos gemitus eiulatuſq; per Palodes, nemine comparente, exauditos eſſe. Auguſtinus autem, Aquinas, Hebræorumque Theologorum plurimi, Latinorumque crediderunt ex Dæmonum cum mulieribus conſortio (quod in ſcriptura aiunt exprimi, & Magi ſemper confeſſi ſunt) diabolicos homines generari, quos Hebræi appellãt Roſchoth, id eſt, capita, & diabolos eſſe putãt humana ſpecie: ſimiliterq; Magos & Magas, qui liberos ſuos ab ipſo ortu addicunt Satanæ, & deteſtandam parentũ imitantur vitam, naturæ diabolorum eſſe. Ac propterea Deus ſummam hanc impietatem abominatus, execrandæ maledictioni deuouit eos, qui Moleco ſemẽ offerebãt, minatus ſe ipſos è terra eradicaturum, vt Chananæos qui vſi fuerant his, eradicauerat: quorum ſemen ait Salomo eſſe à Deo maledictum. Hi enim perſępe liberos ſuos diabolo ſacrificauerant, viuos cremauerant, mactauerantq;: vt Maga Medæa fecit, ad occiſcendam filiam Creontis regis Corinthi, Iaſoni ſuo amatori nuptam. Siue ergo Dæmones e gratia illa deciderint, in qua creati fuerant, & immortales ſint (prout nos quidem ſtatuimus) ſiue propagatione (vt Hebræi volunt) multiplicati ſint, & Deus Satanam malignum fecerit, deſtruente ac perdente illo generatio in cor-

Geneſ. 6.

Leuit. 20.

Sapient. 3.

ruptionem ſuccedens continuetur in hoc elementari mundo: non eſt propterea ferendum ęquis animis, & accipiendum iſtud, eſſe iniquitatem in Deo: neque illud quod Manes Perſa, Manich. autor, affirmabat, duo principia inter ſe poteſtate & origine ęqualia ponenda eſſe, vnum boni, & mali alterum: quod tamen à ſe dicebat poni, vt abſurdum iſtud declinaret, ſi fateamur ſatanam natura malignũ à Deo creatum eſſe, malum igitur à Deo prouenisſe: ſin autem perfectum, non potuiſſe igitur peccare, & in ſceleſtam deprauatamque naturam degenerare. Hęc enim hęreſis ſupra omnes quę vnquam extiterunt, abominanda eſt, eamque deſtruit D. Auguſtinus hoc argumento, quod malum nihil ſit aliud quam priuatio boni: cum tamen in ratione iſta non poſſint illi conquieſcere, quibus æque vitia ac virtutes ſunt habitus & æque actionib. diſpoſitionibuſque comparãtur. Omnia verò Manichæorum argumenta, velut ſucciſa radice, corruunt, ſi obſeruabitur quod Dionyſius ait libro de diuinis nominibus, in mundo nihil nõ bonum eſſe, nihil fieri quod non ſit bonum aut per ſe aut relatione: vt optime Magiſter ſententiarum tradit. Quemadmodum enim plantas fecit Deus his venenatas, illis ſalutares: & ſerpentes quoque ipſi ac viperæ (quas Manichęi à diabolo creatas iudicabant) componendæ theriacę, pharmaco omnium pręſtantiſſimo, ſanandęque elephantiaſi, & immedicabilibus morbis ſunt vtiles: ita etiam

de actio-

de actionibus illis dicendum eſt,quę per ſe ma-
ę ſunt,per relationem bonę.Verbi gratia : Prę-
lo cum viatorem occidit, prędę cauſa indignũ
ommiſit facinus atque capitale: fortaſſe verò
ieſciuerit parricidam à ſe interfectum fuiſſe,
ut hominem Deo charum ex calamitatibus
ſtius vitę liberatum:vt in libro Sapientię oſten-
lit Salomo: itaque Deum quidem ipſo vſum
ſſe adminiſtro, ſe vero propter idem factum,
t prædonem perueſtigari, præhendi, pœnas
uere certiſſimo iudicio Dei, ac poſtremo glo-
iam Deo tribuere. Iubebat quidem Pharao,
nares Hebręorum vt naſcebantur, occidi: ve-
untamen Deus in Scriptura dicitur induraſſe
ſum, rebellemque ſibi effeciſſe, vt illuſtrare-
ur potentia Dei, quæ alioqui tanquam ſepul-
a latebat, & prædicaretur in vniuerſa terra.
Quamobrem docet Salomo, improbum non
aro efferri atque educari,ſolum vt ſeruiat glo-
æ Dei,in die vindictæ. Quicquid enim hic ge-
tur, tandem oportet cedere in Dei glori-
n. Atque hac quidem in re innoteſcit maxi-
e iuſtitia Dei,& ſapientia ex turpiſſimis ho-
inibus laudem ſuam, & ex crudeliſſimis ſce-
ratorum factis, dum exequitur vltiones ſu-
s, gloriam eruentis. An ergo faciendum eſt
alum, vt ex eo eueniat bonum? Hoc argu-
ento Paulus ad Romanos in eadem cauſa vti-
ur: deinde vero ſubiicit, damnationem eo-
m iuſtam eſſe qui ſic loquuntur. & ſer-
onem concludens, ab admirabili Dei ſapi-

Rom. 11 entia exclamat: O altitudo diuitiarum ſapientiæ & ſcientiæ Dei, quàm incomprehenſibilia ſunt iudicia eius? Lutetiæ nuper vir quidam nobilis per falſos teſtes, nec infirmatos, euictus hominem quem nunquam viderat, occidiſſe, vbi animaduertit ſe Areſto Curiæ condemnatum, & mox ad necem rapiendum eſſe, patrem à ſe veneno ſublatum confeſſus eſt, cuius rei teſtes ſunt quàm plurimi. Infinita ſunt exempla ad manum, & omnibus cognita: ſed mihi ſufficit breuiter indicaſſe, non debere quemquam Deo, velut iniuſto, illud vitio vertere, quòd Satanam creauerit ad perdendum, aut Angelos ſiuerit concidere. Perinde enim illud fore, ac ſi quis emiſſaria, cloacas, latrinas, & alia ſordium conceptacula, in elegantiſſimo quouis palatio neceſſaria criminetur. Quicunque autem laborat, vt calumniis Deo imputet malum quod ineſt mundo, is proculdubio horribiliori maledictioni deuouebitur, quàm illa Chananis fuerit, cuius pater Cham ludificatus fuerat pudenda Noë parentis ſui, quę fratres ipſius auerſa facie contexerunt. Atque hæc quidem cauſa eſt, cur poſt narrationem creati mundi, elegantia, amplitudine & perfectione admirabili, dicat Scriptura ſancta, Deum vidiſſe quicquid fecerat pulchrum eſſe, bonumq; valde. Etenim cloaca mundi, eſt minutiſſima hæc elemẽtaris mundi particula vbi verſamur, quã Proclus Academicus non dignatur particulam mũdi, ſed appendicem aut apoteleſma appellare. &

ἐν τοῖς λόγοις περὶ κόσμου.

mare

mare ipſum terraq; (ſi cum cœlo cōparaueris) nihil eſt niſi punctū quod ſenſu vix perceperis: vt à Ptolemæo optime demōſtratur. Verumtamen in hac cloaca, fœtorem & malum iſtius mundi continente, elegantia Dei opera & admirabilia exſtant. Sicut autem Deus, qui ſolus natura ſua bonus eſt, neq; errare poteſt, neq; rē vllam à natura non bonam committere: ſic etiā diaboli, ſi natura maligni ſunt, nequeūt rem vllā facere quę ex ſe bona ſit: ſin autem nō ſunt à natura mali, poſſunt benefacere, vt Angeli poſſunt errādo & offendendo malefacere. Dicitur enim Sol immundus in cōſpectu Dei, & iniquitatē in ſuis Angelis Deus inuenire; & alibi Angelus ad Lotum: Si peccauerimus, non cōdonabit iniquitatē noſtrā. Veteres porro vno conſenſu docēt, Angelos partim ad cœlorū motum cœleſtiumq; luminū, & agitationem naturæ fuiſſe inſtitutos, partim ad imperiorū & rerum publicarū conſeruationē, (hos Pſellus & Porphyrius κοσμάγους vocant) & ad hominum moderationem, partim vt Deum ſingulariter colant & celebrent: etſi omnes ſimul in gloriam & laudationem Dei certum eſt conſpirare. De malignis vero ſpiritibus, hi quoque gloriæ Dei inſeruiunt, tanquam ſupremæ illius iuſtitiæ adminiſtri & carnifices, nihil efficientes, niſi iuſta permiſſione illius. Quamuis enim maligni ſpiritus quicquam non faciant boni, niſi per accidens, & vt maius aliquod malum ex eo conſequatur, vt ſi ęgrotum curent, ſuæ religioni obſtringendum:

Iob. 4.

Geneſ. 19.

dum: tamen certo certius eſt, nunquam paſſurum fuiſſe Deum, vt malum vllum committatur, niſi hoc conſilio fieret, vt in maius aliquod bonum redundaret: vt Auguſtinus docuit ſanctiſſime. Hic autem definitionem Dæmonum, quæ apud Apuleium exſtat, Magorum ſui temporis facile principem, definitionem igitur iſtam ſequutus eſt: *Dæmones ſunt genere animalia, ingenio rationabilia, animo paſſiua, corpore aerea, tempore æterna.* Vbi vox, *Æterna*, pro perpetua aut diuturna ſumitur: ſicut in Scripturis perſæpe. Nam Deus vnus æternus eſt, principio carens, & nunquam ſortiturus finem: ſiue (vt Eſaias loquitur) fuit ante omnia, & poſt omnia futurus eſt. Quod autem Dæmonas eſſe tradit corpore aereos, id vero ſpirituum (qui puræ intelligẽtiæ ſunt) naturæ aduerſatur. Sed Dæmonas non eſſe puras intelligentias, placet Academicis. Hebræus Philo in locum Numerorum, Diuiſit Deus de ſpiritu qui erat ſuper Moſen, in electos ſeptuaginta duos, ita eſſe ſcribit, vt eſt in lumine. Potius fuerim dicturus, è ſubſtantia quinta exiſtere, vt de cœlo dicitur: ad declinandum illud ἄτοπον, de corruptione ſpirituũ, quod conſequuturum eſt, ſi elementares dicãtur eſſe. Hanc enim vnicã ob cauſam defendit Cicero, non eſſe illos ex elementis cõſtitutos. Apuleius, ſint ne Dęmones boni an mali, diſſimulat. Quãquã apud veteres illud obtinuit, alios ex eis bonos eſſe, alios malos, & indifferentes alios. Inter Chriſtianos Pſellus, inter Academicos Plo-

tinus

tinus, & Iamblichus inter Ægyptios, ponũt tres differentias, omneiſq; in vniuerſum Dæmonas ſex locis collocant, in cœlo, in ſumma aeris regione, in regione media, in aquis, in terra, & ſub terra. Nos autem definitioni Theologorũ inſiſtemus, omnes Dæmonas malignos eſſe. Enimuero ferri non poteſt, vt conſtitutio illa indifferens in natura intelligente ſtatuatur: cum ipſi quoque veteres duo iſta ſolum epitheta Dæmonum vſurpauerint, εὐδαίμων, & κακοδαίμων. His ita conſtitutis de origine, natura, & qualitate Dęmonum vel diabolorum, via ad primum noſtræ definitionis caput munita eſt: vt diabolorũ actiones cognoſcamus, & diabolicos modos, quibus ad labefactãdum homines abutuntur. Huic autem capiti neceſſe eſt ſocietatem & fœdus cum Dæmonibus anteire. Videamus ergo poſſintne vnquam fieri, vt hæc ineatur conſociatio.

CAPVT II.

De ſpirituum cum hominibus conſociatione.

NVlla rerum poteſt eſſe ſocietas atque coniũctio, niſi ſimilium, aut quibus aliqua inter ipſas eſt cõuenientia. Apes ſocietatem inter ſe ineunt, propter ipſarum inter ſe ſimilitudinem, vt ex ſocietate mutua vtilitatem capiant: formicæ quoque, & ſi qua ſunt in animalibus ad ſocietatem apta. Lupis autem cum ouibus (quibus impreſſit Deus ἀντιπάθειαν quandam,

dam, & ἀσπόνδους inimicitias ac capitales indidit) proiectis ad omne ſcelus cum ſanctis hominibus ſocietas non poteſt conſiſtere, neque Angelis cum Dæmonibus. Inter homines verò inueneris qui nec boni ſunt, nec mali: ſed ita ſe his & illis accommodant, vt de homine non ineptè ſtatueris, intelligentem ipſius animam inter Dæmonas & Angelos, tanquam in medio poſitam. Deum enim Opt. Max. videmus res omneis à natura conſtrinxiſſe mediis, quæ ſuis extremitatibus reſpondeant, & in rebus intelligentibus, cœleſtib. atque elementaribus harmoniam mundi certis mediis & adamantinis vinculis compegiſſe. Quemadmodũ autem, ſi contrarias voces mediis non temperaueris, concidit harmonia: ſic etiam fit mundo, & illius partibus. Contraria cœlorum ſigna, cõueniente cum vtriuſque ſigno colligantur. Inter lapidem & terram ſunt argilla & tophus, terræ metallorumq; intermediũ obtinent pyrites lapis, & foſſilia multa: inter lapides & plantas genera ſunt coralii, tanquã lapideſcentes plãtæ, quæ radices, ramos & fructus afferũt: inter plãtas & animalia habemus zoophyta prædita ſenſu, motu, & facultate ducẽdi vitã radicibus quæ ad lapides adhæreſcunt: inter animalia terreſtria & aquatica ſunt amphibia, vt fibri, lutræ, teſtudines, cãcri: inter aquatilia & volucria ſunt volantes piſces: inter alias beſtias & homines ſimiis & cercopithecis eſt locus: inter animantes brutas & naturam intelligentem, Angelos

puta

puta & Dæmonas, Deus hominem fecit mortalem corpore, immortalem intelligentia. Itaque homines ſancti, qui ſpreta mortali & terrena parte in id incumbunt, vt ſuam intelligentem animam adiungant Angelis, hi mundum intelligentem cum inferiore colligant, quod quidem tum primum factum eſt, quando in conditione gratiæ creatus eſt Adam, coniuncto pariter libero arbitrio, vt bonus aut malus exiſteret. Geneſ.4. Deut.30.
Atque hanc ob cauſam Hebræi tradunt, hominem poſtremum omnium à Deo creatum eſſe, adhibitis (inquit Philo Hebræus) Angelis: cum vt eum oſtenderet intelligentis naturæ eſſe participem, tum vt ſuperiorem mundum cum inferiore compingeret. De cæteris enim animantibus, dicitur aquis præcepiſſe Dominus, vt volucres & piſces producerent: terræ, vt animantes alias: de homine vero minime, vt qui medium quodammodo vinculum inter mundum intelligentem & aſpectabilem erat præſtiturus: quod vinculum inter Angelos perſtat & homines ſanctos, quorum precibus atque interuentu genus humanum fuit conſeruatum. Idcirco in Pſalmis Deus hominem feciſſe dicitur paulo minorem Angelis: hic enim voce Elohim non ſignificatur Deus, vt quibuſdam placuit: ſed 72. interpretes ἀγγέλυς reddiderunt, & Chaldæus מלאכיא ducta voce ab Hebræa מלאכים angeli, ad æquiuocum Elohim exponendum: & quod Marotus noſter dixit, Pſalm.8.

Tu l' as faict tel que plus il ne luy reſte:
——Fors eſtre Dieu.
id commodius fuiſſet dicturus in hãc formam,
Tu l' as ſi haut eleué de ſon eſtre
Qu' il eſt peu moins que l' Ange de ta dextre:

Lib. Pirke à both. & Hebræi Angelos pædagogos hominum nuncupant, ſicut homines paſtores dicuntur animalium. Quamobrem Plato, vt ab Hebræis illud didicerat, caprarum cuſtodiam dixit, non permitti capris, & beſtiarum beſtiis, ſed hominibus, hominum vero Angelis: Nos, inquit, ſicut oues, mira diuinorum paſtorum cuſtodia ſemper egemus. Cum itaque boni ſint Angeli, Diaboli vero mali, homines quoque liberum habere arbitrium: vt boni ſint aut mali: quemadmodum inquit in lege Deus, Poſui ante oculos tuos bonum & malum, vitam & mortem: elige ergo bonum, & viues. Et alibi dicitur euidentius: Deus poſtquam creauit hominem, permiſit eum libero arbitrio ipſius, & dixit ei: Si voles, ſeruabis mandata mea, & ſeruabunt te: ignem & aquam dedi tibi, potes manum in vnum aut in alterum immittere: habes bonum & malum, vitam & mortem, & vtrum voles, habiturus es. Vt autem oſtendatur, homini poſt peccatum Adæ liberum arbitrium non intercidiſſe, verba illa haberi in lege Dei, & Caino fuiſſe dictum, penes ipſum poteſtatem eſſe faciendi bonum aut malum. Quo in loco Moſes Maymonis inquit, idem ſentire Hebræos omneis, homini eſſe liberum arbitrium, de eo nihil dubita-

In ſympoſio Protagora, Politico, Critia, Legibus, & Epinomide.

Deut. 30.

Eccleſ. 15.

Genes. 4.

bitari: qua de re (inquit ille) laudetur Deus. Hæc illius verba. Itaque ſtat illa Theologorum ſententia, omneis ſpiritus aut bonos eſſe, aut malos, & alios ab aliis diſparatos. Quam ſententiam his verbis ſignificari volunt Theologi: Deus diuiſit aquas ab aquis, & ab hominibus interuallum medium occupari: eorum enim alii conſociantur Angelis, alii Dæmonibus: ſunt etiam, qui neque hos neque illos curent. Siue autem cum Angelis, ſiue cum Dæmonibus ſocietas & amicitia ineatur, ea principium habet à tacitis aut expreſſis conuentionibus, vt iiſdem verbis cum Auguſtino, Thoma Aquinate, & aliis Theologis vtamur. Sunt quidem homines, qui ſeſe nunquam τοῖς νοητοῖς contemplandis occupant, neque animum altius attollunt roſtro, tanquam ſues aut bruta animantia tranſigentes vitam, de quibus Scriptura: Lib. 5. Morhannebocin.

Non generi noſtro ſimiles, in bruta videntur Pſal. 94.
Degeneres, animamq; vomunt corpusq; ſepulchro.

Ac mihi quidem videntur cum ſpiritibus bonis aut malis nullo pacto conſociari poſſe, propter diſcrimen illud ampliſſimum, quod inter ſues iſtas intercedit, & ſpiritus, quorum incorporea & ſpiritalis eſt ſubſtantia. Qui autem ſuas cogitationes ad malum conuertens vltro ſe in eo occupat, huius anima, inquit Iamblichus, in diabolicam naturam degenerat, primum quidem tacitis conuentionibus, (vt poſtea dicemus) deinde expreſſis. E contrario autem qui bonis rebus ſtudens, animum ſuum ad Lib. 5. c. 30.

Deum,

Deum, bonum, virtutemque extulerit, ſi purgata per Dei gratiam anima ipſius in virtutes morales primum, tum etiam νοητὰς & ſpirituales incumbat, is cum Angelo Dei fortaſſe poterit eam ſocietatem contrahere, qua ab ipſo conſeruabitur, pręſentem ipſum ſentiet, eaſque res cognoſcet, quas ipſe iuſſurus & vetiturus eſt. Hoc vero pauciſſimis accidit, idque ſingulari Dei gratia & beneficio, quod Auerroes adeptionem intellectus vocat, in eo ſtatuens maximam felicitatem omnium: & Græcorum primus Socrates percepit, vt apud diſcipulum eius Platonem in Theage legimus: *Adeſt*, inquit, *mihi diuina quadam ſorte dæmonium quoddam, à prima pueritia me ſequutum.* Deinde vocem à ſe audiri addit, qua illud quod inſtituebat, faciendum ſibi non eſſe cognoſceret. Atque hoc quidem inter Hebræos frequenter accidiſſe, è ſacra Scriptura didicimus: quæ mille exempla proponit gratiæ ſingularis, qua Deus per Angelos adſtabat ſanctis, eos non obſcure per Angelos compellabat voce, aut ἀφώνῳ ſigno. Eorum autem, qui ſocietate cum ſpiritibus bonis coniuncti ſunt, gradus ſunt varii. Alios enim Deus adeo excellente ornabat Angelo, vt prophetiæ & prædictiones eorum ſemper eſſent certæ, nec vllo pacto eludi poſſent: prout de Moſe, Elia, Samuele, & Eliſæo dicitur. Aliorum vero prædictiones non vſquequaque valuerunt, ſiue hi ſpiritus illis imperfectiores eſſent, ſiue minus accommodatum ſubiectum. Nam quemadmodum

.um Sol non tam clare in terra quam in aqua eſplendet, neque tam in aqua turbida quam in lara, in agitata quam in ſedata: ſimiliter etiam urbatæ animæ, ac minus quietæ perturbatio- ıes, non capiunt tam commode claritatem, quę ːſt intelligentiæ. Diximus autem, ſingulare Dei donum eſſe, quando ſpiritum bonum immittit ei quem diligit, vt ab ipſo curetur, & in actionibus ſingulis dirigatur: quia fieri etiam poteſt, vt vir amans virtutis, & timens Dei, preces apud ipſum fundat aſſidue, neque tamen à Deo donetur ſpiritu, ſed ea ſolum ſapientia & prudentia, quæ fuerit opus: aut ſi forte Angelum bonum ad cuſtodiam ipſius addiderit, (vt Theologis placet, & Scriptura de eo loquitur, qui ſedet in latibulo Altiſſimi, ipſum præcepiſſe Angelis, vt cuſtodiant eum ambulantem in viis ſuis:) Angelum tamen Dei præſentem nec cernet, nec ſentiet. Sic quod Abraham Eliezeri dixerat, Geneſ.24. Deum præmiſſurum eſſe Angelum ſuum ad ducendum ipſum, id vere factum eſt: quanquam nihil amplius percipiebat Eliezer, quam puer aut demens aliquis, quos Deus ſæpenumero conſeruat Angelorum opera, alioqui infinita mortis diſcrimina quotidie incurſuros. Si cui autem Deus ſingulare hoc donum contulit, vt præſentem ſibi Angelum ſentiat, & diſtincte diſerteque cum ipſo communicantem, hic de maiore poteſt felicitate ſibi gratulari: de maxima vero, ſi prophetiæ donum habuerit, ſummum honoris faſtigium, quo homo poſſit conſcen-

ſcendere. Horum itaque numerus ſemper fuit pauciſſimus. Deo per deſertum populum ſuum deducente, erant quidem ſupra ſexcenta hominum millia vigeſimum annum ſuperantia, hanc vero gratiam ſeptuaginta duobus ſolum eſt largitus, & alio tempore ſolus Ieremias fuit gratia eadem pręditus, cui præcepit Deus, vt Barachiæ donum prophetię petenti à Domino, indicaret rem nimis magnam ab ipſo expeti. Huius communicationis Angelorum cum ſanctis exempla in Scripturis extant quamplurima. Non ſum neſcius, Atheos & Epicureos his velut fabulis reclamaturos, neque vero efficere ſtatui, vt iſti ſapiant: hoc tamen pro indubitato obtinuit apud omneis cuiuſcunque generis Philoſophos. Plutarch. in libello de dæmonio Socratis, & certiſſimam aſſerit ſpirituum cum hominibus conſociationem, & Socratem, virum optimum Græciæ iudicatum, narrat ſępe amicis dixiſſe, præſentem à ſe ſpiritum aſſidue percipi, qui & à malefactis & à periculis ipſum auerteret. Longa eſt Plutarchi oratio, & quantum quiſque voluerit, tantum de ea crediturus eſt. Ego vero confirmare poſſum, me ex homine qui adhuc viuit, audiuiſſe, ſpiritum quendam eſſe aſſiduum ipſius comitem, quem tum demum cœperit agnoſcere, cum annum ferme trigeſimum ſeptimum ageret: putare quidem eundem ſpiritum ſibi per totam vitam adfuiſſe, cum ex antecedentibus ſomniis, tum ex viſionibus, quibus fuerat præmonitus, vt certa vitia peri-

periculaque præcaueret: nunquam tamen ita percepiſſe plane, vt ab ea ætate fecerit. Hoc autem ſibi narrabat accidiſſe, cum prius non deſiuiſſet anno integro Deum orare ex animo veſperi & mane, vt bonum Angelum, futurum actionum ſuarum ducem, ad ipſum tranſmitteret: ſe ante & poſtquam orauiſſet, certum tempus in contemplandis operibus Dei occupauiſſe, binis interdum aut ternis horis conſidentem, vt meditaretur, volutaret animo, legeretque Biblia, & deprehenderet tandem, quænam ex omnibus religionibus tantopere controuerſis, cum veritate faceret: itaque hos verſus à ſe non raro pronunciatos eſſe:

Me Deus informa, quæ ſit tua ſancta voluntas, Pſal. 143.
Morigeraſque manus præſta, greſſuſque ſequaces:
Namque eris ecce Deus ſemper mihi: tramite recto
Spiritus ille tuus diuinaq; virgula ducat.

Se itaque improbantem eorum factum, qui Deum orant, vt in præcepta opinione confirmet ipſos, pergentem in oratione hac, & legentem Scripturas ſacras, apud Hebræorum Philonem reperiſſe in libro de Sacrificiis, virum bonum & integrum, ac purificatum à Deo, non poſſe vllum maius aut Deo gratius ſacrificium, quam ſui ipſius offerre Domino: obſequentem huic conſilio, animam ſuam Deo obtuliſſe: ex eo tempore (ſic enim ille mihi) ſomnia ipſi & viſiones monitorum plenas obueniſſe, modo huic aut illi vitio corrigendo, modo anteuertendo periculo, modo huic aut illi difficul-

tati

tati ſoluendæ tum in diuinis, tum etiam in humanis rebus: inter alia vero dormientem ſe viſum eſſe audire Dei vocem, dicentis, Seruabo animam tuam: ego ſum, qui ante apparui tibi. Poſtmodum quotidie ſub horam tertiam aut quartam matutinam ſpiritum pulſaſſe fores, ſe vero cum ſurgens aperuiſſet fores, vidiſſe neminem: ita perſtitiſſe ſpiritum vnoquoque mane, & niſi ſurgeret, excitaſſe. Tunc ſibi demum obueniſſe metum, cogitanti (aiebat ille) ſpiritum aliquem malignum eſſe: propterea non deſtitiſſe, neque diem vllum intermiſiſſe, quin oraret Deum, vt Angelum bonum ad ſe tranſmitteret, & ſæpe Pſalmos (tenebat enim memoriter pleroſque) ceciniſſe; tum ergo vigilanti ſeſe patefeciſſe ſpiritum, leniter pulſantem: quo die primum ſenſu percepit illum, & ſæpius tangentem vitreum baucalium: quo facto non parum fuit attonitus. Biduo poſt cum amicum quendam Regis Secretarium adhuc ſuperſtitem prandio excepiſſet, erubuiſſe illum, vt audiuit ſpiritum ita cædentem ſcamnum quod adſtabat ſibi, & fuiſſe perculſum metu, ſe vero dixiſſe illi; Ne timeto, nihil eſt: vt tamen hominem confirmaret, facti veritatem ipſi explicaſſe. Ab illo igitur tempore mihi confirmauit, ſpiritum ſemper ſibi adfuiſſe, & ſigno afficiente ſenſus monuiſſe: puta modo aurem dexteram feriendo, ſi quid mali faceret, modo ſiniſtram, ſi ſecus: ſi quis ad circumueniendum ipſum accederet, aurem dexteram fuiſſe pulſatam: ſiniſtram vero, ſi

vir

vir bonus, & ad rem bonam adueniret: ſi quid mali bibiturus aut eſurus eſſet, ſi quid facere cunctaretur, aut aggredi, ſignum item fuiſſe datum: ſi quid mali cogitaret aut inſtitueret, ſigno reuocatum eſſe: ſi quando Deum laudare Pſalmis inciperet, aut facta eius admirabilia eloqui, ſpirituali quadam vi auctum fuiſſe atque confirmatum. Atque vt inſpirata ſomnia à deliriis diſcerneret, quę ex inualetudine aut animi perturbatione ſolent incidere, ſe ſub ſecundam tertiamve horam excitari à ſpiritu, deinde redormiſcere, tum ſibi demum vera ſomnia de eo quod facturus aut crediturus eſſet, de iis quæ dubitabat aut quę ventura erant, obtingere: adeo vt ex illo tempore nihil fere ſibi acciderit, cuius non ſit præmonitus: nihil credendum dubitauerit, quin fuerit factus de eo certior. Se quidem quotidie à Deo petiiſſe, vt ipſum doceret voluntatem, legem, & veritatem ſuam, & vnum ex hebdomade diem occupaſſe (non autem Dominicum, propter luxum vitamque perditam, quam die illo dicebat agitari) legendis Bibliis, meditandis & expendendis rebus lectis, Deo cum voluptate laudando Pſalmorum laudibus quo die feriebatur, domo non exiuiſſe: Verumtamen in ſuis actionibus reliquis ſatis eſſe hilarem, lætoque animo: citabat enim ad hanc rem Scripturæ locum: *Vidi facies ſanctorum latas.* Quod ſi verſanti cum aliis contigiſſet non bonum ſermonem habuiſſe, aut diebus aliquot precari intermiſiſſet Deum, illico dormientem

fuiſſe monitum. Si librum malum legeret, fuiſſe librum percuſſum à ſpiritu, vt eum deponeret: Ab eo quod valetudini ipſius fuiſſet nociturum reuocatum eſſe, & in morbo curatum ſtudioſiſſime. Denique tam multa mihi narrauit, vt infinitum eſſet percurrere. Monebatur vero inprimis vt mane ſurgeret, idque hora ferme quarta, ſibi dormienti narrabat edi vocem, quæ dicebat: Quis primus oraturus ſurget? Narrabat quoque, ſæpe ſe commonefactum eſſe de eroganda eleemoſyna: quo plus erogaret, eo ſecundiores ſuarum rerum ſucceſſus percepiſſe. Cum inimici appetentes vitam ipſius, aqua vectum iri cognouiſſent, patrem ſibi per ſomnium fuiſſe viſum, adducentem equos duos, ruffum & album, ideoque curauiſſe, vt duo equi conducerentur, & quamuis de colore nihil indixiſſet, famulum duos illos ruffum & album adduxiſſe. Mihi autem roganti, Quid non aperte ſpiritum compellaret? hoc quidem à ſe reſpondit ſemel poſtulatum eſſe, repente vero ſpiritum tanquam malleo vehementer fores pepuliſſe, vt iſtud ſibi ingratum eſſe oſtenderet. Cæterum ſe à Spiritu, ne diu legat aut ſcribat, impediri, vt quieſcat animus, & meditetur ſolus, perſæpe ad ipſius vigilantis aures ſubtiliſſimam quandam vocem & ἀναρθρον pervenire. Quærenti etiam, An formam ſpiritus vidiſſet vnquam? reſpondit, ſe dum vigilaret, nihil vidiſſe vnquam, præter lumen quoddam valde clarum, in orbem ductum. Semel autem cum in extremo

agens

agens vitæ diſcrimine, Deum oraſſet ex animo, placeret ſaluti ipſius conſulere, & ſub diluculum dormitaret: ſuper lecto cui incumbebat, animaduertiſſe puerulum veſte alba in purpureum colorem inclinante, vultu formaque admirabili: hoc ille plurimum confirmabat. Iterum verſantem in graui periculo, & modo cubantem, à ſpiritu impeditum eſſe, qui non ceſſaret donec è lecto ſurrexiſſet, inſomnem itaque totam noctem in precibus conſumpſiſſe: poſtridie ſe mirabili ratione & incredibili carnificum manus effugiſſe: hoc facto, ſe dormientem audiuiſſe cum inclamaret vox, Iam dicendum eſt, qui ſedet in latibulo Altiſſimi. Ne plura, narrabat ille ſe in omnibus difficultatibus, itineribus, inſtitutis quæ aggreſſurus erat, conſilium à Deo petiiſſe. & quadam nocte cum benedictionem à Deo ſibi donari poſtulaſſet, viſionem dormienti fuiſſe oblatam, in qua ipſi benedicebat pater. Hæc de eo homine perſpecta placuit enarrare: vt oſtendam, non debere mirari quenquam malignorum ſpirituum conſociationem, ſi Angeli bonique ſpiritus, ſocietate huiuſmodi & frequentatione cum hominibus communicent. Quod autem narrabat ille aurem ſibi à bono Angelo pulſatam eſſe, idem optime Iobi 33. & Eſaiæ 50. oſtenditur. Hic enim, *Dominus*, inquit, *vellicauit mihi aurem diluculo:* vero longe apertius ſecretum hominib. peritis retigit, quo ſe paulatim Deus percipiendum ſenſibus exhibet. Similiter quod dicebat

ſe tanquam malleo pulſantem audiuiſſe : hoc primum legimus fuiſſe Prophetarum ſignum. De Manoha enim Iudicum libro legitur, cœpiſſe Angelum Dei pulſare ante ipſum interprete Rabbi Dauide, vbi vox לפעמי pulſare & ſonare, eſt à nomine פעמין tintinabulum aut tympanum denotante. An ſuus autem cuique bonus ſit Angelus, difficile eſt ſtatuere. Nam etſi peruetus hæc ſententia eſt, quod hi verſus Græci non obſcure docent:

Ἅπαντι δαίμων ἀνδρὶ τῷ γενομένῳ
Ἅπαυλός ἐστι μυσταγωγὸς τοῦ βίου. Id eſt:
Omni dæmon viro nato
Omnis eſt moderator vitæ, vel initiator.

contraria tamen magis videtur probabilis. Ete-
1.Sam.10. nim Saulem videmus, poſtquam benedictione per Samuelem conſecratus, turbam Prophetarum inſtrumentis muſicis ludentium in via offendiſſet, Spiritu Dei indutum eſſe, & ſe totum (ait Scriptura) ſenſiſſe commutari: proptereaque mandaſſe ei Samuelem, tum demum faceret quicquid ſibi in mentem venturum eſſet. I-
Num.11. tem cum dicitur Deus cepiſſe de ſpiritu Moſis, quem in ſeptuagintaduos homines diuideret, è ſexcentis millibus electos, & illi quieſcente ſuper ipſos Spiritu Dei prophetaſſe: facile ex eo colligas, Spiritum Dei nondum ipſis adfuiſſe: hunc autem Dei ſpiritum eſſe tanquam lumen, quod ſine ſui deminutione communicatur, & in perpaucis hominibus, idque non ſemper eſſe. Sic è diuerſo Spiritus Dei Saulem reliquiſſe,

&

&malignus Spiritus eum nonnunquam agitaſſe dicitur. Legati quoque ab ipſo ter ad Samuelem, Dauidem, alioſque Prophetas miſſi, à Spiritu Dei, ſimul ac prope aderant, occupati prophetabant, quin Saul ipſe eodem veniens vt illos comprehenderet, mortique traderet, à Spiritu Dei comprehenſus cœpit laudare Deum, & vaticinari: diſcedentem vero à Prophetarum turba Spiritus Dei reliquit, quem antea quoque Spiritus malus inuaſerat, adeo vt furioſus factus prophetaret. Sic in Scriptura paſſim prophetandi verbum in bonam & malam partem ſumitur: quia malignus ſpiritus, diuinorum miraculorum ſimia, conatur ea imitari, & quod res futuras nouerit perſuadere, quanquam fieri poteſt, (quemadmodum dixi) vt ab Angelo Dei homo ducatur & cuſtodiatur, quem Angelum neque percipiat, neque compellet νοητῶς ἢ αἰσθητῶς, intellectiue vel ſenſitiue: ſiue quod Angeli dignitate differant, vt de ſpiritu Moſis, Samuelis, Eliæque diximus, Prophetas reliquos longo interuallo ſuperantium, ſiue quod homo ineptus ſit percipiendæ ſpirituali intelligentiæ. De bonorum ſpirituum cum hominibus coniunctione ſatis: de hominum vero cum Diabolis conſociatione in hoc opere dicturi ſumus: ſed tenenda eſt prius bonorum ſpirituum à malis differentia.

1.Sam.19.

1.Sam.18.

CAPVT III.

De bonorum ſpirituum malorumq; differentia.

MAGVM diximus eum eſſe, qui diabolicis modis ad aliquid conatur pervenire, tum de conſociatione ſpirituum cum hominibus egimus: iam itaque cognoſcenda eſt horum ab illis differentia, vt filii Dei à Magis diſcernantur. Hoc enim perneceſſarium eſt ad pietatis ac religionis velum, laruamque luminis adimendam, qua non raro diabolus hominibus fallendis abutitur. Veteres Græci & Latini annotarunt eſſe bonos ſpiritus & malos: quorũ illos εὐδαίμονας, hos κακοδαίμονας, ἀλάστορας καὶ παλαμναίους, Latini Lemures appellabant: quod imperiti nõ poſſunt: Athei nolunt credere, Magi ad tollendam de ſe ſuſpicionem rident quidem in ſpeciem, ſed reipſa plus ſatis intelligunt. Docemur autem exemplis non paucis, in hoc diabolum incumbere, vt Dei effingat opera, prout de Magis Pharaonis legimus. Hoc quoque legimus, malignos ſpiritus olim, vt hodie ſolent, fefelliſſe duobus modis: vno aperto expreſſis pactis (hoc autem rudes & imperiti ſolum ac mulierculæ decipiebantur:) altero idololatria & religionis ſpecie, viris bonis ſtudioſisque circumueniendis accommodato. Ideoque Satanas vt ab adoratione veri Dei ad ſui adorationem homines abduceret, nolebat oracula reſponſaque edere, niſi per virgines, & eoſque in precibus orationibuſque ad Apollinem Deoſque ſimiles

Plutarch. lib. de oraculorum defectu.

ſimiles cum ieiuniis tempus tranſigerent. Atque hunc quidem ritum tam belle fouit Diabolus, vt in Occidentalibus Inſulis, antequam Hiſpani illis potirentur, fuerit compertum, Sacerdotes illarum gentium ieiunia maxima, preces, & ſupplicationes celebraſſe, Labaris idola circumgeſtaſſe, eorumque honores decantaſſe, tum occupatos à ſpiritibus malignis res mirabiles pronuntiauiſſe, quales in hiſtoriis Indiæ Occidentalis legimus: omnibus autem in vniuerſum vxores non eſſe, præterquam iis, qui peccata audiebant, pœnitentiam imperabant, & confeſſionem ſub graui pœna non audebant retegere: omnes perſæpe ieiunare, maxime ſi quando facienda meſſis aut bellum, aut Deus ipſorum, id eſt, diabolus conſulendus: vt autem vehementius raperentur, oculos occluſiſſe aut eruiſſe ſibi, cum ſacrificandi eſſent homines & omne genus animalia idolis ſuis: multa puellarum eſſe monaſteria, quas homines caſtrati naſo labiiſque præciſis aſſeruarent, indicta aduerſus inceſtam capitali pœna, vt Romæ Veſtalibus factum eſt: qui ambibant Sacerdotium, eos cum Sacerdotibus ſe in ſyluas albis veſtibus indutos vel candidatos abdidiſſe, vbi annos quatuor aut quinque tranſigerent, hoc facto cum literis teſtimonialibus (ſyllabas Imperatores vocant) abire ſolitos: Maximum Deum ab ipſis adorari Solem, quem vocant Guaca, & Paniacana Solis & Lunæ filium. Omnibus autem notum eſt, Amorrhæos aliosq; populos quos extermi-

nauit Deus has artes magicas exercuiſſe, hominesque diabolis ſacrificauiſſe, quos compellabant adorabantq; : inprimis vero Solem quem κατ' ἐξοχὴν Hebræa voce *Bahal*, id eſt, Dominum appellabant: vnde proceſſit nomen *Bahalzebub*, muſcarum dominus, eo quod nulla in templo illius muſca degeret, quemadmodum in Venetiano palatio nulla eſſe dicitur, & in Toletano vnica. Hoc autem nec nouum nec inauditum eſt: Cyrenæos enim legimus cum Acaroni Deo muſcarum ſacrificauiſſent, & Græci Ioui quem Myriodem quaſi dicas muſcarium nominabant, muſcas omneis vna nebula euolaſſe, vt narrat Pauſanias in Arcadicis, & Plinius lib. 29. naturalis hiſtoriç cap. 6. à Magis quoque certis carminibus omnes angues è regione vna abigi animaduertimus: non eſt igitur mirum ſi omnes muſcę à Satana horũ magiſtro abiguntur. Quod ſi certa eſt de Toletano Veneticoque palatio fama, omnino ſtatuimus idolum aliquod ſub palatii limine fuiſſe conditum, vt nuper in quodam Ægypti oppido (vbi non erant crocodili vt in aliis oppidis ſecundum Nilum) inuentum eſt plumbeum crocodili ſignum ſub ædis limine conditum, quam Mehemed ben Thaulon cremari iuſſit: quo nomine expoſtularunt incolæ dicentes ſe ex eo tempore à crocodilis grauiſſime infeſtari. Eadem ratione rex Iudææ Ezechias ſerpentem æneum comburi iuſſit, ne adorari poſſet. Extant libro tertio Moſis Maymonis Chaldæorum ſacrificia & ceremoniæ

moniȩ excerptȩ è libro Zeuzit (qui ceremoniarum illius gentis liber eſt) vbi ſacrificia, preces, ieiunia, ſaltationes, & ſupplicationes deſcribũtur illis perſimiles, quas Occidentales Indiæ tenuerunt: apud quos etiam Bahalis ſacerdotes erant Prophetæ ſeorſim degentes à mundo, colore fumido amicti (horret enim iſte color vt qui maxime) ex quo nominabantur Camarin. Quinetiam (quod magis miramur) Indi Occidentales de Sole ſeu Apolline idem ſentiebant quod Amorrhæi, Græci, & Latini ſenſerant, hunc Deum prophetiarum eſſe: quo argumento plane oſtenditur Diabolum prȩclarum iſtam ſcientiam omnes docuiſſe. Itaque Ochozias rex Iſraelis maximus ſua ætate Magus cum de feneſtra cecidiſſet, legatos in ædem Bahalis miſit victurusne à caſu eſſet conſulturos, quibus Elias cauſa itineris perſpecta obuiam venit & dixit, an Deus non eſt in cœlo quem conſulatis? Dicite Regi moriturum ipſum. Itaque nemini mirum videri debet, ſi Occidentales populi à Satana precum, ieiuniorum, ſacrificiorum, ſupplicationum, & prophetiarum ſpecie faſcinabuntur, cum Palȩſtinæ, Græciæ, & Italiæ populi hac religioni eſſent & nihil celſius cognoſcerent. Dixerit quiſpiam, non habuiſſe eis fidem ſapientiſſimos; ego vero ſummos Philoſophos video id pro re diuina certiſſimaque habuiſſe. Quis inter Philoſophos Platone diuinior? At cum Apollinis oraculum non deſtituram peſtem Athenienſibus reſpondiſſet donec altera

ipſius (quod omneis in partes quod ratum erat) fuiſſet duplicatum, & Plato ea tempeſtate Geometrarũ maximus aperta Phyſica & craſſa duplicandi altaris ratione dixiſſet Atheniẽſibus, Deo rem omnium quæ in Geometria ſint difficillimam & quę adhuc minime comperta fuerit poſtulaſſe, vt eos ab auaritia, ambitione, inhoneſtiſq; voluptatibus reuocaret, & ad contemplationem τῶν νοητῶν mirabiliumq; Dei operum pertraheret: diabolus maxime iſtius peſtis occaſione arrepta plurimum abuſus eſt, & amplificauit opinionẽ de diuinitate oraculi. Secũdus à Platone Iamblichus Ægyptius tẽporibus Iuliani apoſtatæ magnus ante omnes & ſumme diuinus eſt habitus, quem Porphyrius, licet Philoſophus κατ᾽ ἐξοχὴν dictus pro magiſtro agnoſcebat. Verumtamen in iſtius libris de myſteriis (quæ integra Romæ traducta atque impreſſa ſunt) non in Marſilii Ficini fragmẽto, videmus

Lib.3.cap.30. 32. & 34. illorum impietatem ab ipſo reprobari, qui ima-

lib.3. cap.24. & 37. gines & characteras ad vaticinandũ faciunt, affirmando prophetiã non eſſe naturale bonum,

Synesius περὶ ἐνυπνίων. ſed donum Dei maximum: à Deo enim ſolũ ad eos promanare quibus purificatæ ſunt animæ: reprobari quoq; illorum factum, qui Prophe-

lib.3.c.13. tię donum per δαίμονας παρέδρους. id eſt, Dæmonas aſſeſſores vel comites & conſiliarios (quos in annulis phialiſve geſtare ſolent) aucupantur:

lib.3. c.14. etſi prophetia comparari ait Hydromantia, Lithomantia, Actinomantia, Xylomãtia, Rabdo-

lib.3.c.17. mantia, Orneomantia, & Alphitomantia, miraturq;

turq; Deos ſe ita demittere vt in cibis diuinitatẽ ſuam dignentur collocare (quod Porphyrius in dubium reuocabat) & Deorum naturam in iſtis omnibus adorari iubet. Omnia autem hęc facta impia Deum videmus deteſtatũ eſſe grauiſſime, atq; nominatim iſtud vetuiſſe ne lapis imaginationis adoretur: quem lapidẽ Chaldęus interpres vocat adorationis, multi ſtatuam ἀπροσδιονύσως interpretati ſunt. Iamblichus pręterea, de quo iam habetur ſermo, ſcribit animã interdum extra hominem ſic rapi diuinitus, vt corpus maneat ἀναισθητὸν, neque ictuum neque punctionum ſentiens: interdum vero corpus animamq; exportari, quod genus appellat ἔκστασιν: atq; hoc Magorum cõmune eſt qui expreſſis pactis cum diabolo coniuncti ſunt, vt modo ſpiritu deportentur dum ſenſus corpus fugiunt, modo corpore ſimul & ſpiritu, cum nocturnos cœtus obeunt, vt quæſtionibus infinitis (de quibus poſtea dicturi ſumus) fuit cõprobatum. Hic tamen animaduertens malignos ſpiritus ſubire bonorum locum, θεουργίαν dixit & ſacrificia indigne facta diſplicere diis, tũ demũ malignos ſpiritus ſe hominibus loco deorum exhibere: qua occaſione Porphyrius, quãuis Chriſtianorum hoſtis infenſiſſimus, eo adductus eſt vt Deos omneis veterum eſſe κακοδαίμονας & malignos ſpiritus affirmaret. Atque hic quidẽ Iamblichus, qui de iſtis rebus, quam accuratiſſime potuit, diſſerebat, ea tempeſtate ſanctiſſimus vir omniumque maximus habebatur,

Leuit. 26.

lib. 3. cap. 2. & ſequent.

tur, adeo vt Iulianus apoſtata literis quas ſæpe ad ipſum mittebat inſcriberet, Magno Iamblicho: ſed poſtquam ipſe cum aliis tentauit Alectryomantia cognoſcere quis poſt Valentem imperio potiturus eſſet, Imperator Valens de quatuor literis θεοδ. à gallo gallinaceo exaratis factus tandem certior morti addixit Magos innumeros, & Iamblichus veneno ſibi ademit vitam vt ſupplicium effugeret. Verum vt demonſtretur induſtrios quoſque & ſanctos viros non raro deceptos eſſe à ſpecioſo illo pietatis prætextu, qui plurimum in rebus magicis poteſt: ſuo loco poſtea exponemus, vt ad dæmonũ inuocationem à ſceleratiſſimis Magis noſtra memoria vſurpatam orationes, ieiunia, cruces, hoſtiæque ſoleant ab ipſis ad ſuum ſcelus occupari. Sic non ita pridem quædam Bleſenſis Maga faſcinatam mulierem & decumbentem curatura mandauit vt media nocte Miſſa S. Spiritus in æde S. Mariæ virginis auxiliatricis caneretur, deinde poſtquam toto corpore incubuiſſet ægrotæ & occentaſſet voces aliquot, ſanata eſt (quam ceremoniam à Satana mulieri traditam fuiſſe conſtat exemplo Eliæ Prophetæ, qui Sunamitidis potentia Dei è mortuis ſuſcitauit.) Sed poſt duos menſes eadem mulier, quæ curata fuerat, in morbum relapſa, obiit, & conſulta de ea re Maga reſpondit ſe plus ſatis loquutam eſſe, vt Harduinus Bleſenſis hoſpes ad Leonis inſigne mihi expoſuit: ſortes enim à malefica quæ hanc incantauerat in alteram dixit coniectas

ctas eſſe, quod Magorum omnium medicam artem fingentium commune eſt, vt poſtea dicturi ſumus. Et Magorum ὑπερασπιστὴς poſtquam orbes & nefarios characteras (quos hic de induſtria omiſſuri ſumus) ad inueniendum theſauros poſuit, fodiendo ſcribit Pſalmos dicendos eſſe; *De profundis*, *Deus miſereatur noſtri*, &c. *Pater noſter*, *Aue Maria*, &c. *à porta inferi*, *Credo videre bona Domini*, &c. *Requiem æternam*, &c. & legendam Miſſam: Item vt aliud quippiam quod reticebo conſequantur, inſcribi quatuor tabulis membranæ puræ; *Omnis ſpiritus laudet Dominum*, & ad quatuor parietes domus ſuſpendi: ad alia quoque ſcelera quæ nolo ſcribere Pſalmum centeſimum octauum pronuntiari. Quinetiam Hiſpani & Itali regionem Belgarum adituri anno M. D. LXVII. amuleta ſortilegiorum plena & ſibi tradita geſtabant, vt tuti ab omnibus malis eſſent. Germani quoque nonnulli induſium neceſſitatis portant forma execrabili, quā nihil opus eſt deſcribere, & crucibus vbique figuratum: & Magorum princeps indignus cuius hic apponatur nomen, ad malignorum ſpirituum inuocationem prius ieiunari mandat, & S. Spiritus miſſam accurari. Quapropter difficile eſt Magos retegere & à viris bonis diſcernere, ſed olim difficilius quam noſtro tempore: etſi omnes populi omneſque Philoſophorum ſectæ Magos condemnarunt, vt Auguſtinus inquit, ſectus omneis Magiæ pœnas decreuiſſe, & Seruius apud Romanos narrat horrori ſemper fuiſſe.

lib. 18. de ciuit. Dei.

fuiſſe Magos & incantatores, quod ex legibus 12. tabularum & Pandectis conſtat: cum tamen omnia oracula quæ pro ſanctiſſimis habuerunt plane eſſent magica, vt ante diximus, & poſt amplius declarabimus. Si quis igitur affirmet bonorum ſpirituum & malignorum ſignum ex operibus bonis aut malis petendum eſſe, verum quidem dixerit: ſed in circumſcribendis bonis operibus res tota vertitur. Nam vtcunque ieiunia, preces & orationes, caſtitas pudicitiaque, ſolitudo, contemplatio, ægrotorumque curatio res per ſe bona ſint: ſi tamen propterea fiunt vt honor Satanæ idolo ue habeatur, vt de rebus præteritis aut futuris oracula cognoſcantur, hæc vero opera non iam bona ſed deteſtabilia, damnanda, & diabolica cenſeri neceſſe eſt. Veteres autem hiſtoriæ docent hæc ab iiſdem Ethnicis fuiſſe facta à quibus faſcinatores & qui elementa (vt lex ait) turbant fuerunt condemnati: eadem Amorrhæos feciſſe, Indoſq; ſimiliter. Ac horum quidem Magorum nonnulli fuerunt voluntarii: ſed verum certumque indicium tangendis & cernendis Magis ſpiritibuſque bonis & malis inter ſe diſtinguẽdis Lex Dei exhibet, nam lege Dei omnes ſortes ſeueriſſime prohibentur, & varia illarum genera adducuntur, vt alia quoque ſimilia ſtatuamus eodem iure prohiberi. Neq; vero Ioſephi dictum libro Antiquitatum 8. oportet accipi, artem coniurandi malignos ſpiritus à Solomone repertam eſſe: cum enim res longe minores de eo

ſcriptæ

l. item iubeo. 3. ſi quis aſtrologus. de ieiu. toto tit. de maleficis & math. l. ſi quis aliquid, de pœnis. ff.

l. 6. de malefic. C.

Deut. 18.

ſcriptæ ſint, & in omnibus eius ſcriptis ne minimum quidem iſtius artis veſtigium exſtet, nõ eſt credibile Scripturam fuiſſe illud diſſimulaturam: niſi forte quiſpiam voluerit Solomonem illorum deteſtabilium librorum autorem facere, quos inſcriptos Magi circumferũt ipſius nomine. Potuit vero ſic Ioſephus decipi vt Iamblichus deceptus eſt. Narrat enim Eleazarum quendam Iudæum coram Veſpaſiano Cæſare annulo nares cuiuſdam dæmoniaci attigiſſe, malignumq; ſpiritũ vi radicis annulo incluſæ, quam à Solomone monſtratam aiebat, abegiſſe. Quod genus erroris pernicioſiſſimum eſt ac ſceleratiſſimum, licet multi ſquillã eſſe opinentur, & malignis ſpiritibus arcendis ſoleant præ foribus ſuis ſuſpendere. Conſtat enim puluere quodã in ouile per Magum iniecto perituras oues, niſi auertat Deus: & quemadmodũ faſcinata pecora hominesq; interdum per Magos adminiſtros ſuos reſtituit Satanas (ſed ea lege vt ſortes in alium transferãtur ne quicquam ſibi intercidat, vt poſtea demonſtrabimus) ſic etiã è dæmoniacis malignos ſpiritus ſæpe eiicere, arteſque diabolicas ad iſtud facinus effingere. Sic iſte de quo Ioſephus narrat faciebat annulo, cui nõ radix inerat ſed malignus ſpiritus, cuius facultate aut colluſione potius alter ſpiritus exibat, vt fides Magiæ & idololatriæ, qua imperitos ludificatur Satanas, haberetur. Signis autem dixerit luporum morſus lupos non petere, nec malignos ſpiritus à malignis pelli,

huic

huic reſponſurus ſum non tam hac arte diuidi regnum Satanæ, quam confirmari, & his miraculis ſtabiliri fouerique idololatriam. Neque abſonum eſt illud Auguſtini, Diabolos à diabolis pelli etiam que euerti, vt improbi fere non euertuntur niſi improborum opera per voluntatem Dei dicentis apud Ieremiam, *Vlciſcar inimicos meos per inimicos meos.* Etenim ſi boni ſæpe bello petunt bonos, multo magis improbos appetunt improbi, diaboloſque diaboli. In Daniele autem legimus Angelos imperiis & regnis præeſſe, bellaque inter ſe gerere: Angelus enim Dei Danieli dicit Angelum Michaelem Hebræorum principem contra Angelum Perſarum ad auxilium ſuum aduenîſſe: ſed de huius loci interpretatione ſapientes viderint. Sic Deus in cœlo diſpoſuit contrarios ſtellarum planetarumque motus & effecta, ſic contraria elementa, ſic antipathiam hinc, illinc ſympathiam in vniuerſitate rerum, qua contrarietate & ſuaui concertatione harmonia mundi continetur. Iſta autem bonorum ſpirituum & malignorum confuſio ex illo nouorum Academicorum axiomate profecta eſt, Cœlum cum terra copulari oportere, virtuteſque cœleſtes cum terreſtribus, & alia aliis coniungi, vt vis diuina elementaribus pariter ac cœleſtibus modis attrahatur. Hæc Procli, Iamblichi, Porphyrii, & aliorum Academicorum hypotheſis: qua magiſter ille artium diabolicarum fretus, cuius libri cum magnificis priuilegiis excuduntur, fundamento hui*

Daniel. 10.

to hui*

to huic ſuperſtruxit omnes ſortes & diabolorum inuocationes, quæ cum priuilegiis principum, peſtilentiſſimo Rerumpubl. exitio, vbiq; excudunt ur. Componit enim characteras proprios dæmonum planetas ſingulos (vt ait) moderantium: hos characteras in metallum planetæ cuiuſque proprium eodem momento incidi iubet, quo planeta in ſua domo & exaltatione verſatur cum aliqua ſignorum coniunctione grata: atque tum præſto eſſe plantam, lapidem, & animal Planetę deſtinatum: ita planetæ huic ſacrificari omnia: interdum vero planetæ imaginem &, Orphei Magi hymnos adhiberi: quibus hymnis plus ſatis Mirandulanus hæſit ſpecie Philoſophiæ, cum ait hymnis Orphei non minorem vim ineſſe ad Magiam, quam hymnis Dauidis ad Cabalam (de qua dicemus ſuo loco) & à ſe primum gloriatur arcanum hymnorum Orphei, qui Medeæ maleficæ magiſter erat, fuiſſe reuelatum. Quin hymnos iſtos ad honorem Satanæ factos fuiſſe cernimus, quo ſpectant illa Pici verba: Fruſtra naturam adit qui Pana non attraxerit. Hac eadem ratione iſte Magorum magiſter diſcipulos ſuos in omni idololatria, impietate, artibusq; magicis informauit. Etſi quod illi Academici ignoratione per errorem ſine dolo malo & bona fide rem bonam arbitrati faciebant, eo per deteſtandam impietatem Agrippa abuſus eſt: fuit enim quamdiu vixit Magorum ſui temporis maximus, quo defuncto ſcribit Paulus Lib. elegiarum.

lus Iouius &complures alii canem atrum (quem ille vocabat dominum) è cubiculo illius exeuntem fuiſſe viſum, qui ſe in Rhodanum immerſerit, neque ab eo tempore comparuiſſe. Verum lex Dei proſpiciens ſapientiſſime eorum impietatibus, qui inferiorem mundi partem ſuperiori volunt coniungere, & connubio mundum ſociare (vt Picus ait impietatem maximam ſpecioſo tegens velamine) & herbarum, animantium, metallorum, hymnorum, characterum, ſacrificiorumq; opera Angelos & Deos primum minorum gentium, tum per hos Deum maximum creatorem omnium adducere. Deus igitur ipſe impietati huic occurſurus diſerte videtur vetuiſſe, ne qui gradus fierent ad conſcendendum altare ſuum, ſed vt ad ipſum recta adiretur præcepiſſe: quod dictum Platonici non ſatis aſſequuti, Dęmonũ inferiorum & Semideorum opera ſuperiores Deos perducendos eſſe, horumq; opera conſimiliter ſupremũ Deum. Ex his igitur Platonicos & alios Ethnicos ſtatuimus fuiſſe quidem idololatras, qui ſimplice animo per ignorationem Iouem adorauerint ſupplicauerintq;, Saturnũ, Martem, Appollinẽ, Dianam, Venerem, Mercurium, & alios Semideos, viuendo ſancte, orando, ieiunando, quæuis iuſticiæ, charitatis, & pietatis facta exercendo: ſed Magos neq; hos eſſe credimus, neq; eos qui errore pari detinentur, quamuis res futuras diabolicis modis conati ſint prænoſcere, quia rem Deo gratã à ſe fieri exiſtimauerunt. Quamobrem

Exod. 20.

obrem etiam has voces, *ſciens prudens*, in definitione Magi poſuimus. Sed quiſquis notitia legis diuinæ præditus intelligit omnibus iſtis diabolicis diuinationibus interdictum eſſe, & iis tamen ad aſſequendum aliquid vtitur, hic Magus dicendus eſt. Certiſſimum igitur notam internoſcendæ bonorum ſpirituum à malis, & pietatis ab impietate differentiæ ſitam eſſe in eo animaduertimus, vt perſpiciatur ſi forte res creatæ Creatoris loco ad conſilium adipiſcendum adeuntur. Sed quia plerique in prædictionum argumento falluntur, & bona pro malis non infrequenter accipiuntur, nunc de prædictionibus præſagiiſq; videamus.

CAPVT IV.

De prophetia aliiſque diuinis modis ad res occultas cognoſcendas.

DIuinum Græci appellant μάντιν ἢ μαντὶν παρὰ τὸ μαντεύεσθαι, id eſt, diuinare, vel vaticinari: quod genus hominum quia fraudibus mendaciiſque circumfluit, mendacem hominem Galli appellāt *Menteur*, vt mihi quidem videtur, παρωνύμως. Latini diuinum vocant, inepte Magis nomen præſtantiſſimū æque ac Prophetis dantes. Illud autem eſt à voce μαντεία, quaſi μανεία quædam dicta, quia Diuini faſcinati & à maligno ſpiritu poſſeſſi furebant plurimū: neq; enim Pythias ſacerdos diuinabat niſi furore ageretur. Quapropter etiam Herculeus morb' appellatur ſacer, q̄a abrepti Magi ſimiles

Cic. lib. de diuinat.

ſunt hominibus ex eo morbo laborantibus. Hebræi diuinos primum *Videntes* nominauerunt: vt cum Saul amiſſis aſinabus diuinũ con-
1. Sam. 9. ſulturus de iis quæreret, Samuel Videns eſſe dicebatur: idem drachmam argenti quam videnti traderet à ſuo comite poſtulauit: & Samuel ro-
1. Sam. 10. ganti eſſetne *Videns* ſe eſſe reſpondit; nondum
Ierem. 26. enim ait Scriptura, *Videntes* נביאים id eſt, Pro-
Zach. 13. phetæ dicebantur. Eſt autem hoc nomen à verbo נבא, quod plurimum paſſiuæ coniugationis eſt, vt oſtendatur veram diuinationem à Deo percipi. Græcum autem προφητεία prædictionem ſignificat, ſiue in bonam partẽ ſiue in malam acceperis. Quod vero eos qui pulueribus & pingui vtuntur appellamus Magos, hoc ſcite cũ veteribus diſtinguẽs Ariſtoteles vernaculo ſermone Magos dixit τοὺς περὶ τὰς φαρμακείας, & Magos φαρμακίδας, vt videre eſt libr. 6. cap. 18. & lib. 9. cap. 17. hiſtoriæ animalium, cum hippomanes ſcribit ὑπὸ τῶν φαρμακίδων vſurpari. Verum vt cognoſcatur quænam ſit licita & quæ illicita diuinatio, omnem diuinationem ſtatuemus aut diuinam eſſe, aut naturalem, aut humanam, aut diabolicam, & de his quatuor generibus dicemus ordine. Prima ergo quia à Deo extra ordinem proficiſcitur præter naturaleis cauſas, diuina dicitur. De hac exſtat teſtimonium Dei
Num. 12. dicentis: Si qui Propheta fuerit inter vos, ego viſione appariturus ſum ei, & cum eo loquuturus ſomnio: De Moſe vero ſeruo meo fideli præ omnibus non ſic futurum eſt, nam ego facie

cie ad faciem ipſum alloquar. Quem in locum Hebræi annotant Prophetiam eſſe munificentiam opera Angeli aut actiuę intelligẽtiæ à Deo collatam rationali primum animæ, deinde imaginationi, hinc Moſis ſolum prophetiam excipi oportere, quam Moſi Deum immediate alloquenti ſine alio modo traditum affirmant, idque vigilãti, atque hoc ipſum ſignificari cum Moſi dicit Dominus, Apparui quidem Abrahamo, Iſaaco & Iacobo nomine meo Schadai, ſed magnum nomen meum Iehouah non expoſui eis. Item ſub finem Deuteronomii, cum dicitur nunquam fuiſſe Propheta ſimilis Moſi, qui Deum facie ad faciem cognouerit. Quoſcunq; igitur ſermones in Scriptura Deus cum Prophetis habuit, per Angelos aut intelligentias ſomniis & viſionibus fuerũt traditi: ac propterea Hebræorum Theologi, à quibus Prophetarum doctrina quaſi per manus accepta eſt, omnia ſomniorum viſionumq; diuinarum genera diligenter expenderunt, quæ Auguſtinus breuiter formis quinq; complexus eſt, cõprehenſis puta humanis ſomniis, quæ neq; huius loci ſunt, neque vllius pretii, vt in Eccleſiaſtico legimus. Nam eorum ſolum ratio habẽda eſt quæ diuinitus immittuntur: etſi omnia voce Hebræa חלם & Græca ἐνύπνιν contenta ſunt, vt viſa Hebręi מראות, Syneſius τὰ ἀναφθεάματα, Latini viſiones appellarunt. Inter hæc autem duo differentia inſignis interuenit: primum à perceptione vtriuſq;. Etenim diuinum ſomni-

R. Moſes Maymonis lib. 2. more nebocim.

Exod. 9.

R. Moſes Maymonis lib. 3. more nebocim.

Libri περὶ ἐνυπνίων.

um à dormiente percipitur, viſio à dormitante, idq; impreſſione viua imaginationi adhærente, quæ inſtituendis hominibus res perinde exhibet ac ſi præſentes oculis cernerentur, itaq; hęc ab humanis & brutis ſomniis plurimum diſcrepăt, quibus nihil aliud ineſt quam naturalis impreſſio ita ad imaginationem accedens, vt antea res à vigilantibus fuerunt viſæ. Modus autem diuina conſequendi ſomnia & ad celſum illum prophetiæ gradum aſſurgendi eſt, ſi primum omnis arrogătia & κενοδοξία deponatur, & ab inhoneſtis voluptatibus auaritiaque abſtineatur, deinde ſi vitæ bene inſtituendæ incumbatur, operaq; in contemplandis & cognoſcĕdis operibus ac lege Dei conſumatur. Pręterea antiqui Hebræorum Theologi à triſtitia ſenioque non mediocriter effectum prophetię tradunt impediri, & Prophetas bona ex parte fuiſſe iuuenes. Hoc autem eſt totius rei pertingendæ caput, ſi læto alacri integroque corde laudetur Deus, & Pſalmi ſæpe ad laudes ipſius, maxime vero ad inſtrumenta muſica concinantur: ideoq; prophetizădi verbum etiam ſignificat laudare Deum, vt 1. Sam. 10. & 13. בהנבאתו cum prophetizaret, id eſt, laudaret. Neque vero ad viſionum diuinarumq; prophetiarum vim intelligendam dicta Philoſophorŭ oportet accipi, qui, ex coniectatione pura iudicantes, putant, ſi cuius natura eſt temperatior, huic veriora ſomnia accidere: virum enim qui florente ætate nunquam prophetauerit interdum videas in ipſo mortis

Libris Pirke aboth.

articulo,

articulo, dum mors præſto eſt, prophetare. Itaque non habens Ariſtoteles quod ſuper hac re ſtatueret, ait in libro de ſomniis, non exſtare veriſimilem aliquam cauſam diuinandi, niſi quę diuina & occulta ſit, captumque noſtri ingenii ſuperet. Illud quoq; non eſt omittendum, quod Num. 12. legimus Deũ ſe cum hominibus (excepto Moſe) non communicare niſi dormientibus ſomnio & viſione, idque cum Prophetis ſolum, vt viſionis à ſomnio diſcrimen, diuiniq; ſomnii ab humanis oſtenderet, aut quæ à morbis importantur. Diuinorum autem ſomniorum atq; viſionum gradus ſunt plurimi. Primus gradus prophetiæ eſt reuelatio facta per ſomnium de colendo bono & fugiendo malo aut euitandis ſceleratorum manibus: qua in ſpecie (inquiunt Hebræi) homo ſentit cum animo ſuo præceptorem quendam à quo inſtituitur, ideoque de hoc Scriptura dicit S. Dei ſuper ipſo cõquieuiſſe, aut Deum ipſi adfuiſſe. Secundus gradus eſt, cũ homo vigilans aliquid percipit, quod animæ adhæreſcens impellit ipſum ad laudationem Dei operumq; eius: quemadmodum Dauid Pſalmos compoſuiſſe dicitur, Solomo Parabolas, quibus ampliſſima & elegant. arcana continentur allegoriis inuoluta. Etenim Dauid & Solomo (vt Hebræi notant) ad eundem gradũ quo Eſaias, Ieremias, Nathan & alii cõſimiles minime peruenerũt: ſed quoties in ſcripturis Deus alloquutus Dauidem aut Solomonem dicitur, id Hebræi per Prophetas accipiunt di-

ctum, puta Gadem aut Nathanem, quibus exhibebantur ad Dauidem informandum viſiones Dei, aut Ahiam Silonitem qui ad Solomonem miſſus eſt, & illud etiam quod Solomoni dictum eſt eum fore omnium qui vnquam extiterint ſapientiſſimum, illud, inquam, non pro viſione accipiũt, ſed pro diuino ſomnio, quam in ſententiam Scriptura narrat expergefactum Solomonem percepiſſe id eſſe ſomnium: item quod Deus ſecundo apparuiſſe Solomoni dicitur, id viſionem fuiſſe negant. Tertius gradus eſt, cum purgatus animus cernit figuram aliquam ſomnio, hominem, beſtiã, aut aliud quippiam, & ſignificationem viſi eodem momento percipit: quod in Zacharia non raro legimus. Quartus eſt cũ nuda ab omnibus figuris & pura verba intelliguntur. Quintus, cum homo loquens apparet, ac res diuinas retegens dormienti. Sextus, cum Angelum loquentem videre ſibi videtur dormiens Septimus, cum dormientem Deus videtur alloqui, vt Eſaias inquit, Vidi Deum & dixit, &c. ſic apud Ezechielem, Micheam, & alios. Octauus, cum viſio Prophetica Dei verbo cõiũcta aduenit: quo in gradu Hebręi priſci viſiones Abrahæ poſuerunt, excepta ea quæ obuenit in cõualle Mambræ: hanc enim viſionẽ in nono gradu collocant. Decimus gradus eſt cum Angelus videtur facie ad faciẽ colloquens, vt in ſacrificio Abrahæ. Vltimus & ſupremus omnium eſt, cum Deus in os alloquens ſine alio modo videtur à vigile: qui gradus, vt

Eſai. 6.

ait

ait Scriptura, Moſis fuit proprius. Quod itaque Eſaias Deum à ſe viſum fuiſſe dicit capite 6. hoc viſionis eſt, quę non vigilanti offerebatur: quod Ezechiel in campum inter cœlum terramque ſitum delatus dicitur, id obuenit dormienti: nam etiam murum templi Ieroſolymitani Ezechiel, cum in Babylonia eſſet, dicitur perforaſſe, & conſimiliter Ieremiæ indicitur, vt cingulum abdat in Euphrate fluuio Babyloniæ, & poſt dies aliquot cingulum dicitur computruiſſe, cum tamen Ieremias nunquam fuerit in Babylonia. Sic de Gedeonis vellere: nam loca perſæpe, tempora, perſonas, & alia ſingularia Prophetæ circumſcripſerunt, quæ ad viſiones tamen referri neceſſe eſt. Quod cum Ethnici & infideles multi non animaduerterent, prophetias à Deo vigilantibus reuelatas fuiſſe putauerunt, & occaſionem criminandi ſcripturam ſanctam aucupantur: multa enim viſionis ſunt, quæ vigilantibus non potuerunt accidiſſe, & ex Scriptura quoquè diſcimus, Prophetas conſultos die ſolum poſtero reſpondiſſe, niſi anticipaſſet viſio: qua conditione Ahias Propheta reginæ Samariæ vxori Ieroboami reſpondit. Holda vero Prophetiſſa legatos Regis Ioſiæ in noctem iuſſit exſpectare, & Balaam legatos Balaci regis per noctem conſiſtere, quando per viſionem aſinam loquentem videre ſibi viſus eſt, non autem (quod opinantur multi) audiuit vigilans. Diabolus quoque diuinorum operum ſimia ſacerdotes Apollinis in ſpelunca ſopora-

Num. 12.

Dan. 10.

 bat.

bat, & quicunque oraculum Mopſi conſulebant, in æde ipſius dormiebant; ita enim Plutarch. narrat, præfectum quendam Aſiæ cum Epicureorum aliquot comitatu omnes religiones ludificantium, puerum in ædem Mopſi miſiſſe cum occluſis literis quæſtionem hanc continentibus, vtrum vellet Mopſus ſibi à præfecto ſacrificari, albumne vitulum, an nigrum: puerum autem, cum noctem vnam in æde dormiuiſſet, reuerſum dixiſſe dormienti ſibi viſum eſſe hominem, qui nihil amplius quam nigrum reſponderit, ex eo tempore Præfectum credentem Mopſo ſæpe ſacrificauiſſe. Duo tamen in diſcrimine prophetiarum Dei & incantationum Satanæ oportet obſeruari. Vnum eſt, eos, qui à dæmonibus inſpirantur, tum magis furere, qui autem à Deo ſapere vt cum maxime. Quamobrem Scriptura Saulem narrat, cum Spiritus Dei inceſſeret eum, ſtudioſum fuiſſe, integrum, ſapientem, idque per biennium, cum vero Spiritus malus, amplius furioſum fuiſſe & prophetauiſſe, (ſic enim Scriptura, cumque in cœtu Prophetarum eſſet, ſpiritus Dei inuaſit eum, cœpitque prophetare & laudare Deum) & veteres Hebræi dixerunt, ſolos ſapientes Prophetas eſſe: contra vero Sibyllæ & Apollinis Propheciſſæ nihil niſi furentes & ſpumantes rabie prophetabant, ſimiliterque dæmoniaci Prophetæ antequam diuinent aguntur furore ſummo. Alterum diuinæ prophetiæ incantationumque diſcrimen eſt, quod illa ſemper vera

Lib. de oraculorum defectu.

1. Sam, 18.

eſt,

eſt, hæ à maligno ſpiritu profectæ aut ſemper falſæ ſunt, aut pro vna veritate centum mendacia nectunt. Propterea in lege Deus, Hac re, inquit, Prophetas agnoſcetis, cum quid dixerint ac non euenerit, ego non fuero alloquutus ipſos. Neque tamen continuo Propheta falſus aut improbus putandus eſt, qui prophetiæ donum habuerit: hoc enim interdum ac non ſemper obuenit: quæ ſi poſtea humano ſomnio nec diuinitus immiſſo permotus venturum aliquid dixerit quod non eueniat, errat ille quidem, ſed eo tamen non deſinit vir bonus eſſe & timens Dei: verum Deus hoc pacto docet, non ſtandum humanis ſomniis, & Eccleſ. cauendum præcipit, vt credatur ſomniis, niſi quę Deus immiſerit. Ex omnibus itaque Prophetis, qui Samuelis tempore vixerunt, nullus præter Sam. fidelis & certus appellatur, qui nihil quod non ſit geſtum pronunciauerit: & inter omnes quoque Theologos conuenit non ſemper Prophetis ſanctis fuiſſe donum Prophet. fuiſſe etiam cui vnica viſio, aut duo triave ſomnia obuenerint, interdum vero gratiam hanc diuinitus per totam Prophetarum vitam obtingere, vt Samueli, Eliæ, Eliſæ, Ahiæ Silon. obtigit, quinetiam Prophetia, quæ non euenit, aliquando Prophetis reuelatur, vt Micheas interminatus eſt Hieroſolymis, Ionas Babylonem mox euerſum iri poſt 40. dies prædixerat: cum tamen iſtud non euenerit, vbi pacatus eſt Deus pœnitentia. Hoc idem Ierem. 26. Ionæ 2. & Ezechielis 17. animad-

Deut. 13.

1. Sam. 3.

Eccl. pen.

uerti-

uertimus. Sed prophetia fere deſiſtit ſenio: vt Ieremiæ quinquageſimo primo dicuntur Ieremiæ verba deſinere, cum tamen deinde pertexat hiſtoriam, vbi Hebræi annotant, prophetiam tunc in ipſo deſiuiſſe: & de ſene Heli dicitur, ipſum oculis fuiſſe captum, quod Hebræi accipiunt de viſione prophetica: nam etiam Samuel admodum iuuenis viſionem habuit, vt ſacerdoti Heli iudicium Dei contra domum ipſius latum exponeret. Ideoque apud Ioelem legimus, diebus vltimis iuuenes viſuros eſſe viſiones, & ſenes ſomniaturos ſomnia: hæc autem illis longe inferiora ſunt. Nonnunquam etiam gratia prophetica rationali parti infunditur, ac non phantaſiæ, forte ob phantaſiæ vel imaginationis imbecillitatem: aut contra infuſa imaginationi ad rationem non permeat, tum quia imbecilla eſt, tum quia homo in contemplando ſeſe non occupat. Aliquando ita infunditur, vt ad exſequendum mandatum homo compellatur, quod Ieremiæ, qui ſolus ſuo tempore Propheta fuit, videmus contigiſſe. Huic enim iubente Domino ſomniis & viſionibus, vt populo exponeret, futurum, vt Hieroſolyma ab hoſtibus obſeſſa caperetur vi, Rex populuſque cæderentur gladio, templum cōflagraret, oppidum euerteretur, rem imperatam à Deo non audebat explicare: ſed ita ſibi inſtitiſſe Spiritum Dei narrat, vt vi quadam prophetiam coactus fuerit pronunciare: ac tum reclamante populo in foueam cœno refertam coniectus eſt, & famem

nem aliquantiſper paſſus, donec clam à Rege euocatus veritatem rei declaraſſet. Etenim ſæpenumero prophetia & ſomnium immittuntur vni, vt moneat, minetur, aut declaret damnationem alterius, vt Eliæ de Achabo Rege, Nathani de Dauide, & Ahiæ de Ieroboamo indictum eſt: quamuis Dauid Spiritu Dei fuiſſet præditus, ſed aut viſione prophetica, quam alii Prophetæ habebant, oportuit caruiſſe, aut non fuiſſe tam excellenti præditum. Hoc ita eſſe eo demonſtratur, quod ſi quando bellum aut magnum aliquid gerere cogitaret, viſionem à Gade Propheta poſtulabat, aut Sacerdotem (qui comitabatur ipſum) iubebat Ephod induere, vt voluntatem Dei ex Vrim & Thummim cognoſceret. Hæ autem voces Vrim & Thummim Hebrææ ſunt, quas LXXII. interpretantur declarationem & veritatem, Chaldæus (vt mos Hebræorum fuit myſteria condere) ſeruauit ἀνερμηνεύτως: Hebraice Vrim, lumina, & Thummim, perfectiones ſonant. Hoc nomen fuit tabulæ, in quam duodecim gemmæ erant inſitæ, inciſaque duodecim filiorum Iacobi nomina, ex catenulis duabus impendentis maximi Sacerdotis pectori, vt in libro Exodi legimus. Eleazar itaque Pontifex ſucceſſor Aaronis iubetur in Numeris pro ratione Vrim conſulere, vt res gerantur ex verbo & reſponſione ipſius. Si res quæ gerenda erat bene caſura eſſet, quæſtione propoſita gemmæ viuida micabant luce, aut inſpiratus à Deo ſacerdos futura prædicebat:

Exod.28
Num.27.

Eſdræ 2. Nehem. 7. Antiquit. Iudaic. lib. 3. cap. 9.

bat: quemadmodum ex Scriptura diſcimus, & Ioſephi antiquitatibus; vbi lumen iſtud ante ducentos annos quam viueret ſcribit deſiuiſſe: hic autem trigeſimo anno à Chriſto natus eſt. Græci pectorale iſtud vocarunt λόγιον, id eſt, oraculum, quod vulgus inepte vertit Rationale: Reges enim in cauſis omnibus grauiſſimis per Pontificem conſulebant Deum, & ſi non edebatur reſponſum, hæc fuit iræ Dei ſignificatio. Quamobrem Sauli cum à Deo abiectus eſſet

1. Sam. 28.

(ait Scriptura) nihil reſponſum eſt, neque prophetia, neq; ſomnio, neq; Vrim & Thummim: ille vero ſagam diabolico Spiritu inſtructam ſibi præcepit inueniri, vt exitum prælii, quod poſtridie commiſit, & in quo cecidit, cognoſceret.

2. Sam. 2. & 5.

Dauidi contra aut Prophetæ viſione ſemper, aut ſomnio, aut per Vrim & Thummim reſponſum dabatur, atq; hic rem imperatam efficiebat ſedulo: Saul vero cum non paruiſſet, à Deo populoque ſimul deſertus, & ab hoſtibus occiſus eſt: ad excuſationem enim dicenti Re-

1. Sam. 15.

gem Amalechitarum pecudesq; à ſe non fuiſſe cæſas, vt de iis ſacrificia pararet Domino, reſpōdit Samuel, idololatria artibusq; magicis peiorē eſſe ἀπειθείαν, & præſtare obſequium omnibus

Iob. 33.

ſacrificiis. Apud Iobum quoq; legimus, Deum miſerentem hominum eos commonefacere ſomnio auremque vellicare docere, quid facto ſit opus, vt eos humiliores efficiat, idq; iterum ſi enim tertio monenti morem non geſſerint, tum eos abiici. Quod ſi is quem Deus bono Spiritu agē-

dum

ĉum inſtruxit, agenti nõ obſequatur, obiectionem cõminatur Spiritus: ſi corrigitur, non abiicitur: ſi nõ reſipiſcit, abiicitur. Atq; hi tres modi ſunt, quibus olim Deus hominibus declarabat voluntatem ſuam, viſio, ſomnium, & pectorale ſacrum. Quare Propheta Balaam à Deo inſpiratus cum Iſraelitis benediceret, Beatum, inquit, populum, qui incantationes non habet, cui futura cum opus eſt reuelat Deus. Quamuis autem ex Lege Dei promulgata, tot prophetiis, viſionibus, iudiciiſque Dei, quæ in Scripturis hiſtoriiſque ſacris conſignantur, ita de veritate & voluntate Dei belle informemur, vt non ſit opus prophetiis: certum eſt tamen, non eo minus ſomnia, viſiones, & bonos Angelos diuinitus immitti hominibus ad exponendam eis voluntatem Dei, ex qua ſe ipſos regant & inſtituant alios. Hebræorum itaque Doctores etſi oraculum Vrim & Thummim à tempore Babylonicæ reuerſionis deſiuerat, confitentur, aliquam diuinam vocem ſemper fuiſſe exauditam, quam Ioſue filius Leui בתקול, id eſt, filiam vocis, Græci ἠχὼ appellarunt. De veris autem indiciis, quibus homines his donis inſtructi agnoſcuntur vt dicamus paucis, obſeruanda ſunt optime recognoſcendaque ipſorum facta, inprimis vero quem colant Deum. Nam fieri poteſt, vt viſionem aliquis & ſomnium habeat, futura prædicat prout accident, edatque miracula, qui tamen adorationem aliorum Deorum Libris Pirke aboth.

præ-

prædicabit quam eius, qui fecit cœlum & terram: neque propterea fides huic habenda eſt, cum hoc vnum ſit è ſignis, quæ Deus diſerte
Deut.13. præcauit Lege, dicens, ſe hunc ſomniatorem Prophetamque mittere ad experiendum, ameműsne & reuereamur ipſum. Quibus ex verbis apparet, non electis ſolum & viris bonis à Deo immitti ſomnia, ſed improbis quoque & infidelibus, vt conſternatos eo ſeuerius præcipitet. Huius rei plenæ ſunt hiſtoriæ, vt de Pharaonis ſomniis & Nabuchodonoſoris legimus: ante omnes vero principibus viris accidiſſe, cum de Reipublicæ ſtatu ageretur. Plerumque tamen vſu venit, quod ait Solomo in libro Sapientiæ, vt improbis terribiles horrendæque viſiones adſint: bonis vero, etſi nonnunquam ſomniis conſternantur, ſua ſecuritas & conſolatio. Sic Veſpaſianus ſomnio monitus eſt ſe Imperatorem fore, cum Nero dentem vnum (quod poſtridie accidit) amiſiſſet. Sic Antoninus Caracalla ſomnio Seuerum patrem ſtricto gladio audiuit dicentem, vt fratrem occidiſti, ita te hoc ictu oportet mori. Sic Athenienſis tyrannus Hippias pridie quam occideretur ſomniauit, ſe dextera Iouis in terram dari præcipitem. Artemidorus huiuſmodi abundat hiſtoriis. Notandum porro illud eſt, maxima naturalium ſomniorum parte naturalem humorem aut morbum hominis indicari, vt Galenus experientiam docuiſſe ſcribit ſomnium de ſtellæ caſu, aut fractione currus, cui ægrotus inſideat, mortem homi-

homini portendere. Somnia diluculo accidentia homini, cuius animus vacet perturbatione, veteres pro veris annotarunt. Scriptura ſacra præſtituit regulam; ne credatur ſomniis, niſi quæ Deus iniecerit. Eorum ſignum eſt, ſi ab homine bono & verace manant, aut ſi ab improbo, cum agitur perditio eius. Magorum vero, Atheorum, & vita conſceleratorum turpiumque ſomnia à Spiritibus malignis infundi poſtea demonſtrabimus.

CAPVT V.

De naturalibus modis ad res occultas cognoſcendas.

NATVRALIS diuinatio eſt rerum futurarum, præteritarum vel præſentium anticipatio, quæ nihilominus occultæ ſunt in cognitione cauſarum quadam veluti catena inter ipſas dependentium, prout has inde à creatione mundi ordinauit Deus. Hanc definitionem ſtatui, vt iudicium fieri certo poſſit, quænam ſit licita, & quæ illicita aut diabolica diuinatio: quod ex noſtra Magi definitione eſt conſectarium. Inter omnes autem Philoſophos & Theologos conuenit, Deum primam æternamque cauſam eſſe, & omnia ab eo dependere. Licet enim Plato tria mundi principia poſuerit, Deum, materiam & formam, in Timæo tamen, Theæteto, aliiſque locis compluribus, Deum ſupra omnes cauſas, & extra omnem conſequutionem ordinemque cauſarum euehit. Demonſtrauit quoque Ariſtoteles, neceſſario oportere, vt Deus vnus

Epiſt. 7. ad Dionem.

Lib. Phyſic. 6.

nus

& 8. & τῶν μετὰ τὰ φυσικὰ 12.

nus ſit prima cauſa, de qua omnes reliquæ pendeant. Itaque impietas Manichæorum euertitur, duo principia eſſe confirmantium, vnum bonum, & malum alterum; vnum elementaris mundi, alterum cœleſtis & ſpirituum bonorum Creatorem. Quod enim Marcionem tria Epiphanius, Baſilidem quatuor principia ſtatuiſſe narrat, opiniones fuerunt improbæ & deteſtabiles: nam πολυθεότης, inquit Proclus Academicus, pura ἀθεότης eſt, & qui plures Deos infinitosve ſtatuit, Deum verum conatur tollere, ἀπειρίᾳ τὸν θεὸν ἀναιρεῖ. Sed de aliarum cauſarum conſequutione Philoſophis cum Theologis minime conuenit. Academici enim & Peripatetici docent, Deum cauſam efficientem eſſe primæ Intelligentiæ (Hebræi Metatron vocant) hanc ſecundæ cauſam eſſe, hanc tertiæ, ſic deinceps ad cauſas vſque vltimas. Quamobrem Iulianus apoſtata Platonis errorem & Iamblichi præceptoris ſui ſequens in libro quem aduerſus Chriſtianos ſcripſit in eadem eſt ſententia, & Chriſtianos eo nomine criminatur, quod Deum affirment principium & originem eſſe rerum viſibilium & inuiſibilium ſine alio modo: etſi hoc dogma nihil abludit ab ipſo contextu hiſtoriæ ſacræ, dicentis: In principio creauit Deus cœlum & terram, tum creaturas ſingulas, ita vt ex ordine agatur de creatione Angelorum, ne rerum creatio Angelis tribuatur: & homines quoque arcanorum Legis peritiſſimi his verbis, **Deus creauit cœlum & terram**, mate-

Apud Cyrillum contra Iulianum.

riam

riam dicunt formamque innui; vt opinionem eorum euertunt, qui non materiam ſed formam ſolum à Deo factam fuiſſe putant, & materiam confuſam iam ante exſtitiſſe, errore perniciosiſſimo. Origeni quidem & nonnullis placet, Deum ex ordine ſemper infinitos mundos creauiſſe, & cum viſum fuit excidiſſe, puta elementarem mundum ſepties milleno quoq; anno, cœleſtem vero quadragies nonies milleno: tunc omneis beatos ſpiritus ſibi adunare, & per annos mille materiam confuſam informemq; ſinere: deinde virtute ſua omnia in ſtatum priorem dignitatemque reformare. Huic opinioni requiem terræ ſeptimo quoq; anno, & annum Iubilæi quadrageſimo nono accommodant: ac propterea in creatione mundi aiunt Angelorum creationem reticeri, vt oſtendatur, eos corruptis mundis antecedentibus immortaleis permanſiſſe, quod Mirandulanus Princeps in ſuis Cabalæ poſitionibus pro certo habuit. Hæc in arcana ſua Philoſophia Hebræi docent cum Origene: quæ opinio etſi omnibus Theologis non æque accepta eſt, quia plus ſatis videtur in profundiſſima Dei ſecreta penetrare, eorum tamen impietatem reſecat, qui Spiridionem & alios Nicenæ Synodi Epiſcopos ludificati ſunt, dicendo mirum illud eſſe, quod Deus inde à tot centenis annorum millibus, ac potius ab æternitate infinita de mundo hoc tandem faciendo, & quidem breui perituro, ante tria aut quatuor demũ annorum millia cogitauerit: etiamq;

Rabbi Iuda, & Leo Hebræus, & alii, lib. περὶ ἀγάπης.

hoc pacto ſpeciem habitura eſſet Rabbi Elieze-
ri ſententia, dicentis Deum de lumine veſtis
ſuæ tanquam ex materia feciſſe cœlos, quod
Lib. Sapien. non abſimile eſt à Solomonis dicto, qui ante
creationem mundi materiam confuſam fuiſſe
docet, & nihil noui ſub Sole factum. Verumta-
men ſi infiniti mundi alii aliis ſucceſſiſſent,
(quod dogma repudiandum eſt) fateri tamen
oporteret, materiam primam à Deo creatam
eſſe: hoc enim ſine impietate negari non poteſt.
Alioqui ſequeretur, materiam æternam eſſe,
cauſam efficientem æquandam effecto, & alia
abſurda neceſſaria, quæ alibi annotauimus ſen-
In method. cap. 6. tentiæ Ariſtotelis aduerſari oſtendentis non
poſſe aliter fieri, nec poſſe à natura cohærere i-
ſta, & vnicam primam cauſam eſſe demonſtran-
tis: quemadmodum etiam Hebræi, Academici,
& Stoici vno ore improbarunt iſta, & Plutar-
Lib. περὶ τῆς ἐν τῷ τιμαίῳ ψυχογονίας. chus, Galenus, adeoque ipſi Epicurei deriſe-
runt. Nobis igitur ſic conſtitutum eſt, Deum
ex nihilo materiam creauiſſe, quod ברא He-
Lib. de placitis Hippocratis & Platonis. bræum ſignificat: ſin minus, עשה facere,
vſurpaſſet, vt cum Deus hominem de limo ter-
ræ feciſſe dicitur, materia quæ ante comparata
fuerat, deſumpta: quibus verbis myſterium cel-
ſius innuitur, teſte Rabbi Paulo Riccio, nem-
pe ex anima intellectum à Deo fuiſſe factum.
Pſalm. 33. Atque hoc præterea in verbis iſtis obſeruan-
dum, *dixit & facta ſunt*, verbum אמר ex propria
ſignificatione non ſolum eſſe dicere, ſed etiam
velle, & ſic Hebræos accipere: cum Deus ſermo-
nem

nem ad res creatâs, quæ nondum erant, non fuiſſet habiturus, ſed inde à creatione rerum Angelos ſuos diſtribuerit; quorum opera res creatas inſtaurat & fouet. Deus autem ſi quando efficiens cauſa, forma, & materia mundi nominatur, non propterea cœli aut alterius creaturæ forma eſſe intelligendus eſt, ſed is qui omnibus dat vt ſint, & ſine quo nihil poteſt ſubſiſtere. Angelum cum dico, omnem potentiam virtutemq; in genere volo intelligi, quam Deus rebus creatis donat, & ſpiritus boni & mali, homines, venti, ignisq; in Scriptura Angeli appellantur. Psal.103.& 104. Quòd itaq; moueri cœlos cernimus cœleſtiaq; lumina, id Angelorum fit miniſterio, qui proprie dicuntur Angeli, prout Theologi omnes & Philoſophi confitentur, adeoq; ipſe Ariſtoteles aiens, vt cœli quinquaginta ſint, totidem ineſſe Angelos ſeu intelligentias: non quod Deus ſolo nutu nequeat ſine alio modo regere omnia, ſed quia magis decet ipſum rebus quas creauit vti. Ideoq; in Scriptura legimus, Deum eſſe in Angelorum cœtu, ſe ibidem ſpiritus malignos ſiſtere, vt Propheta Michæas narrauit Regibus Iudæ & Samariæ, & Deum Satanam in Angelorum cœtu compellare: quæ Hebræi omnes de miniſterio rerum creatarum accipiũt, Iob.1. quibus Deus ad ſingula vtitur. Diximus antea, quemadmodum homines Deus non alloquitur niſi per Angelos, ſic nihil in rebus corporeis efficere niſi per corpora cœleſtia, ſiue ordinaria poteſtate vtatur, ſiue extra ordinem immediate

Zachar. 4.

faciat: quod Zachariæ viſo demonſtratur lucernarum in candelabro ſeptem (quod in Apocalypſin poſtea fuit translatum, & ibidem interpretatur Angelus ſeptem oculos eſſe quibus videt Deus) & Angelorum fundentium oleum ex duabus oleis ad dexteram Dei, quos aiunt Hebræi ſeptem planetas eſſe, quibus diuina virtus infuſa eſt per totum orbem manatura. Licet igitur ſemperq; licuit cœleſtium luminum virtutem inquirere, modo in cauſis naturalibus conſiſtatur: nam in eo verſatur Dei gloria, quod per creaturas ſuas res facit tam admirabiles.

In Theologicis ſententiis.

Hæc ſententia Damaſceni, hæc Thomæ Aquinatis in libro de Sortibus, & altero de Iudiciis aſtronomicis, hæc Scoti: neq; amplectendus Lactantii Firmiani error, qui Aſtrologiam, Necromantiam, Magiam, Haruſpicinam à malignis ſpiritibus inuentas aſſerit: nam hoc quidem de aliis verum eſt, ſed Aſtrologia effectorumque cœleſtium notitia à Deo donata eſt. Et

Lib. contra Aſtrologos.

quamuis Caluinus certo (opinor) conſilio, quia Melanchthonem animaduertebat in Aſtrologiam plus æquo incumbere eamq; magni facere, pro eo ac potuit Aſtrologiam depreſſerit, mirabilia tamen aſtrorum effecta fateri cogitur, hoc vnum addens, eſſe Deum ſuperiorem iſtis omnibus, & qui confidit Deo, hunc nihil ab iſtis debere metuere. Atqui tantumdem Ptolemæus dicit, imperare cœlo ſapientem, & Abraham Aben Eſra maximus inter Iudæos Aſtrologus filios Iſraelis ait non ſubiici aſtris, de iis

In decalogum.

Lib. Pirke aboth.

qui

qui confidunt Deo intelligens: qui vero non timet Dominum, inquit Solomo, tranſibit ſub rota, cœlum procul dubio his verbis, virtutesq; & influentias cœleſtes denotans. Eadem ratione Hebræus Philo allegorias Bibliorum explicans, vbi dicitur, Cherubinus ante Paradiſum gladio flammante rotam efficere, dicit hoc cœlum flammans eſſe, luminibusq; abundans cœleſtibus, quorum vi & influentia materialem hunc mundum tuetur Deus, hanc vero materiam homini bruto terrenisq; voluptatibus ſeruienti eſſe impedimento, ne in contemplationem admirabilium Dei operum aſſurgat, itaq; efficere, vt tanquam in ſepulchris, ſic in corporibus ſuis ſepulti iaceant: de quibus agit Scriptura Pſal. 77. verſ. 7. dicẽs: Sicut vulnerati dormientes in ſepulchris, quorum non es memor amplius, & ipſi de manu tua repulſi ſunt: qui locus complures non attendentes ad Hebrçorum allegorias torſit, à Chaldæo vero Paraphraſte in hanc formam redditur, Sicut occiſi gladio dormientes in ſepulchris, quorum non recordaberis amplius, & ipſi quidem à facie diuinitatis tuę ſeparati ſunt, nempe gladio cœlum naturalemque eorum influentiam intelligens, qui conditionem, quæ à natura eſt, & brutam beſtiarum vitam proſequuntur. Quapropter etiam Deus aquas, quæ ſub firmamento ſunt, id eſt, cœleſtes influentias dicitur ab iis diuiſiſſe, quæ ſupra cœlos ſunt, id eſt, ab Angelorum & intelligentiarũ mundo. Euidentiſſimum vero potentiæ, quam

Deus cum aſtris communicatam voluit, habemus teſtimonium, vbi dicit Iobo, Poteris ne ligare Pleiades, aut ſtellas maioris vrſæ diſiungere? An produces Hyadas & poteris gubernare ſtellas Arcturi? Hic Deus aſtra totius cœli annotauit, quæ maximam vim exerunt in hoc elementari mundo, prout ſingulis anni tempeſtatibus cognoſcitur in ortu & occaſu heliaco & chronico ipſorum. Deinde vero vniuerſe Iobo dicit Deus, Sciſne leges cœli? tune poteſtatem cœlo daturus es, quam habet in terram? Hi omnes loci amplam demonſtrant potentiam, quam Deus corporibus cœleſtibus indidit in hunc elementarem mundum. Quinetiam Deus creatis cœlorum luminibus edixit, vt ſint temporum, annorum dierumque ſigna: quod ad commoditatem numerandi dies referre fuerit ridiculum, quia tot centena ſtellarum millia futura eſſent inania. Atque hęc quidem magna facultas & virtus admirabilis corporum cœleſtium tantum abeſt, vt minuat vllo pacto potentiam Dei, vt eam contra extollat euehatque mirifice. Si enim virtute lapidis, herbæ, animalis cognita laudamus Deum, quanto maius habituri ſumus laudationis illius argumentum, ſi amplitudinem, vim, claritatem, celeritatem, ordinem, ſtupendumque motum cœleſtium corporum animaduertamus? Ideoque Pſaltes laudato Deo iſtarum rerum inferiorum nomine, cum ad vim aſtrorum annotandam venit, extra ſe raptus exclamat in hanc formam:

Iob. 33.

Pſal. 8.

Suſpi-

Suſpiciens oculis tua celſa palatia cœlos,
Artifices digiti quos peperere tui,
Lucentemq; globum Lunæ, Titaniaq; aſtra,
Quæ doctæ Domini conſtituere manus:
Ecquid homo eſt, dico attonitus, quem mente reuiſas
Sollicita, cuius te meminiſſe iuuet?

Enimuero cœlum theatrum eſt laudis Dei elegantiſſimum; cuius luminum effecta quo magis agnoſcuntur, eo magis ad Deum celebrandum homo abripitur. Cernentes imperiti plenilunio nouiluniоque abundare marinos fluxus, alio tempore breuiores eſſe, fluxus quotidie ſpatio vnius horæ tardari, in eodem agro, regione, climate, ſed variis portubus reciprocari varie fluxus, obſtupeſcunt. Vident piſcatores omnia oſtracina eſſe inania: ſimiliter animalia, plantæ, elementaque omnia mirabilem ſanguinis, humorum, medullarumque mutationem declinante Luna & augeſcẽte ſentiunt. Arborem ad ædificandam putatores non cædunt plena, ſed decedente Luna, alioqui lignum ædificiis foret inutile. Eodem tempore inſeritur, plantarumque radicibus accumulatur: grana & legumina vanno excutiuntur declinante Luna, aliæque obſeruationes innumeræ à veteribus fuerunt annotatæ, quas videre eſt apud Plinium lib. 18. cap. 32. Critibus febrium morborumque dies fatentur Medici à Luna gubernari, etiamque Galenus libros complures ſcripſit de hoc argumento, miratus id quod in horoſcopo ægroti fere animaduertitur, oppoſitũ

Soli aſpectum Lunæ aut quaternum morbis afferre mutationem manifeſtam, itemque ſi Luna ſtationem oppoſitam aut quaternam aſſequatur ab eo loco vnde inuadente morbo profecta eſt. Conſimiliter in lue peſtilentiaque publica per ſingulos quadrantes Lunæ videmus innumeros ſubita morte concidere. Verumtamen Galenus ab experientia iudicabat, quam ex veterum obſeruationibus didicerat: nam ne verum quidem Lunæ motum cognoſcebat, vt ex libris ipſius conſtat. Quanto maiore igitur admiratione fuiſſet traductus, ſi aliorum Planetarum coniunctionum, reciprocantium aſpectuum, fixarumq; ſtellarum effecta etiã in corpus & conſtitutionem hominum percepiſſet? Veteres enim hæc axiomata ex multorum ſeculorum experientia annotarũt, Saturno & Mercurio inter ſe in bruto aliquo ſigno oppoſitis, hominem qui tum naſcitur balbum fere aut mutum eſſe: Luna ad ortum poſita eſſe incolumem, defectum patiente non poſſe infantem viuere: nec eum diu viuere qui tum naſcitur cũ Luna in cõiunctione eſt. Arabes deniq; cognita cœleſtium influentiarum in corpora facultate, inaugurari nolebant medicum niſi peritum Aſtrologiæ, & Græci peritos vtriuſq; ſcientiæ Iatromathematicos appellabant. Ne plura, ex cœleſtium rerum profluentia & humores cognoſcũtur, & naturalis corporum humorumq; conſtitutio: ſed male audiuit hęc ſciẽtia, inquiebat Melanchthon, apud multos propter eorũ

De diebus decretoriis Hipp. lib. 1. προγνωστικῶν.

qui

qui inepte de ea ſcripſerunt ignorantiam. Aſtrologos vero iudicium facere de animis, ſpiritibus, vitiis, virtutibus, meritis, & ſuppliciis indignum eſt: de religione arrogare omniũ eſt indigniſſimum: quod multi faciunt, eos monetæ adulteratores imitati, qui è plantis quidẽ & metallis quintam eſſentiam extrahunt, mirifica olei & aquæ genera faciunt valde ſalutaria, de virtute metallorũ & tranſmutatione acutiſſime diſſerunt, ſed nihilominus adulterinam monetam conflant: ſic iſtorum Aſtrologorum multi cum ex horoſcopo humorem & naturalẽ corporis affectionem explicarunt, ad ea impudenter tranſcendunt quæ corpus non attinent, vt connubia, dignitates, expeditiones, opes, & alia huiuſmodi quibus nihil cum aſtris commune eſt, & ſi quod ius in eas res haberent aſtra, impium tamen foret ſtultiſſimumq; omnium de eo perueſtigando laborare. Etenim ſi Diuinus falſo prædixerit igne aut laqueo periturum quempiam, tum mille mortes obit ante mortem ſine occaſione miſer: ſin vera eſt prædictio, ſemper inquietus eſt geminato malo. Si cui diuinus falſo affirmauerit ipſum magnum fore & diuitem, hunc eo ſpe inani perducet, vt bona ſua otioſus & iners dilapidet: Sin vere, ſpes dilata (ait Sapiens) facit vt homo langueat, adeo vt cum res adeſt, iamdiu abſit voluptas. Etſi in more habet Dominus, vt eos qui ſcrutantur iſta fruſtari bono exſpectato ſinat, & malo à quo ſibi metuunt opprimi. Inexcuſabilis vero illorũ eſt impietas, qui

qui profluentiis cœleſtibus aſſignant religionis dominatum: vt Iulii Materni ſcribentis eum cui Satur. in Leone eſt victurum perdiu, & poſt mortem in cœlos aſcenſurum: itemque Albumazaris affirmantis eum qui orabit Deum quando Luna cum altero planeta (cuius nomen de induſtria placet reticere) in capite Draconis coniuncta eſt, impetraturum petitionem ſuam: quod Petrus de Apono Magorum omnium qui fuerunt vnquam Coryphæus ſe expertum narrat, vt homines ad eandem improbitatem pertrahat. Qua in re gemina eſt impietas & ignorantia: cum caput & cauda Draconis nihil ſint aliud, quam duo puncta intercurrentis ſectionis imaginariæ duorumque orbium, quibus nec ſtella nec planeta ineſt, ſingulis momentis variantium. Quamquam maioris adhuc impietatis tenetur Albumazar, quod ex profluentiis cœleſtibus religionum fines auſus ſit circumſcribere, Chriſtianam religionem dicens anno M. CCCC. LX. deſituram, quod tempus ante annos plus centum videmus effluxiſſe. Inepte ſimiliter Arnoldus Hiſpanus Antichriſtum anno M. CCC. XLV. venturum prædixerat: & Cardinalis de Alliaco, qui librum ſuum infarciuit mendaciis huiuſmodi de fine trium religionum agens ſepties mille ſeptingentos quinquaginta octo annos ſtatuit à creatione mundi, aberrans à probato Chriſtianorum Hebræorumque calculo mille quingentis annis: idemque Horoſcopum faciens creati mundi So-

di Solem ponit in Ariete, quem in Libra fuiſſe docet diſertus Bibliorum textus. Primum enim mundi creati diem fuiſſe eum quem dicimus, ſeptimi menſis decimum (in quo Libræ ſignum eſt) ex Bibliis ſacris didicimus. Amplius inſaniuit Cyprianus Leonicus memoria noſtra: qui religionem Ieſu Chriſti mundumq; finem habituros dixit anno M. D. LXXXIII. & tam grauiter confirmat vt dicat, *Proculdubio alterum aduentum filij hominis in ſede maieſtatis ſuæ prænuntiat*, idq; propter coniunctionem ſummam quę eſt in triplicitate aquatica Ieſu Chriſti. Hoc vero in Aſtrologia inſigniter abſurdum eſt, in cauſa religionis impium, nullus enim Planeta vnquã ſignum ſuum ſtationemq; euertit: Iupiter autẽ piſcibus coniungitur in ea coniunctione abs qua iſte metuit tantopere, Iouis cum Saturno, quæ duo ſigna inter ſe amica ſunt. Cum autem iſtud tam ſerio confirmauerit, vt dubitari de eo nefas videretur, quã ſtultum illius eſt hominis factum, qui Ephemeridas in triginta annos poſt conſummationẽ mundi (quod iſte fecit) conſcripſerit (Neq; vero prudentius Gardanus iudicauit, rationes iniens horoſcopi Ieſu Chriſti & in Italia Galliaq; excudi iubẽs, quibus Saturnum in ſtatione nona ſignificare putat deſertã fore religionem, & Martem in domo ſeptima coniunctũ Lunæ genus mortis oſtendere: ridicula omnia, cum Mars in ſigno proprio, id eſt, igneo verſaretur. Verum ſummæ impietatis eſt ſi quis religionẽ aſtris tentet ſubiicere: quemadmodum

Exod. 23. Ioſepho li. 9. antiq. ca. 3. R. Abraham Aben eſra in ca. 7. Danielis. initium mundi in Tiſri conſtituunt qui menſis eſt Septembe[r].

modum AbenEſra fecit, qui magnum ducem (quem vocat Meſſiam) Iudęis liberandis prędixit naſciturum anno M. CCCC. LXIIII. nec tamen illud accidit. Vt igitur opiniones iſtas diuinationeſq; impietatis & ignorãtiæ plenas omittamus, eas ſolum naturaleis prædictiones accepturi ſumus quæ profluctiis cœleſtibus in corpora atq; humores tribuũtur. Certum quidem illud eſt, ingenia & mores hominũ ad humores ſæpe accedere, vt Galen. ait in libro, Quod mores humoribus obſequãtur: ſed non ſemper eſt neceſſariũ, cum inclinatio ſit à natura ſolum, ac non neceſſitas. Quum itaq; lingua ſãncta (quã Adã, vt eſt in Geneſi, omnibus reb. ex proprietate ipſarum naturali indebat nomina) Saturnũ שבתי legimus appellari, id eſt, quietũ & tranquillum propter naturalem eorum inclinationem quorũ Horoſcopum Saturnus obtinet (vt fere ſunt melancholici, tranquilli, & contẽplationum ſtudioſi) aut Iouem צדק, id eſt, iuſtum, quia iuſtitiæ ciuili ſtudere videtur ii quibus Iupiter domin⁹ eſt horoſcopi, aut Martẽ מאדים id eſt, robuſtum, propter naturalem inclinationem qua eos afficit quorum præeſt horoſcopo, vt eos quodammodo Martiales reddat aptoſq; laboribus, & ſic de cęteris: non tamen continuo neceſſitatem poni opus eſt, ſed inclinationem à neceſſitate liberam. Idem quoque iudicium facimus de magnis ſuperiorum planetarum coniunctionibus cum differentibus triplicitatibus, poſt quas coniunctiones veteres perma-

gnas

gnas mutationes in Rebuſpubl. atque imperiis annotant accidiſſe: nullam enim hic neceſſitatem adeſſe alibi demonſtrauimus. Nam etiam fieri non poteſt, vt à ter mille annis ſolum ex quo obſeruationes Aſtronomicæ fuerunt traditæ (antiquiſſima enim eſt Sennacheribi Aſſyriæ Regis) tanta capta fuerit experientia, quanta ad iudicium certo faciendum eſt neceſſaria. Itaque Ptolemæum videmus & Firmicum Borealibus populis triplicitatem ignis tribuere: Albumazarem vero Orientalibus, & triplicitatem aquarum Meridianis, & cum hoc Paulum Alexandrinum & Henricum Mechlinienſem facere, Alcabicium vero Capharem, Abenacram, Meſſahalam, & Zaelem Iſraelitam triplicitatem terræ Meridianis aſſignare. Omnino certi nihil poteſt in futurũ de mutatione Rerumpubl. conſtitui, niſi fundamentum hoc fuerit confirmatum, prout amplius in libris de Repub. declaraui, ac proinde breuior hoc loco futur' ſum. Nulla igitur fortuita prędictio ſtatui, nulla vſurpari poteſt niſi quæ nitatur experientia: quæcunq; autem rerum experientia teneatur, tamen dominatus omnium ſemper eſt Deo cõmittendus, qui Solis & Lunæ curſum potens eſt ſiſtere, vt fecit poſtulante Ioſua, & ſolẽ ad retrogrediendũ impellere, vt fecit cum vitam regis Ezechiæ annis 15. prorogaret: nec dubium eſt quin is qui fidem in Deo collocat, ſuperior ſit quauis cœleſti profluentia. Quamobrem Platonicus quidam dicebat olim,

Lib. de rep. & lib. de metho. hiſtor.

6. magni introductorii.

In Inſtit. artis Apoteleſmaticæ.

qui

qui naturam ſequitur eum ſe fato ſubmittere & curſui naturæ ſingulis rebus elementaribus deſtinato: eum vero qui à bono ſpiritu agitur, omnibus fatis potiorem eſſe. Vt autem maieſtas Dei per illam ſcientiam naturæ aſtrorum cœleſtiumque luminum reuelatur, ſic etiam contra damnandæ ſunt electionum Arabicarum fraudes, & illicitæ iudicandæ: & de iis oportet accipi decretum Concilii Toletani primi capit. 8. & Concilii quarti Carthaginenſis capit. 89. Naturales diuinationes aliæ plus habent euidentiæ, quæ fiunt ex temporis conſtitutione, prout ordinaria eſt illarum experientia. Ex his tota μετεώρων ſcientia conſtat, id eſt, impreſſionum ignis in ſuprema regione, aut generationis imperfectorum corporum in media aeris regione: vt Luna rubens ſignificat ventos, imbres pallida, ſerenitatem clara. Fumida enim exhalatio quæ gignit ventos ſimilis eſt fumo quo rubeſcit flamma, & pruna ex atro carbone rubet, ait Theophraſtus, quia nigrum & clarum inter ſe confuſa ſunt: humidus vapor efficiens pluuiam ſerenæ Lunæ claritatē adimit: claritas vero nitente aere ſine impedimento cernitur. Hæ autē naturales diuinationes eo certiores ſunt, quod experientia conueniat cauſæ, quæ non perinde abſtruſa eſt atque huius inueſtigatio cur pluuia hoc potius tempore quam illo decidat. Hic dicet Aſtrologus monſtrari obſeruatione veterum vapores primum, deinde pluuiam à Luna Hyadibus Pleiadibus, aut ſtellis Cancri con-

iuncta

iuncta excitari. Sed aliæ aliis ſunt certiores in hoc argumento: cuiuſmodi illa eſt ab antiquis omnibus probata & oculis omnium expoſita, quarta & ſexta Luna ſi ſerena fuerit, conſtitutionem Lunæ totius certiſſime præmonſtrare, niſi qua coniunctio inſignis intercidat: ſed tamen nunquam huius rei cauſa fuit explorata, quod Virgilius optime annotauit dicens: 1.Georg.

Sin ortu in quarto (namque is certiſſimus autor)
Pura non obſcuris in cœlum cornibus ibit,
Totus & ille dies & qui naſcetur ab illo
Exactum ad menſem pluuijs ventisq; carebunt.

His rebus plenus eſt Arati liber, quas nihil opus eſt minutatim pertexere. Taceo naturaleis medicorum prędictiones quæ in omnium oculis verſantur, & ab Hippocrate Galenoque libris ſingulis, maxime vero in libro de arte parua exponũtur: vt cum ait ſi quis debilitatẽ neruorum palpitationemq; ſenſerit, eo de podagra ventura confirmari: dyſenteriam ſi à melãcholia inceperit lethalem eſſe, & cætera. Eſt quoque Phytoſcopia, id eſt, occultarum rerum ex plantis prædictio, vt virga ẽ corylo per medium diſſecta ſi tenetur manu, eo inclinat vbi metalla ſunt, quod omnes metallici plurimum experti ſunt: itaque ad augendam coryIum metallica terra ipſi apponitur. Hæ prædictiones omnes experientia cognitæ etſi cauſas occultas habent & incognitas, naturales ſunt tamen: quarum inſtigatione amplitudo operum Dei & admirabilis forma retegitur. Quemadmodum au-

tem naturales modi, quos Deus cognoſcendis occultis rebus & futuris dedit, boni ſunt & laudabiles: iidem quoque ſunt modi quos Deus nobis præmonſtrauit vt tueamur nos ipſos, nutriamus, induamus, incolumitatẽ vim & alacritatem conſeruemus, & curemus morbos, modo ex animo illud agnoſcamus virtutem alimentorum medicamentorumq; & alias occultas vires quæ elementis, plantis, lapidibus, metallis, animalibus inſunt à Deo proficiſci, qui vires eis cum videtur adimit, frangitque facultatem panis (vt in Lege Dei eſt) immittens famem. Qui enim rerum naturalium viribus ſic vtitur, vt ſi manarent ab eis, Deo iniuriam facit, ad quem laus tota pertinet. Ac propterea Galenus 20. libros quos de vſu partium corporis humani ſcripſit, poſtquam admirabilia ſecreta quæ in eis ſunt retexerat, hoc dicto terminat, videmur nobis elegantem honoris cantum in Dei laudem cecinisse: meliuſque Seneca reprehendens eos qui aiunt, hoc aut illud natura fecit, Tu naturæ (inquit) Deo nomen mutas: quanto pulchrius ſi dixeris, Deus hoc aut illud fecit? In tota Scriptura ſacra non exſtat iſtud Naturæ vocabulum, ſed vbiq; dicitur, hoc effecit Deus, fecit Deus vt illud fieret, & tranſitiuum verbum Hebrẹum adhibetur הִפְעִיל, quod eſt (vt ita dicamus) fecit facere: ſed hoc verbum Græci & Latini octauo verbo reddiderunt, cuius verbi abuſus errores non paucos attulit eorum qui Deo res attribuerunt maieſtate ipſius indigniſ-

ſimas.

ſimus. Vt cum dicitur Deus rotas è Pharaonis curribus ſuſtuliſſe, primogenitos Ægypti occidiſſe, cum nihil feciſſe niſi per Angelos conſtat: nam populo ſuo præceperat vt ſuperliminare ianuarum ſanguine Paſchalis agni obſignaret, vt vidēs (inquit) ſanguinem vobis intactis pręteream, neq; deſtructorem patiar venire in domos veſtras. Ita Solet Scriptura Deo rerum creatarum opera tribuere tam mala quam bona, vt cum Eſaias inquit, Nullum eſt malum in ciuitate quod non fieri fecerit Dominus, & Ieremiæ 32. Omne malum hoc venire feci ſuper locum iſtum: etſi ſpiritus hominesque peſſimi plerumq; ſunt illius adminiſtri, vt eſt apud Malachiam: Increpabo deuoratorem ne perdat fructus veſtros & vites veſtras efficiat ſteriles: idq; adeo quam ad Deum confugiatur, ne alius quam ipſe timeatur, neue alteri præter ipſum agantur gratiæ, aut alterius laudes quam ſolius Dei prædicentur. Etenim non fugit Hebræos operum Dei & naturæ differentia à Salomone non raro annotata, vt cum in Prouerbiis allegoricis ait, Filius ſapiens obſequitur mandatis patris, neque obliuiſcitur legem matris, nempe mandata Dei & legem naturæ intelligens. Nam horrendæ omnes idololatrię inde omnino profluxerunt quod relictus fuit Deus, bonorum acceptorum honos exhibitus actæque gratiæ Soli luminibuſque cœlorum, tum ſpiritibus poſtremo inferioribus creaturis. Atque hoc pacto Ægyptii boues adorauerunt, quia maxi-

mum ex bobus emolumentum percipitur, Palæſtini & Amorrhæi arietes quos vocabant *Eſtheroth*, & quibus veſcebantur: quà in re falſus eſt Cicero, cum ait, Nulla gens eſt tam ſtupida quæ id quo veſcatur Deum eſſe putet. Hæc igitur ſatis futura ſunt ad demonſtrandum naturaleis modos quibus aliquid conſequitur eſſe licitos & à Deo inſtitutos, ſi ad ipſum non ad res creatas honor & laus eorum nomine referatur: ſiue futuris rebus abditiſque cognoſcendis ſiue efficiendis aliis, vt ſi certorum lapidum plantarumque indiciis ac non diabolicis artibus metallicæ venæ perueſtigabuntur. Præterire tamen ſilentio non poſſum, quod Ioannes Picus Mirandulanus Princeps ſcribit in magicis poſitionibus, naturalem Magiam nihil aliud eſſe quàm πρᾶξιν Phyſicæ, quò reti Satanas nobilia multorum ingenia in naſſam ſuam pertrahit, ſic fore cogitantium vt naturalium rerum facultate virtutes cœleſtes non attrahantur ſolũ, ſed etiam vi quadam compellantur. Idem vero poſitione 24. confirmat nihil figuris & characteribus in Magia eſſe valẽtius, & poſitione 21. barbaris & ἀσήμοις vocibus plus ineſſe virium quàm iis, quæ aliquam habent ſignificationem: quarum rerum vanitatem ac impietatem potius ante oſtendimus. Verum vt fraudis iſtius arcanum retegatur quod idem autor aut quiſquis fuerit abuſus nomine illius conatur tegere, poſitione 28. in hymnos Orphei hæc verba legimus: Fruſtra naturam adit qui Pana non attraxerit,

Lib. de natura Deorum.

traxerit, id eſt, Satanam non inuocauerit. Panos enim appellatione veteres omnes eum intellexerunt qui Hebræis eſt Satan, terroreſque Panicos dixerunt eos, qui à diabolis afferuntur, & quibus dæmoniaci agitantur cum malignos ſpiritus ad vexandum ſe irruentes fugiunt: & Plutarch. libro de Oraculorum defectu principem dæmonum magnum Pana vocat, ad cuius mortem alii dæmones clamoribus magnis flebiliter eiulātes auditi ſunt Tyberio Cæſare imperium obtinente: quam hiſtoriam Euſebius quoque confirmat in libris de præparatione Euangelica. Similiterq; poſitione 11. per Leucotheam Lunam intelligit, quā Hebræi לבנה id eſt, albam vocant, & poſitione 19. dicens nihil eſſe quod in Magia effectum ſine veſta conſequatur, ſacrificia igne confecta intelligit. Idem ex Cabala peſtilentem Magiam efficit & fundamenta Legis Dei prorſus euertentem, vt facile agnoſcet quiſquis ad rem propius attenderit. Cum enim Cabala nihil ſit quam recta diuinæ Legis interpretatio, quam litera adumbrat, hic contra eo ſolum ſpectat vt literarum & characterum vi faciat miracula. Hanc fraudem placuit retegere, vt quicunque Agrippam Magorum magiſtrum legerint & qui idem ſentiunt, ſe porro non ſinant decipi, lapidibus, plantis, aliiſque rebus naturalibus abutentes ad virtutes & profluentias cœleſtes attrahēdas. Quamobrem Hippocrates libro de Morbo ſacro Magos deteſtatur qui ſe eo tempore iactabant Lu-

nam attracturos: hoc enim (inquit) foret Deos planis ſubiicere, & cœlum terramq; hominibus mancipare: quod & principiis naturæ & ipſi cõtextui ſacræ Scripturæ in Iobo aduerſatur, vbi Deus legum quas cœlo terræque tulit mentionẽ facit. Quinetiam technam hanc demõſtrant characteres ipſi & figuræ diabolicę, barbara vocabula, & quæ nuſquam intelliguntur, quæ nihil cum elementis commune materia formiſue naturalibus aut qualitatibus habent, quæcunque tandem illæ ſint. Non ſunt igitur artes, vanitates & ſuperſtitiones. Ethnicæ idololatrarũ Magorumq; velandæ naturæ nomine: vt plerique Magi olim perſuadebant artes ſuas in ſola plantarum, animalium, lapidum, metallorum, cœleſtiumque corporum facultate poſitas eſſe; quod Arabes quoq; docẽt vt ſcientiæ ſuę dignitatem, Magis impunitatẽ comparent, Auicenna, Algazel, Alpharabius, & Agrippa memoria noſtra: ac propterea opinio hæc quondam inualuerat, vt eſt apud Plinium lib. 26. cap. 4. Æthiopide herba amnes ac ſtagna ſiccari coniecta, tactu clauſa omnia reſerari: Achimenide coniecta in aciem hoſtium trepidare agmina, ac terga vertere: Latacen dari ſolitam à Perſarum Rege legatis vt omnium rerum copia abundarẽt, id eſt, regia diplomata quæ terrorem omnibus populis incuterent. In eodem numero ponimus quod Plinius de Verbenaca ſcribit (Gręci ἱερὰν βοτάνην dicũt) febres abigere, amicitias conciliare, nulli non mederi morbo: quod Pli-

nius

nius ipſe ridet omneſque medici, quibus diuturna experientia conſtat nihil horum Verbenacam poſſe, neq; valentiſſimam omnium Cynocephaliam, neq; Homeri nepenthes, neque herbam Moly, quam Plinius non iniuria ridet: non quod multi velut theſauri non ſint in rerum natura conditi, qui indies reteguntur, in primis vero igne quintam eſſentiam abſtrahẽte: ſed hæ vanitates, quas recordatur Plinius, non comparẽt vſquam. Simile quoq; iudicium de eo facimus, quod Plinius ex Democrito narrat, aues quaſdam eſſe quarum confuſo ſanguine ſerpens gignatur, quem quiſquis ederit intellecturus ſit alitum colloquia: quid ſi etiam dixiſſet vitulorum? item de adamante aduerſus incantationes, coralio rubro aduerſus carmina, Iaſpide contra dęmonum vmbras, Lycurio contra præſtigias, & de eo quod Dioſcorides lib. 5. cap. 15. narrat puluerat um lapidem Memphiticum & cum vino & aqua potum ſtupidum plane hominem reddere. Diuinas prædictiones ſiue prophetias neq; à natura neq; ab humana voluntate diximus procedere, ſed à pura Dei inſpiratione ſine modo vel Angelorũ opera; Naturales vero prædictiones fieri per cognitionem cauſarum effecta ſua antecedentium, & naturales rei alicuius aſſequendæ modos communi ratione noſci, ſi à cauſis ad effecta venias. Humanæ autem prædictiones etſi quodammodo à rerum natura pendent, humanæ tamen eo dici poſſunt quod neque ſemper

Lib. 10. nat. hiſt. c. 49. Gellius libro 10. cap. 12. Philoſtratus Lemnius.

certæ ſunt, vt natura eſt, neque ſemper incertas, ſiue propter cauſarum ignorantiam, ſiue propter ingenii humani imbecillitatem: & eas quiſque in ſua conditione facit ab experientia. Exépli gratia, Politicus videns in Republica impune abire ſcelera & ſine præmio merita, prædicit illius caſum: cum autem prædictio hæc neque ex cauſis naturalibus pendeat, neque ſpeciatim ſit ei à Deo expoſita, humana poteſt appellari, & ea quidem licita, ſed non pro certa & indubitata affirmanda: hoc enim pacto inuolaretur in conſilium Dei, qui ſæpe contra vim omnium ſartam tectam ciuitatem bonorum votis precibuſque præſtat. Itaque Deus Abrahæ promittebat, ſi decem homines à ſceleribus Sodomæ integros offenderet, non eſſe regionem ab ipſo perituram. Verum ſi quando bonos & virtutis ſtudioſos viros à Deo ſubinde recipi in cœlum videris, tum ne dubites imperium illud propediem grauiſſimis procellis ruiturum. Quemadmodum autem homini politico ſuæ prædictiones ſunt, ſic etiam procellas, ventos, imbres, tempeſtateſq; naucleri præuident ab ordinaria experientia, vt cœleſtium motuum ſint imperitiſſimi: paſtores quoque ſi putre iecur leporinũ viderint, luem ouium prænuntiant: ſimiliterq; agricolæ cum ſinapi viderint, aut denſitatem baccarum, quas *Ribes* vocant, aut quid ſimile animaduerterint quod experientia ſine cognitione cauſarum naturalium & reuelatione diuina didicerunt, fertilitatem anni præſagiunt:

Hæ

Hæ autem prædictiones, niſi quis eas pro indubitatis affirmare & teneri velit, non ſunt illicitæ, vt neque in pari cauſa Metopoſcopia, quę ex ſola vultus inſpęctione interiores hominis perturbationes diiudicat: è quibus aliæ ſunt naturales, vt ſubitus rubor pudorem, pallor metum denotat, quibus ſunt naturales cauſæ: aliæ humanæ potius quam naturales, vt micantes bubonum oculi crudelitatem plerunque deſignant, (quales Sylla & Cato Cenſorius habuit) & ſanguine guttati: eademque ratione ſimi dicuntur impatientes atque cholerici, naſones contra plus valere prudentia & patientia. Atque hoc quidem epitheton inter cætera ſibi Deus arrogat, qui Moſen alloquens proprietatibus decem, hanc adiicit, ארך אפים, id eſt, magno naſo, vt Hiſpanica editio Complutenſis & Antuerpiana ad verbum exprimunt, & aliis quoque Bibliorum locis Deus magno naſo vocatur, quod omnes interpretes exponunt patientem, vt contra קצר אפים, breui naſo, Hebręi promptum ad iram vel iracundum interpretantur. Quæ res pariter oſtendunt licere vti naturali Metopoſcopia, cuius Orientales populi admodum periti ſunt. Sed non continuo perpetua lex inde conficienda eſt: homines enim ita perſonatos inuenias, tantoque artificio & fuco ingenium ſuum obuelantes, vt eos non inepte dominos ſuorum vultuum nominaueris, à quibus deluſi multi locum dederunt prouerbio, Fronti nulla fides: qua ratione Alcibiades in cachin-

Exod. 34.

num effuſus eſt, cum Zopyrum phyſiognomonem de Socrate dicentem audiret eum mulieroſum, adulterum, & iracundum eſſe, quod Socrates quidem fatebatur, ſed mutatum ſe amore ſapientiæ. Itaque hominem videmus facie virginea, animo leonem eſſe, vt erat Alexander Magnus, & contra qui leo videtur fronte, animo eſſe leporem. Humana igitur eſt Metopoſcopia cum ſuis prædictionibus ob incertitudinem ipſius, licet Ariſtoteli liber Phyſiognomiæ Metopoſcopiam continens (qui nihil Ariſtotelem ſapit) tribuatur. Chiromantiam vero vel Chiroſcopiam in numero Phyſiognomicarum artium poni inſulſum eſt, cum inter principia magiſtrorum, qui de ea ſcripſerunt, non magis conueniat, quam inter ignem & aquam, præterea que lineamenta mutentur plurimum, neque exſtent vnquam in puerili, virili, & ſenili eiuſdem hominis ætate ſimilia. Omitto populareis prædictiones cæteras, quia numero iſto indignæ ſunt: vt ſi ranæ plurimum coaxauerint, ſi mergus in aquam inuolet, ſi grues ab aquis auolent, portendi pluuiam, & ſimilia innumera, quæ humana ſunt & bona, ex parte appendent cauſis naturalibus. Aliæ quoque prædictiones humanæ in vſu ſunt, quamuis re ipſa illicitæ, quia ſuperſtitioſam fidem, metum à rebus vanis, & diffidentiam à Deo velut comites adiunctas habent. Hoc enim certo eſt certius, quiſquis prædictiones ſuperſtitioſas aut timet aut credit, eum ſemper potentiæ Dei diffidere: vt

qui

qui olim domo exiens ad limen offendebat pede, præcipiebat animo infortunium, (quod Bruto eueniſſe aiunt, quo die occidit Cæſarem) aut cui annulus excidebat, cum ſponſus in ſponſæ digitum eſſet inſerturus. Similiter apud antiquos fuit coniectatio (palmirum augurium dixerunt) ex palpitante membro, quod certè naturale eſt, & naturaleis cauſas coniunctas habet. Sed hæc iuſtiſſima eſt à Deo vltio, quod ii fere, qui credunt iſta, ac non ii, qui ludificantur ea, opprimuntur malis. Quamobrem Cæſar nunquam rationem iſtarum vanitatum habuit, & ipſi contra ſucceſſerunt omnia, quam diuini prædixerant. Nam cum è naui deſcendens in Africam repente cecidiſſet, quamuis hoc argumento male ominarentur augures, dixit, teneo te Africa, & tribus victoriis inſignibus reportatis inimicos omnes poſt dies paucos profligauit. Similiterque prælii Pharſalici (vbi Pompeium ſuperauit, qui longe maiores habebat copias, diuinosque omneis ante prælium adhibuerat) exitum noluit vnquam à Magis percontari. Multorum Principum hiſtorias annotauimus, qui conſultis diuinis perierunt miſere. Ariouiſtus Germanorum Rex quadringentis hominum millibus inſtructus cum de die conflictus mulieribus Sagis haberet fidem, & inire prælium ante nouam Lunam ab illis vetaretur, Cæſar re (vt ſcribit) cognita ſtatim commiſit prælium atque ſuperauit. Sed ne longe exempla petantur, fuit qui per Magũ exitũ Patauini præ-

lii

ſii voluit cognoſcere,&, viſis hoſtium copiis, reſponſum par priſcis oraculis reportauit: exitus vero toti Galliæ fuit luctuoſus. Sed de his rebus ſeorſim poſtea dicturi ſumus. Alterum noſtra memoria exemplum fuit in Rege Sueciæ: nam literis ad Principes Germaniæ ſcriptis Anno M.D.LXIII. exponitur, Henrico Sueciæ Regi Sagas fuiſſe quatuor, quæ ſe gloriabantur effecturas, ne Rex Daniæ victoriam conſequeretur: ſed vna iſtarum maleficarum capta non impediuit carnificem, quin viua igne conſumeretur, & Rex Sueciæ poſt annos quatuor à ſubditis interceptus, dignitate ſpoliatus, & in vincula, quibus adhuc tenetur, coniectus eſt. Hactenus de humanis prædictionibus: nunc de illicitis modis videndum eſt.

CAPVT VI.

De modis illicitis ad perueniendum eo quo intenditur.

DIXIMVS, eum Magum eſſe, qui diabolicis modis atque illicitis ſciens prudens ad aliquid conatur peruenire: iam igitur modos illicitos cognoſci neceſſe eſt. Ac modos quidem eo quo intendit animus perueniendi (ſi licitum eſt) ope Dei, aut mediis, quæ in rebus creatis exhibet tum naturalium cauſarum conſequutione, tum effectorum inter ſe cohærentium, aut denique libera hominis voluntate, iam declarauimus. Sed ſi qui rem licitam conantes aſſequi, ad quam neque natura, neque facultate huma-

na ad-

na adiuuentur, Deum qui omnia poteſt minime accedentes non rite ſed tentandi gratia fecerint, aut ſi bono quidem animo ſed rebus ſecundis à Deo diſceſſerint, adeo vt in aduerſis ab ipſo deſerantur, illiciti ſunt modi: vt cum Deus inquit apud Ieremiam, Si Moſes & Samuel me nunc orarent veſtra cauſa, non exaudirem eos: (hi autem ante ſecula multa obierant, & dum in viuis eſſent, ſolebant iram Dei precibus ſuis mitigare) & alibi Prophetæ imperat: Ne ores pro iſto populo in bonum, nam neque ieiuniis, neque precibus & ſacrificiis illorum exaudiam ipſos, ſed fame & peſtę conſumam. Eos enim oportuerat cœlos precibus perrumpere, & in Dei fide perſiſtere, qui minatur quidem vehementer, ſed repente ſedatus eſt, vt ait Ionas. Huic Deus prænuntiauerat, ſe Niniuen intra quadrageſimum diem euerſurum eſſe: cum autem populus, qui res creatas, vt Solem & Lunam, adorabat, & omni idololatria magicíſque artibus circumfluebat, prę ſe ferret magnam reſipiſcentiam, Deum quoque pœnituit. Quod Ionas indignatus factum cum Deo expoſtulauit, dicens: Nonne ſciebam, te Deum eſſe mitem, miſericordem & clementem præ omnibus, & vltionis, quam inſtitueris, momento vno pœnitere? Vir autem impatiens deſperat & diabolum ad opem aduocat, vt Saulem Regem videmus, cum de euentu inſtantis prælii Deum, Prophetas, & Sacerdotes conſuluiſſet, ad cognoſcendum ſuæ rei exitum ad Sagam abiuiſſe.

Iere. 14.

Ionæ 4.

Alii

Alii theſauris inueniendis, alii depellendo morbo, alii voluptatibus perfruendis, alii conſequendis honoribus & dignitatibus, alii futuris rebus aut abſentibus percipiendis, alii omnium peſſimi hoſtibus vlciſcendis accerſunt diabolum: qui vocatus non ſemper reſpondet, quamuis ſit præſens & propinquus non ſolum quærentibus ipſum, verum etiam faſtidientibus (vt alibi oſtendemus) ſed importuna frequentia rogari expetit. Qui autem ex Magis Deo renuntiant, & ad Satanam conuerſi dant expreſſa conuentione fidem de obſequio, ſeruitute, ſubmiſſione, & adoratione huic exhibenda, hi Magi, vt qui maxime, ſunt deteſtabiles. Sunt etiam, qui vt illud ſciant quod expetunt Satanam horrent conſulere, ſed Magos adeunt intrepide, modo non interſint ſacrificiis: quo facto pene tam grauiter Deus offenditur, quam ſi Diabolus ipſe adiretur: item qui Satanam non eſſent acceſſuri vt leuentur morbo, ſed non dubitant tamen Magos conſulere, qui Diabolum precantur coram vt ſanet ipſos: quemadmodum nuper in Vallo (hoc ſuburbii Laodunenſis nomen) quædam malefica mulierem miſeram grauiſſime decumbentem ſortibus liberauit, cum procidens in genua demiſſo in terram vultu Diabolum magna voce ſæpius inuocaſſet, vt curaret mulierem, & verbis aliquot enunciatis bucceam panis dediſſet ei comedendam: atque hoc modo curata eſt. Quod quidem plane tantidem eſt, ac ſi ægrotans ipſa Diabolum de valetu-

Leuit. 19. & 20. Deut. 18.

letudine orauiſſet: itaque præſtaret vel crudeliſſima omnium quæ vnquam cogitari poſſint perire morte, quam eo pacto curari. Sunt item alii, qui neque cum diabolo, neque cum Magis conſociari volunt, ſed diabolicis modis abutuntur, quos Magi ope diaboli ſoliti ſunt exequi: hic enim modos iſtos vſurpantibus præſto eſt, conſiliaque eorum dirigit. Atque hæc tacita cum Satana conuentio eſt, vt Auguſtinus ad diſtinguendam conuentionem expreſſam definiuit. Hic enim & item Aquinas, Durandus, Ægidius Romanus, aliiq; Theologi vno ore duas eſſe cum Satana pactiones docent, vnam expreſſam, quam faciunt Necromantici & Magi illi, qui adorant ipſum, alteram tacitam ſiue implicitam, qua tenentur omnes idololatræ, & quicunque ſcientes hærent ſuperſtitioſis obſeruationibus naturali cauſa vacantibus. Hæc illorum definitio. Certum quidem eſt, eum qui ex volatu auium ſucceſſum inſtituti ſui itineris cupit cognoſcere, vt religioſe veteres factitarunt, Magum dici non poſſe, neque expreſſam tacitamve cum Satana conuentionem iniuiſſe, quamuis ſit idololatra, neque tam grauiter offendere, quam ſi quis neſciens à Deo interdici fecerit curioſe: vt etiam qui curioſe aut per errorē facit non ita offendit, vt qui ſciuit vetitum eſſe diuina lege, ac propterea voces, *Sciens prudens*, ad definitionem Magi adiecimus. Sed ille omnino tenetur culpę, q interdicto legis diuinę cognito & contempto ſe addicit iſtis, ac proinde

com-

communi cum Magis ſupplicio plectendus, etſi leniore quam eſſe illorum debeat, qui expreſſa conuentione cum Satana deuincti ſunt. Verum vt Sortilegi vocabulum exponatur, (hoc enim frequens Magorum genus eſt) is eſt proprie, qui ſorte vtitur, & in actionibus illicitis conicit ſortes. Quædam enim ſors lege Dei, quædam politicis legibus probata eſt. Ioſuam videmus cogniturum, quiſnam anathema cepiſſet Ierichunte, ſortem de toto Iſraelitarum exercitu conieciſſe: ſimiliterque Samuelem cum Rex habendus eſſet coniecta ſorte dixiſſe, Domine da ſortem, (quem morem amoliendæ poteſtati & ſorti diabolicę veteres vſurpabant) tum Beniaminis tribui ſortem accidiſſe, deinde ſortitione de principibus familiarium facta familiam Cis obueniſſe, è cuius domeſticis coniectam ſortem Sauli accidiſſe, quem Deus Regem in populum ſuum declarauerat: ne quis ſceptra regaleſque coronas putaret fortuito obtingere: Saulem poſtea de toto exercitu ad cognoſcendum, quis ieiunii legem feciſſet irritam, ſortitione facta deprehendiſſe Ionathanem, qui ſolus contra interdictum Regis mel comederat. In Leuitico quoque legimus, ſortem in duos hircos fuiſſe coniectam, vnum ſacrificandum Domino, alterum Zazeli committendum: quod myſterium LXXII. interpretes nolentes Ethnicis reuelare, Zazel ἀποπομπαῖον. reddiderunt, id eſt, emiſſarium, quia emittebatur in deſertum, neque inueniebatur amplius. In Actis quo-

Κληρομαν-τεία.

Leuit. 16.

quoque Apoſtolorum legimus, ſortitionem Matthiæ & Barnabæ fuiſſe factam. Idem inter Ethnicos pariter fuit obſeruatum. Etenim ſi qua tempeſtas grauis incumbebat mari, ſortem coniiciebant nautæ, & qui ſorte obuenerat, mittebatur in mare, vt Ionæ factum eſt. Ionæ 1. Ordinarie item frequentatur ſors in ſucceſſionibus diuidundis & bonis communibus, populorum legibus permiſſa, & valde neceſſaria rixis & contentionibus, quæ infinitæ forent euitandis. L. ſed cum ambo. de iudic. ff. l. ſi duobus. com mun. de leg. C. & c. ſors. & c. hi qui. & c. illud. 26. q. 2. & cap. vl. de ſortile. Sic Romani in cauſis publicis ſortiebantur Iudices, & magiſtratus prouincias oneraque, niſi inter ipſos aliter conueniret, quod Latini dicebant ſortiri aut comparare inter ſe prouincias. Hinc ſæuiſſimi illius belli inter Marium & Syllam occaſio, Aſconius in Verrianam. quod bellum in Mithridatem ſortitione obtigiſſet Syllæ, & Marius libello ad populum ſortitionem voluit eripere. Ex his igitur conſtat, ex ſe licere ſortem ſi res merebitur, & verba illa, Domine Deus cedo ſortem, quæ in Scriptura ſacra ſunt tenebuntur, non autem Mercurius (quod faciebant Græci) κληρωτὴς inuocabitur. Græci enim principio Hermem ſiue Mercurium (id folio nomen oleagino) immittebant in κληρωτίδα κάδον, tum iniectis ſortibus Hermem ante omnes è cado educebant: quæ ratio Ethnica vt corrigeretur, Chriſtiani cum ſortiuntur Regem, primam Dei educunt ſortem. Verumtamen ne hoc quidem ſatis eſt, ad ſortitionem inuocari Deum, ſed religionem oportet adhiberi, ne aliis in rebus quam neceſſa-

riis vſurpetur, vt ſunt eæ, quas modo diximus: alioqui ſi quis res leues ſortiri, aut curioſa mente experiri, aut in conſiliis publicis bellumne ſuſcipiendum aut aliquid magni ſit inſtituendum volet cognoſcere, ſortes coniici indignum eſt: ſic enim Deus tentatur, quod diſerte prohibetur lege. Itaque in cauſis huiuſmodi Dauid ſanctique homines conſulebant Deum, qui voluntatem ſuam aut per Prophetas, aut per Sacerdotem Ephod & Pectorale (de quibus ante diximus) geſtantem exponebat, aut per ſomnia & viſa conſulentibus reuelabat: cumque in rebus omnibus grauiſſimis homines ſancti conſilium à Deo poſtulaſſent, ſi quando non reſpondebat, lætum tamen rei euentum dabat, ſiquidem res bona eſſet, rectusque animus conſulentis. Cumque pacem Ioſue Deo inconſulto cum Gabaonitis pepigiſſet, ab iis deceptus eſt, quia Deum (ait Scriptura) non conſuluerat. Quamobrem iuſtius adhuc fuerit diabolicas ſortes reprobari, in quibus Deorum exterorum inuocantur nomina, vt olim fuerunt Elienſium, Lyciorum, Præneſtinorum, & Antiatium ſortes, quas hic exponi non eſt opus, ſed magis ſepeliri obliuione ſempiterna. Illicita quoque eſt Aſtragalomantia, ex teſſerarum & oſſiculorum iactu inquirens quid fieri, quid omitti oporteat; etſi veteres non raro, & noſtri hodie plurimum abutuntur: vt ter à Germanis ſortem fuiſſe iactam teſtatur Cæſar ad cognoſcendum, Marcumne Valerium legatum ipſius

Ἀςραγαλομάντεια.

neca-

necaturi eſſent, eumque ſorte euaſiſſe. Eodemque iure par eſſet omnes ſortitionis ludos omnemque aleam exterminari, prout Martia lege & aliis antiquis legibus interdicuntur. Similiter nefarium eſt & diabolicum omne ſortis genus, quo res aliter quam quibus modis diximus perquiruntur: vt olim fuerunt Homericæ & Virgilianæ ſortes, & cum primus verſus ex aperto Homeri aut Virgilii volumine applicabatur ſorte: item cum obſeruatur apertura Euangelii, vt iam olim abiectis Homeri & Virgilii ſortibus fuit factitatum, (quod genus vocabant ſortes Apoſtolorum, & Auguſtinus ad Ianuarium ſcribens improbauit) & receptum memoria noſtra Dodecaderon, & ad præcipiendos caſus Paſtorum ludus: quæ omnes formæ improbæ ſunt & diabolicæ. His ſortibus illicitis Geomantiam annumerabimus aliam artem Γαιομάντεια.
diabolicam, quæ libris editis & excuſſis inualuit maxime, ſitam in alea & fortuito illius iactu, qui puncta ſignauerit, è quibus figuræ quindecim conflantur. Idem iudicium de Tephramantia, quæ fiebat è cineribus, (vt è terra primum Geomantia, à qua hæc diuerſa eſt) iam Τεφρομάντεια.
inuſitata arte, & quam nolim explicare, vt ſepulta maneat: item de Botanomantia & Sycomantia, ineptioribus artibus & plane ridiculis, Βοτανομάντεια.
in quibus prout folia vento per noctem agitata inter ſe concurrebant, fiebat coniectatio. Etſi Συκομάντεια.
hæc ab illa diſcrepat, cuius Virgilius & Liuius Lib. 6. Æn.
meminerunt, cum ſacerdotes foliis ſuper pul- Lib. 22.

uinaria poſitis inſcribebant eorum nomina, qui poſtquam idola adorauiſſent ſciſcitabantur veritatem: huic enim coniuncta ſemper eſt plana idololatria, illi vero minime. In eodem genere ſunt Onomantia & Arithmomantia, quę fiebat ex eo numero, quem literæ proprii alicuius nominis deſignabant in numerorum ordinem relatæ, prout accommodari poterat aliqua ſignificatio. Hæc autem Latinis ſolum recepta eſt, quamuis numerorum qui extant tabulæ non conueniat plane cum facultate literarum numeros ſignificantium: nam litera M. quæ deſignat mille, non amplius LXXVIII. in tabula efficit, & C. deſignans centum, non amplius VI. Quibus tamen in pretio eſt iſta diuinatio, ii numeros beſtiæ in Apocalypſi ex his literis & quidem ita numeratis ſolent interpretari. Nominum vero & cognominum anagrammatiſmi omnino ſunt ridiculi, cum ſignificationes ex diametro aduerſantes tranſpoſitio literarum afferat. Primus horum autor exſtitit Lycophron Chalcidenſis, quibus ſi habetur fides, etſi à ſorte non pendeant, ad ſortem tamen pertinent illicitam. Veteres autem aliud ſortis genus vſurpauerunt, quod dixerunt Alectryomantiam, à gallo gallinaceo, quem Solis, Dei diuinationum, altem eſſe prædicabant. Hac vſus eſt Iamblichus, vt cognoſceret, quis poſt Valentem imperio potiturus eſſet, & quatuor has literas Θεοδ, à gallo comperit exaratas: quod vbi reſciuit Imperator, Magos amplius cen-

'Ονομάντεια. 'Αριθμομάντεια.

Numeri ſunt 666. & 1260.

'Αναγραμματισμός.

'Αλεκτρυομάντεια.

tum

tum occidit, cum Iamblichus ſibi vitam veneno ademiſſet, nobileſque viros omneis, quibus Theodori, Theodoti, Theoduli, & ſimilia fuerunt nomina, è medio ſuſtulit. Sic diabolus ſeruis ſuis mercedem pendit. Formam diuinationis iſtius reticebo: vtinam vero authores eam omiſiſſent: hoc enim plane impium eſt, & diuina lege diſerte cautum, Non inueniatur (ait lex) in te ſortilegus, quia eſt abominatio Deo tuo. Quo in loco ponitur vox *Menahes*, ducta à verbo *Manah*, ſignificante numerare aut characteres inducere, quia ſortilegia, omneſque ſortes magicæ (ſunt autem infinitæ) ex characteribus numeriſque pendent: ſic ſpeciei frequentioris nomen generi ſcientiarum iſtarum συνεκδοχικῶς tribuitur. Alioqui propria ſortis apud Hebr. appellatio eſt *goral, pur, ſoles*, quæ non continentur interdicto legis, ob eas cauſas, quas ſupra explicauimus.

Deut. 18.

מנבה, ſupputatio: vnde Arabicum Almenach, id eſt, ſupputatio, vt Arabica lingua ex Hebræa nata eſt.

Notandus vero diligenter Scripturæ locus interdicta diuinationum genera complectens. Primum eorum eſt, qui liberos per ignem tranſmittebant, quod Rabbi Maymonides ſine eorum concrematione dicis cauſa ſcribit obſeruari: cum tamen horrendis ſacrificiis conſumptos fuiſſe legamus Regis Manaſſis & Hyrcani tempore, & obſeſſum quoque Idumæorum Regem in muro coram hoſtibus filium ſuum immolaſſe, quo ſpectaculo perculſos hoſtes obſidionem ſoluiſſe, vt apud Ioſephum oſtenditur. Secundum legi Dei vetitum eſt diuinus,

Deut. 18.

קסם, à verbo, quod lata ſignificatione docere eſt, prout accipit Michæas cap. 3. dicens, Iudices pecunia iudicant, & Sacerdotes diuinant argento: interdum vero bonam diuinationem denotat, vt Prouerb. 16. ſed in malam partem plerumq; ſumitur pro omnibus illicitis diuinationibus, vt Deut. 18. Num. 23. Ezech. 13. & 1. Sam. 15. quibus locis omnia genera comprehendit, quæ ſpeciatim poſtea enarrantur: nempe מעונן, *megonem*, id eſt, eum, qui dubitantibus de eo, quod ſuſcepturi ſunt, reſponſa dat, à verbo ענה, *reſpondere*, hunc interpretes verterunt, *augurem*, noſtrates à Iudæis hanc vocem aſſequuti, incantatores pro *Megonim* appellant *Maiſtregonim*. Tertium qui in lege dicitur מנחש, *Menahes*, id eſt, (vt proprie reddamus) calculatorem, quem Rabbini vocant ſortilegum, in ſortes & numeros incumbentem. Quartum מכשף, *mecaſeph*, præſtigiatorem, à verbo כשף, quod eſt oculos hominum faſcinare, (vt fit malignorum ſpirituum opera) quibus incantatores iungendi ſunt, Hebraice *malcheſim*, à verbo *Lahas*, murmurare & ſuſurrare, quos 72. interpretes ἐπαοιδὺς, Hiſpani *Hechiezeros* vocant, Antonius de Turca meda lib. 3. horti ſui definit eos, qui tacite inuocant dæmonas, & magiam naturalem confundunt cum diabolica. Quintum חבר, *chober*, aſſociatum, ea conſociatione puta, quæ in ſaltationibus magorum & conuentibus obſeruatur, à verbo חבר, aſſociare: hunc nos proprie ſortiariū appellamus, Hiſpani

ſpani *Bruxo*, Germani Zauberer. Sextum אוב שאל, *Schoel ob*, rogantē ſpiritus, à dictione אוב, lagenā aut vas cauum ſignificante: malignorum enim ſpirituum oracula è ſpecubus dehiſcentis terræ petebantur, vnde vox *oraculi* ſumpta pro foramine ab ore paruo terræ hiantis, q̃ Latini dixerunt Oraculum. Septimū ידעני, *Iedeboni*, à verbo ידע, ſcire, vt vocē *δαίμονα*, ſcientem, Euſtathinius Homerū quaſi *δαΐμονα* oſtendit fuiſſe dictam: hunc Interpretes exponunt Magum, quo ſapiens & doctus Perſarum lingua denotatur, Hebræi vero in libro ſexcentorū tredecim mandatorū diuinæ legis, voce *Iedeboni* eos ſignificari tradunt, qui diabolū conſulunt latentem in oſſibus beſtiæ, quam vocant *Iadoha*, aſpectu enecantis, & quā eminus ſagittis oportet transfigere. Athenæus eam *κατωβλεπάδα* nominat, quā inſtar vituli eſſe narrat, ſemper paſcere, oculos vix poſſe attollere, & tum eos quos inſpexerit enecare: Marium Conſulem bellum in Numidia gerentem, poſt iacturam aliquot militum de capienda vna laborantium, è longinquo telis occidi curauiſſe, & pellem miſiſſe Romam, quæ in æde Herculis fuit repoſita: quod in noſtris Commentariis ad Oppiani de venatione librum annotauimus. Octauum אל המתים דרש, conſulentem mortuos, id eſt, Necromāticum. Hæc omnia ſubiicitur eſſe abominationi Domino. Pharaonis Magi in Exodo appellātur *Quoſemim* Hebraica voce, & *Chartumim* Ægyptia, quos interpretātur multi Genethliacos:

ſed nihil effectis Magorum Ægyptiorum cum Aſtrologia, nihil cum Aſtrologis, qui neque virgas ſerpentibus commutare, neque ranas formare poſſunt. Hactenus de ſortilegiis, quæ ſorte fiunt, de aliis poſtmodum dicturi ſumus. Sed hoc interea obſeruandum, noſtratibus proprie eos non dici Sortiarios, qui coniecta ſorte bonum aut malum euentum præcipiunt animo, (quamuis hoc quoque ſit genus ſortilegii) ſed eos potiſſimum, qui per vias ſerunt, aut ad ſtabulorum limina feralcis infodiunt pulueres, ad eos qui ſupergreſſi fuerint exſtinguendos. Quamobrem non raro ſortes amicos ſortilegorum inuadunt, aut eos, quibus non male cupiunt, vt ſuo loco demonſtrabimus. Iam vero percurramus alias artes & modos illicitos eo perueniendi quo intenditur, quos modos in Lege ſua prohibuit Deus.

CAPVT VII.

De Teratoſcopia, Aruſpicina, Orneomantia, Hieroſcopia, aliiſq; ſimilibus.

TERATOSCOPIA eſt ars, quę obſeruat miracula, eorumque perueſtigat cauſas, effecta, & ſignificationes: Orneomantia, quæ auium intuetur motus ad res futuras prænoſcendas: Hieroſcopia, hoſtiarum & ſacrificiorum contemplatio eſt ad explorandam rei futuræ veritatem. Latius patet Aruſpicina, vt quæ aeris, fulminum, tonitruum, fulgurum, monſtroruq; obſeruationes continet, auguraléq; ſcientiam

tiam totam vniuerſe, in qua non omnia criminanda ſunt, ſed res bonæ à malis diſtinguendæ. Etenim quæcunque monſtra ſignaque præter naturæ ordinem offeruntur, iis aliquam irę Dei ſignificationem exhiberi nemo negauerit, & homines admoneri vt reſipiſcentes ſe ad ipſum conuertant: non autem pernicioſa Ariſtotelis opinio amplectenda, confirmantis nihil in rerum natura mutari atq; variari, monſtraque ſolum ob materiæ defectum accidere: quo dicto euertuntur opera & miracula Dei, quæ adhuc acciderunt & pręter naturam quotidie accidũt. Quamquam idem Ariſtoteles ſui diſſimilis conſcripſit librum περὶ θαυμασίων ἀκουσμάτων, id eſt, de miraculis, & terram quoq; agnoſcit fuiſſe, velut grauiorem, aquis omni ex parte obruendã, ſed partem eius ad terreſtrium volucriũmque commoditatem retectam eſſe: qua confeſſione ſe ipſe iugulat ſeruiens gloriæ Dei & Scripturæ ſacrę conſentiens pro miraculo ſexcentis locis illud adducenti; quod Deus ſuper aquas fundauit terram ita vt ſupernatet eis, prout oſtendit Loſſenſis inſulæ, aliarumque multarum documentum. Quamuis enim terra inueniatur in fundo maris, in alto tamen naucleri bolide immiſſa terram nequeunt pertingere, & mare ipſum tanquam montem celſum aſſurgere videmus in littore, Deumque virtute admirabili adſtrinxiſſe & terminos aquis poſuiſſe quos non tranſiliant. Cometas autem, quæ teſte communi totius antiquitatis experientia ſunt fuerũtq;

ſemper iræ diuinæ ſigna, Ariſtoteles ipſe non negauerit naſci præter ordinarias naturæ leges: & quæcunque rationes de Cometarum ortu, lancearum, igneorumq; draconum ab ipſo afferuntur, ab omnibus Philoſophorum nationibus, vt inanes ridiculæq; fuerũt exploſæ. Cometæ enim ordinarie durant non minus diebus xv. vix amplius duobus menſibus, hi magni, illi parui, hi aduerſus curſum mobilis primi nitentes, vt poſtremus ille Nouembri menſe 1577. illi à meridie Septentrionem verſus contendentes, vt ille qui anno 1556. viſus eſt, alii permanẽtes fixi, vt is qui in Nouẽbri 1573. apparuit. Quo autem alimento magnus ille & horrendus ignis foueatur, cur peſtes, fames, bella ſint horum conſectaria, nihil in hoc argumento vidit Ariſtoteles. Sunt enim ſigna Dei, in quibus oportet ſuam quemque fateri ignorantiam laudemque Deo tribuere, ac non peſtilente arrogantia tantum honorem ipſi eripere: quod proculdubio facimus, ſi tanti ignis & tam diuturni alimoniam ex fumis & vaporibus in puriſſima ætheris regione dicamus exiſtere. Adde quod ſingulis annis, menſibus, diebus non deſunt vapores & fumi, impreſſiones vero igneę vix ſemel in regione ætheris ſpectantur decennio, quod veteres optime obſeruauerunt. Sed vt res miraculoſas & præter naturæ ordinem contingentes omittamus, etiam deprehenditur ignorãtia in rebus ordinariis, quæ etſi quotidie ſpectantur, ſunt tamen nobis incognitæ: vt in ſtellarum

larum magnitudine, quarum minima (ſi Lunã & Mercurium exceperis) decies eſt terra maior: & in homine quoque (vt ad res propinquiores veniamus) pars operum Dei nobiliſſima ab hominibus ignoratur. Quo igitur modo poſſet de extraordinariis Dei operibus & miraculis iudicari? Antequã Xerxis copiæ octodecies centies mille hominũ in Europam traieciſſent, inſignis Cometes apparuit, paulo ante bellũ Peloponneſiacũ vnus, ante cladem ab Athenienſibus in Sicilia acceptã vnus: ante cæſos à Thebanis Lacedæmonios vnus: ſic ante ciuile bellũ inter Cęſarem & Pompeium flammæ igneæ in cœlo viſæ ſunt: item Cęſare interfecto, & ante cędẽ eorum quos Auguſtus & M. Antonius proſcripſerant ingens Cometes fulſit, cuius ſignum ad honorẽ Cæſaris poſtea pecuniæ impreſſum eſt. Ante captã Hieroſolymam toto anno ſupra templum igneã flammã fuiſſe viſam Ioſephus teſtis eſt. Ex quibus certe fatendũ eſt naturalia non eſſe aut ordinaria miracula, quæ præter leges naturæ accidunt, ſed iram Dei nobis portendere, quã nos precibus anticipare conuenit & reſipiſcẽtia. De inſolẽtibus monſtris, quæ contra ordinem naturæ accidunt, iudicium idem. Etenim ſi vitio materię dicas accidere, continuo ſequitur principia & fundamenta, ex quibus Ariſtoteles conſtituit mundum, caduca eſſe atq; vitioſa, in eis enim materia numeratur: & hoc quoque ex co cõficietur mundũ minari ruinam, quod ab Ariſtotelea æternitate mundi abeſt longiſſime. Fateamur Herodotus.

teamur itaq; hæc nobis occluſa & abſtruſa eſſe, & Deum ſolum, prout libuerit, ea diſponere. Nam propterea mutari tempeſtates animaduertimus, pecudes emori, famem peruadere, ſanguinem, lapides pluere, & inuſitatas res quã plurimas, dum Aſtrorum in ſuo ordine perſtat conuerſatio, & Deum benedictionem ſuam modo terræ, modo aquis, modo pecori adimere, famemque, peſtem & bellum hominibus importare. Harum autem rerum prædictio ex miraculorum conſpectu non eſt illicita, ſi Deo feratur accepta, ac non idolis, quod olim faciebãt & adhuc faciunt Ethnici. Athenienſes, ait Plutarchus, eos olim tanquam hæreticos viuos tradebãt igni, qui interiecta vmbra corporis terrę aut Lunæ fieri Eclipſim affirmabant, eoſq; vocabant μετεωρολεσχεῖς, velut celſarum rerum diuinorumq; arcanorum plus ſatis curioſos. Romani videntes eclipſim ea nocte, quæ Perſei Regis anteceſſit cladem, ad ciendum Lunę ſplendorem galeas ſuas armaque quatiebant. Indi flebant putantes Lunam à Sole Deo ſuo lethale vulnus accepiſſe. Hæ ſuperſtitiones vbique fere exoleuerunt, itemq; auguria ex volatu auium, quibus veterum libri pleni ſunt. Populorum enim conuentus nullus, nulla pax, nullumque bellum inibatur quin aduocarentur augures ad conſtitutionem aeris auiumque obſeruandam, & vanitates alias huiuſmodi plenas ſuperſtitionis & impietatis, & lege diuina vetitas. Quo pertinet illud quod Ioſephus narrat, ducem quem-

In Pericle.

Plutarch. in Æmylio. Tacitus in Druſo.

In bello Iudaico.

quemdam Iudæum occidiſſe auem ex qua Augures prędixerant, & affirmaſſe ſtolidum hoc plane videri quod exitus belli à bruto animante ſui exitus ignaro peteretur. Verum altera quoque ratio afferri poteſt ad euincendam rerum iſtarum vanitatem: nempe quod Latini ſiniſtrum volatum auium pro infauſto, dexterum alii populi habuerint, vt in libris de diuinatione Tullius annotauit: ex quo omnino cõfirmatur puram putam fraudem & mendacium eſſe, ſiquidem principia horum illis aduerſantur cum in aeris conſtitutione, tum in volatu auium exponendo. Auguralis enim ſcientiæ fundamentum in eo fuit poſitum, vt templum conſtitueretur, id eſt, definiretur regio aeris vnde contemplarentur Augures & dexterã mundi à ſiniſtra diſtinguerent: qua in re omnes autores Græci, Latini, & Barbari inter ſe diſcrepant & ab Hebręis quoque diſſident, vt alibi oſtendimus. Ieremias vero propheta hirundines quidem, turtures, & ciconias tempus reuerſionis nouiſſe prędicat, bellorum vero exitus & ſimilia multa ab eis teneri nuſquam fit mẽtio. Ante omnia vero admirabilis eſt hoſtiarum, hepatis, cordis, fellis, inteſtinorum obſeruatio, ad prẹuidendum an inſtituta conſilia bene ceſſura ſint: qua in re duplex eſt impietas, veritatem in mendacibus iſtis rebus perueſtigari, & ſacrificia idolis exhiberi. Etſi qui his vtebantur non propterea Magi dicendi ſunt, cum illis hęrerent quam optima fide poterant,

In methodo hiſt. cap. 9.

ἡπατοσκοπία.

& rem

& rem Deo gratam ſe opinarentur facere. Magum autem eum eſſe diximus qui ſciens prudens diabolicis modis vtitur, vt ad aliquid perueniat, cuiuſmodi futurus eſſet qui cognito diuinæ legis interdicto iſtis rationibus vteretur. Nunc itaque de aliis technis diabolicis, quæ inter Ethnicos maiorem impietatis ſpeciem habuerunt, porro dicendum eſt.

IOAN-

IOANNIS BODINI DÆMONOMANIÆ MAGORVM

Liber Secundus.

CAPVT I.

De Magia vniuerſe, & generibus ipſius.

MAGIA vox Perſica eſt, ſcientiam rerum diuinarum & naturalium notans, & Magus nihil eſt aliud quam philoſophus. Sed quemadmodum philoſophiæ attulerunt vitium Sophiſtę, & ſapientiam, quę donum eſt Dei, corrupit Ethnicorum impietas & idololatria, ſic etiam Magia diabolicis ſortibus commutata eſt. Primus Satanę adminiſter promulgandę huic impietati in Perſide fuit Zoroaſtes: ſed obducebatur ei pietatis velum, quod ſibi Diabolus ſolet arrogare: Semper enim viri boni à ſceleribus iſtis abhorruerunt. Plinius libro 30. capite 1. ſic de ea loquitur: Magica fraudulentiſſima artium plurimum in toto terrarum orbe, plurimiſque ſeculis valuit: autoritatem ei maximam fuiſſe nemo miretur, quandoquidem ſola artium tres alias imperioſiſſimas humanę

manæ menti complexa, in vnam ſe redegit. Nã tam primum è medicina nemo dubitat, ita blãdiſſimis promiſſis addidiſſe vires religionis ad quas maxime caligat humanum genus, deinde miſcuiſſe artes Mathematicas. Ac propterea Iamblichus, Proclus, Plotin. Porphyrius & Iulianus apoſtata Magiam dixerunt eſſe bonorum Dæmonum inuocationem, Goetiam vero malignorum, reprobatam ab illis artem, qua vtuntur ii qui nocte ſepulchra adeunt, effoſſiſque cadaueribus ſpiritus inuocant. In eandem ſententiam cæcus ille Magus, qui accuſatis amplius centum quinquaginta ſociis Lutetiæ fuit ſuſpenſus anno M. D. LXXIIII. viro cuidam nobili (ex quo rem cognoui) ſemel dixit ſe albam Magiam ipſi, non autem nigram demonſtrare velle, & Leo Africanus ſcribit albos dæmonas ab Africanis magis inuocari. Quinetiam maximum illum doctorem artis diabolicæ, cuius nomen præ deſyderio ſepeliendæ in æternum impietatis ipſius reticebo, in prima librorum ſuorum frõte non videmus alias res quam Phyſicam, philoſophiam, virtutem abditam aquarum, plantarum, animãtium, metallorum, tum numerorum & aſtrorum prædicare: ſed libro demum quarto (cuius tãquam clauis ſpem lectori fecerat, & quem Magi diſcipuli ipſius ediderunt) venenum tartareum permiſcere characterum, diabolicorum nominum, ſpirituum, & inuocationis illorum. Eodem errore implexi Auicenna & Algazel quicquid à Magis effici-

Γοητεία ἀπὸ τῶν γόων καὶ θρηνῶν περὶ τοὺς τάφους.

efficitur id naturalibus cauſis contendunt effici:qui certiſſimus eſt modus ad ineſcanda ingenia quæuis illuſtria & omni magicarum ſortium genere implicanda. Huc quoque pertinent commentitiæ illæ appellationes, familiaris ſpiritus, alborum dæmonum in Africa, in Græcia Sibyllarum, in Germania albarum Sibyllarum, & Fearum ſeu ſatiferarum in Gallia: cuius rei lectores volui admonitos, ne circumueniantur iſta nominum elegantium ſpecie. Nam quomodo poſſet dictum boni illius doctoris conſiſtere, ſingulis planetis etiamq; ſtellis æque malum dæmonem adeſſe ac bonum? nam diaboli in cœlo non ſunt, omne malum elementari mundo incluſum eſt, qui minima eſt vniuerſitatis iſtius particula, & milliarib. amplius quinquagies mille à cœlo Lunæ eſt diſſitus. Omnes autem Theologi & Philoſophi conſentiunt ſuam eſſe cuique intelligentiam ſiue Angelum ad motum & conuerſationem. Sed vt demus vnicuique ſtellæ ſuam eſſe intelligentiam, nunquam tamen exſtitit philoſophus qui malignos ſpiritus in cœlo verſari crederet: multo minus igitur inter duos aduerſos dæmonas in rebus agendis conueniret, maxime vero in motu cœleſtium corporum ſtato & immutabili. Neque enim perinde vt homo libere ad bene aut male faciendum conuertitur, qui modo à maligno Spiritu agitur cum in ſceleribus ſeipſum occupat, modo à bono ſpiritu quando ad Deum conuertitur. Præterea quomodo bonus An-

gelus aut albus Planetarum dæmon ſine damnanda idololatria poteſt inuocari? nam aut planeta, aut dæmon adoratur, aut vterq; ſimul. Inprimis vero ſi ritum ſacrificiorum animaduertamus, quæ inſignis ille magiſter pręcipit, lapidem, plantam, animal, numerum, characterẽ, metallum, aſpectum, & proprium Planetæ tempus aptans carminibus, hymnis & inuocationibus, quomodo ſine damnanda idololatria conſtabit hęc inuocatio? vndenam, obſecro, omnes Bahalis, id eſt, Apollinis vel Solis, omneſque Lunæ (quam Reginam cœlorum vocat Ieremias) manarunt idololatriæ, niſi ex iſto fœtido commentorum fonte? Atqui iurat apud Ieremiã Deus ſe igne, gladio, peſte, fame eos omnes abſumpturum eſſe qui reginam cœli adorauerint: quapropter Septentrionales populi eã maſculina voce nominabant adorabantque, vt memoria noſtra Germani faciunt priſcam maiorum ſuorum ſuperſtitionem imitati, qui (vt Caracallam Imperatorem dixiſſe apud Spartianum legimus) eos ſolum vxoribus ſuis putabãt dominari qui Lunam maſculino genere nominarent. Sic Iamblicho reſpondetur, ſic Proclo, Porphyrioque, ſic magnis illis Diabologicæ artis doctoribus tam multa centena animarum millia ad impietatem ſuam pertrahentibus, qui dicunt adunari omnia oportere, & creaturis elemẽtaribus ſtellas & planetas, his ſuos dæmonas, dæmonibus Angelos & cœleſtes minorum gentium Deos, his denique Deum adipiſci. Verumta-

Ierem. 3.

rumtamen iſti proxenetæ quotquot ſunt Satanam ſolum attrahunt, nec aliud Agrippa veteres Doctores imitatus præſtitit. Ideoque 26 articulo determinationis à Sorbona factæ anno M. CCC. XCVIII. reſcinditur & damnatur eorum impietas, qui vim facultatemque intelligentiarum cœleſtium in animam ſic docēt influere, vt cœleſtium luminum facultas influit in corpora: verum amplius damnanda eſt atq; deteſtanda eorum impietas qui vnicuique ſtellæ malum Dæmonem adeſſe tradunt. Quamquam errorem iſtum Aphrodiſeus philoſophus, Porphyrius, Proclus, & Iamblichus reiecerunt, qui ieiunabant optima fide, & bonis dæmonibus, paruulis Diis aliis & Semideis ſacrificabant, Hercule, Baccho, Apolline, Æſculapio, Angelis, & conſimilibus inſuper cooptatis. Quamobrem in Lege multoties inculcauit Deus, ne alius præter ipſum colatur aut adoretur Deus. Vox enim Hebræa *Tiſtaueh*, quæ in Decalogo habetur, & Chaldæa *Tiſgod* nihil aliud ſignificat quam inclinare ſeſe & quod Latini dicunt adorare: vt Plinius, Galli, inquit, adorādo dextram ad oſculum referunt, totumq; corpus circumagunt, quod in læuum feciſſe religioſius eſſe putant. Præuidens autem Dominus Ethnicos primum Stellas, planetas, aliaſq; res creatas adituros, diſerte pœna capitali id cauit fieri: eoq; amplius gradus in altari ſuo vetuit ad aſcendēdum exſtrui, vt recta ad ipſum adiretur, non autem iis gradibus quos Platonici, Pythagorici, & alii Exod. 20.

ſequuti ſunt. Iſtud enim interdictum ne gradus fiant quibus ad altare Dei conſcendatur, notandum eſt Decalogo & in eodem capite ſubiici, vbi nulla eſt expreſſa tacitaue templi aut altaris mentio: ac propterea de lapidibus ſolum accipi non oportere. Sed vt præclaræ illius Magiæ quã albam vocant impietas demõſtretur, quiſquis ea ad rem optatam adipiſcendam & fruendam vtitur, effigiem Planetæ ſolenni ritu affabre factam geſtat: quod nobis idcirco viſum eſt annotare, quia magnos viros, & qui in magna opinione erant, iſtis impietatibus addictos vidimus: etiam vni ex Chriſtianorum principũ potentiſſimis (cuius nomen præſtat reticeri) auream Iouis imaginem ex Theurgia fabricatã dari, quam ille circumgeſtabat vt maiorem ſibi amplitudinem compararet, & quę de collo poſt mortem ipſius (mors autem fuit miſera) pendens inuenta eſt. Nam etiam Neapolitano cuidam Mago, quo vtebatur & conſeruatorem ſuum appellabat, mille ducẽdas libras francicas in ſtipendium annuum numerabat. Atqui mãdatum illud Dei, Non ſculpes tibi imaginẽ, habet Hebræum פסל omnem imaginem fuſam, cæſam, ſculptam, cælatam ſignificans: eorumq; idololatria qui imagines iſtas & characteras gerunt omnino longe maior eſt, quam illorum qui coram Deorum iſtorum quos diximus ſimulachris procumbunt, quod tamen indicta
Exod. 20. & 21. capitali pœna in lege Dei prohibetur. Sed Pythagoreorum, Academicorum, & infidelium gentium

gentium quæ iſtis rebus optima fide vtebantur inſignis ab his eſt differentia. Illi enim vt fuerint idololatræ, cum eo pacto à ſe Deum adorari & digne coli putauerint, non fuerunt Magi: hi vero qui interdictum norunt, & quamuis diabolum autorem ſciant eſſe ac inuentorem iſtorum ſcelerum, eis nihilominus abutuntur, hi igitur Magi dicendi ſunt. Iam itaq; minutatim illicitos modos quã maxima religione poterimus ordine perſequamur, tum vt caueatur ab illis, tum vt ſi quando iudicia de artificibus erunt facienda bene expendi poſſint. Quamquam in hoc argumento non mediocriter animi pendeo. Si enim oculis commonſtrauero & palpandos digitis exhibuero ritus, modos, verba, quæ ad eam rem oportet adhiberi, equidem ſic docuero id quod ſepeliendum eſt obliuione ſempiterna: ſin autem obſcure vno verbo impietatem rei perſtrinxero, ſic neq; imperitis (quos vt ab iſto præcipitio caueant præmoneri opus eſt) profuero, neque iudicibus qui ne forte ex communi errore defunctorie iudicent de merito iſtius criminis cupiunt informari: idque præſertim hoc tempore, quo vrbes, vici, agri, adeoq; elementa ipſa contaminata ſunt, ac ne pueruli quidem ipſi exſortes ſunt iſtius criminis. Fieri tamẽ non poteſt vt centeſimã partem impietatum annotem quæ in hac cauſa cõmittuntur, quas neque ſcire cupio, neque ſi ſcirem vellem exponere: ſed aliquid ſolum exſcribam quod aut in ſcriptis legero, aut ex quæ-

 ſtioni-

ſtionibus habitis cognouero. Etſi maligni ſpiritus nouas artes, noua ſcelera comminiſcuntur momentis ſingulis, vt Poeta inquit, tibi nomina mille, Mille nocendi artes, &c. Wierus autem (qui de comparando Defenſoris Magorum nomine videtur ſatagere) non poteſt ſe excuſare quin impietatis ſummæ teneatur, quod formulas omnium quæ vnquam cogitari poſſunt ſceleratiſſimas & ſummopere deteſtandas in librum ſuum retulerit: adeo vt ſpecie tenus diabolum & commenta eius criminetur, ſed ea tamen doceat indicetque, etiam characteribus & verbis appoſitis, quæ præceptor ipſius Agrippa dum viueret publico noluit committere. Atq; hæc quidem cauſa eſt cur res iſtas obliuioni inuoluẽdas, quoad eius fieri potuit, celauerim: facturus enim mihi ſum viſus operæ pretium, ſi Iudices teneant quid ſupplicio dignum, & imperiti à retibus ſibi caueãt, quæ bellus iſte protector ipſis decipiẽdis & ad Satanam perducẽdis ante comparauit. Modi igitur quos ante explicauimus ex ſorte ducti & in alea ſola videntur poſiti: in ſequentibus vero ſunt verba, ſunt motus quidã, ſunt & imagines, ex quibus malignus adeſſe ſpiritus manifeſto cognoſcitur. Eiuſmodi eſt cribri ſaltatio à veteribus paſſim vſurpata, vt apud Lucianum legimus: vnde prouerbium κοσκίνῳ μαντεύεσθαι, & nomen diuini κοσκινόμαντις (quaſi cribrouatem dixeris) apud Theocritum:

εἶπε καὶ ἀγροιώτ' ἀλαθέα κοσκινόμαντις.

Hac

Hac arte multi vtuntur palam. Memini me Lutetiæ ante annos 20. in domo clariſſima videre adoleſcentem, qui intactum cribrum ſine alio naturali & latente modo præſentibus multis honeſtis viris agitauit, enuntiatis ſolummodo & reiteratis ſæpius voculis aliquot Gallicis, quas hic placuit reticere. Huic autem malignũ ſpiritum adfuiſſe eo demonſtratur, quod eo abſente alter idipſum enuntiatis iiſdem vocibus tentauit facere, nec effecit quicquam. Equidem impietatem hanc affirmo eſſe, tum quia blaſphematur Deus quando per alium iuratur quam per ipſum, quod iſte faciebat: tum quia modus eſt diabolicus, vt qui à natura fieri nequeat, & prohibeatur diuina lege. Quod autem verborum virtus aliquid præſtare dicitur, technam eſſe diabolicam aperte vident omnes, eaq; malignos ſpiritus ſolere vti ad ineſcandos imperitos & ad ſcholam ſuam paulatim perducendos: nam etiam Iohannes Picus Mirandulanus Princeps voces barbaras nec intellectas in Magia plus ſcribit poſſe quã eas quę intelliguntur. Sed vt impietas apertius oſtendatur, nemo iã ruſticus neſcit vno verſu (quẽ nolo indicare) è Pſalmis pronuntiato quãdo lac premitur, non cogi butyrum. Fui Chellis Valeſiorum agro, cum paruulus à pedibus puer ancillæ impedimento eſſet ne butyrũ cogeret: ea autem interminante flagrũ à domino ſi carmẽ non eximeret, fecit eodẽ verſu prępoſtere enũtiato ac velut retexto, vt butyrũ (in quo totus fere dies cõ-

Deut. 19. Ierem. 5. & 12.

In poſitionibus.

ſumptus fuerat) cogeretur. Si vel tantillum ſacchari indatur, butyrum non coagulari conſtat: hæc enim à natura eſt ἀντιπάθεια: eademq; ratione ſi ęris Cyprii aliquantulum iniiciatur in fornacem ferri, non liquatur ferrum ſed abit totũ in cinerem: quamobrem fuſores accenſo igne metuentes ne quid immittatur ęris, in illud incũbunt ne quis proxime caminum veniat. Sed hic quęritur liceatne verſum Scripturę ſacrę pronũtiare, verbi gratia, verſum è Pſalmis cum itur cubitum, vt qua hora voles expergiſcaris. Spectabat quidẽ verſus vt Dauid ad orandũ & prędicandũ Dei laudes excitaretur: verumtamẽ non apponam eum, quia inique fit cum verbis virtus tribuitur: vt nihil amplius ſit quam quod verbis habetur fides, hoc tamen ſatis eſt vt homines prouehantur longius & ab his principiis in res ſuperſtitioſas & impias ferantur præcipites. Imo ne quem circumueniãt Magi, ipſorum carmina abundant pulchris orationibus, Pſalmis, nomine Ieſu Chriſti vbiq; inſperſo & ſanctę Trinitatis, cruce ad voces ſingulas, aqua luſtrali, verbis è canone Miſſę Gloria in excelſis, Omnis ſpiritus laudet Dominum, A porta inferi, Credo videre bona Domini, &c. Quod eo deteſtabilius eſt, cum ſanctę voces ad ſortes magicas admittuntur. Si qui itaq; pronuntiatis aliquot verſibus aut Pſalmo bipennẽ recta impingunt, ac tum eorum de quibus ſuſpicio eſt nomina proferunt ad aliquid cognoſcendum, ſi prolato illius qui reus eſt nomine mouetur bi-

pennis,

pennis, ars diabolica eſt, quam veteres Ἀξινομαντείαν appellabant: ſimiliter annulo ſuper aquæ cyathum poſito Δακτυλιομαντεία, quam famoſa quædam Malefica genere Itala exercebat Lutetiæ Anno M.D.LXII. neſcio quas voces admurmurans, & interdum rem diuinans, de qua conſulebatur: etſi pleriſque dabantur verba. Ioachimus Cameracenſis narrat Hieronymum Moronem, ex quo Cancellarius Mediolani fuit, loquentem annulum ac potius diabolum habuiſſe, qui tandem mercedem rependit hero ſuo dignam, & curauit eum abdicari. Sunt tamen, qui genus iſtud ὑδρομαντείαν vocent: Dactyliomantiam vero putent de illis annulis accipi, in quibus Magi portant ſpiritus, quos familiares dicunt, δαίμονας παρέδρους Græci. Ὑδρομαντείαν & Παγομαντείαν ex fontibus Numa Pompeius exercuiſſe dicitur. Etſi Hydromantiam Varro aliter accipit, narrans imaginem à puero, cuius opera vtebantur Magi, fuiſſe in aqua viſam, quæ verſus quinquaginta de toto bello Mithridatico antequam gereretur pronuntiauerit. Incerta eſt ἀερομαντεία, niſi forte pars fuerit Auguralis ſcientiæ, quæ ex aeris conſtitutione coniectaret. Alia quoque diuinationis ſpecies ex farina fuit ἀλφιτομαντεία vel ἀλευρομαντεία, cuius meminit Iamblichus, ſed ritum illius non exponit. Meminit quoque Λιθομαντείας, ex lapidibus, nec eam explicat: nos autem ſupra eam attigimus, interpretantes legis diuinæ locum, qui lapidem imaginationis vetat ado-

Ἀξινομαντεία.
Δακτυλιομαντεία.
Ὑδρομαντεία.
Παγομαντεία.
Ἀερομαντεία.
Ἀλφιτομαντεία vel ἀλευρομαντεία.
libr.3. cap.12.
Λιθομαντεία.

orari: vnde videtur lapis fuiſſe ad vnguem expolitus, tanquam ſpeculum, ex quo imagines offerebantur, & diuinationes petebantur. Illa quoque diuinatio facta ex lapide dici poſſet, cum digito fertur Amethyſtus, quem Hebræi & Arabes vocant אלהלמה, propter naturalem ipſius proprietatem in efficiendis ſomniis: nam articulus *Al* eſt Arabum, reliqua vox Hebræorum, ſomniumque ſignificat. Diuinationis ex lauro, quam Δαφνομαντείαν dicunt, ratio eſt eadem: quæ planta fuit olim ſacra Apollini, & ſomnia creditur gignere magnasque vires in Magia obtinere, vt inquit Proclus. Ac ſomnia quidem per laurum effici concedo, quemadmodum ab omni odorata planta & fumis omnibus generantur: ſed vſum illius ad veritatem alicuius rei cognoſcendam illicitum eſſe affirmo ac diabolicum: aditur enim res creata, & creator deſeritur ad diuinationem, quod prohibetur ſeueriſſime. Κεφαλεονομαντείας, ex aſinino capite, idem iudicium. Qui fieret, nondum legi: ab Ægyptiis profectam puto. Nam apud Ioſephum legimus contra Apionem Grammaticum, (qui legatione ad Caligulam Imperatorem functus eſt) illum Iudæos calumniatum eſſe, quod in Dei templo caput aſini habuerint. Πυρομαντεία & Καπνομαντεία, præcepta ex igne diuinatio & ex ſeminum quorundam fumo, præ aliis eſt diabolica: nam thymiama vel ſuffitum coniunctum habet, quo ſubiectum quoddam ac veluti corpus ſpiritui maligno ſubminiſtratur:

Δαφνομαντεία.

Κεφαλεονομαντεία.

Πυρομαντεία & Καπνομαντεία.

tur: quo genere imperitos pleroſque circumueniunt Magi, nihil aliud eſſe quam albam Magiam affirmantes. Ab hoc malo cauendum ſtudioſius quam à peſtilentia. Ῥαβδομαντείαν Medicum Tholoſæ exercentem vidi, & ſubmiſſa voce aliquot verba murmurantem, vt ambæ vnius virgæ extremitates oſcula iungerent: ſed nihil profecit, eos cauſatus qui intererant carere fide. Hoc facto, duo fruſtula eiuſdem virgæ accipiunt, eaque de collo ſuſpendunt curandæ quartanæ. Nefarium inſtitutum, ſcelerata carmina, quæ ſine ope Satanæ nihil omnino poſſunt. Ξυλομαντείας Hebræus quidam Doctor meminit in li. de ſexcentis tredecim mandatis Dei, narrans è fragmentis ligni fieri in Illyrico: ſed quid illud fuerit neſcio, nec ſatis poſſum colligere. Thomas Aquinas genera percurrit multa, ſed ne centeſimam quidem eorum partem. Sufficiunt iſta quæ diximus, vt de conſimilibus ſecreta verba aut characteres ad rem ſimplicem adiectos habentibus iudicari poſſit. An nuda verba ſine alia actione vlla quicquam poſſint, ſuo loco dicturi ſumus. Ex omnibus autem ſceleribus huiuſmodi nullum exſtat frequentius paſſim, nullum prope pernicioſius eo impedimento, quod nouis coniugibus affertur: hoc vulgus dicit ligare ligulam, quod pueri quoque exercent palam ſumma impunitate & licentia, nonnulli etiam gloriantur. Neque vero nouum hoc inſtitutum eſt: nam Amaſin Ægypti Regem apud Herodotum legimus fuiſſe

Ῥαβδομαντεία.

Ξυλομαντεία.

Thom. 22. diſtin. 95. & 26. q. 4 igitur & q. 5. nec mirum. & 26. qu. 2. & Gaſpar Peucerus.

Lib. 2.

vin-

vinctum & impeditum, ne rem haberet cum Laodice, vxore ſua, donec carminibus ſolennibusque precibus ſolutus eſſet. Concubinas quoque Theodorici Regis iiſdem ligamentis aduerſus Hermambergam vſas eſſe Paulus Æmilius in vita Clotarii Secundi teſtatur. Rident quidem Philoſophi Epicurei iſtud miraculum: verumtamen hi nodandæ ligulæ artifices qui habentur paſſim illos reddunt attonitos, vbi ſe experti ſunt nulla arte mederi poſſe. Ideoque
33.qu.8. Canon: Si per ſortiarias, inquit, & maleficas artes, occulto ſed nunquam iniuſto Dei iudicio permittente, & Diabolo præparante, concubitus non ſequitur, ad Deum per humilem confeſſionem eſt recurrendum. Quo ex loco notari quatuor aut quinque axiomata neceſſe eſt: Primum, copulationem arte malefica impediri poſſe, quod omnes Theologi agnoſcunt vno ore, & ipſe Thomas in librum quartum Sententiarum, diſtinctione 24. vbi dicitur, vir reſpectu vnius ſolum mulieris ac non aliarum nodari poſſe, & cap. vltimo de frigidis: Secundum, id occulto fieri, ſed tamen iuſto iudicio permittentis Dei: Tertium, id totum à diabolo præparari: Quartum, ad Deum ieiuniis & orationibus recurrendum eſſe. Quod poſtremum caput apprime notandum eſt, quia impietatis eſt in eo laborare, vt (quod multi faciunt) diabolicis modis ſoluatur nodus: ſic enim ad diabolum & diabolicas ſuperſtitiones recurritur. Inprimis vero illud eſt admirabile, quod pueruli ma-

li magicarum ſortium imperitiſſimi hanc artem pronunciatis quibuſdam vocibus exercent, vinctaque ligula. De Rioleo generali apud Bleſenſes legato me audire memini, puerulum quemdam in templo nodationem ligulæ ſub petaſo ſuo facientem à muliere fuiſſe perceptum, quo tempore coniugio duorum benedicebatur, eumque deprehenſum cum ſua ligula aufugiſſe. Pictauii quoque cum in magnis conuentibus vices regii Procuratoris gererem Anno M. D. LXVII. acta cuiuſdam quæſtionis in Magos mihi ſunt tradita: quam cauſam cum meæ hoſpitæ, mulieri honeſtæ & bona exiſtimatione, narrarem, illa tanquam iſtius artis doctiſſima, me & Iacobo Bauuaſio relationum actuario præſentibus, explicauit, eſſe formas nodandæ ligulæ amplius quinquaginta, ſiue ad virum coniugatum impediendum, ſiue ad mulierem ſolummodo, vt alter alterius faſtidiens infirmitatem adulteriis ſeſe pollueret: plerumque tamen virum illigari, vix mulierem: ligari autem poſſe in diem vnum, in annum, in æternum, aut quantiſper duratura eſſet ligula, niſi ſoluerentur: eſſe nodationem, qua vnus alterum deamet neque redametur, ſed odio ſit vehementiſſime: eſſe qua inter ſe amarent ardentiſſime, ſin ad congreſſum veniretur, alter alterum laniaret vnguibus & cæderet indigniſſime: vt mihi fuit aliquando Tholoſæ narratum, eo pacto fuiſſe virum mulieremque illigatos, qui poſt triennium reconciliati pulchram ſobolem pro-

progenuerint. Et quòd amplius mirer, narrabat mulier, dum vincta manebat ligula, tumores ei adnaſcentes veluti verrucas ſpectari, indicia (vt aiebat illa) liberorum, qui fuiſſent editi, niſi occupauiſſet nodatio: poſſe vero nodationem fieri ad procreationem intercipiendam, non ad copulationem præuertendam. Homines etiam affirmabat eſſe, quos nodare non poſſis: eſſe quos nodatio impediat ante coniugium: eſſe quos impediat coniugatos, ſed difficilius. Præterea in hominibus aiebat eiectionem lotii impediri poſſe, (cauillare dicunt artifices, quaſi διαπερονᾶν, ſubſcude infibulare dicas) ex eo non paucos emori. Sic comperi miſerum quendam puerum prope enectum eſſe, tum impedimentum per eum qui infibulauerat ſublatum fuiſſe, vt mingentem palam puerum traduceret: deinde vero poſt menſes aliquot Magus iſte deceſſit de vita maniacus. Narrabat quoque mulier ſermones varios ad nodationem quamque pertinentes, (qui neque Græci fuerunt, neque Hebraici, neque Latini, neque Gallici, neque Hiſpanici, neque Italici: ac ne cum aliis quidem linguis habuiſſe puto conuenientiam) & quo ex corio, quo colore ligulas eſſe oporteret. Nihil profectò ad noſtram hanc Doctores omnes, qui in titulum de frigidis & maleficiatis annotarunt. Cum itaque in Pictonum agro hoc percrebuiſſet malum, Niorti capitalis Quæſtor cum vicinam ſuam noua nupta detuliſſet & accuſauiſſet ligati viri, Anno M. D.

LX.

LX. in obſcurum carcerem eam rapi iuſſit, minatus ex eo nunquam egreſſuram eſſe, niſi ſoluiſſet virum: itaque poſt biduum captiua coniugatis concubitum imperauit, & Iudex ſolutum eſſe audiens è vinculis dimiſit illam. Vt autem verba ligulasque nihili eſſe conſtet, ſed rem totam arte diaboli malitiaque peragi, abutentis hominibus & ſceleratam ipſorum voluntatem adiuuantis, demonſtrant illud Latina Maronis verba, quæ certo conſilio omittimus: carmen enim quo ad impediendam copulationem vtitur, Latinum verbis, ſenſu apertum eſt, ex quatuor metricis vocibus conſtitutum: quæ autem dicuntur hodie, plane ſunt barbara. Deinde Virgilius nouem nodos imperat, vnico vtuntur noſtri. Illud præterea obſeruatione dignum eſt, neque penes Diabolum, neque penes Magos ipſius adminiſtros eſſe, vt alios ſenſus obligent, hominesque à bibendo aut comedendo auertant intercepta eorum facultate: neque ſimiliter poſſe homini membrum vllum præter virilitatem adimere, quod in Germania faciunt pudendis abditis atque in ventrem contractis. Ita Sprengerus hominem Spiræ narrat, cum ſe pudendis orbatum eſſe crederet, Medicos & Chirurgos ad ſe inſpiciendum aduocauiſſe, hos vero nihil omnino, ne vllum quidem vulnus percepiſſe: itaq; hunc pacata deinde ea quam offenderat malefica reſtitutum eſſe. Alterum quoq; exemplum affert ciuis Ratisbonenſis, qui Magam arripuit ſtrangulatu-

laturus, eamque vi ad impedimentum ſoluendum compulit. In hoc autem Hebræi omnes conſentiunt, Diabolum Deo permittente plurimum in genitalia & concupiſcentiam poſſe, dicentes allegoricè Satanam à ſerpente ferri. Serpente vero ἀλληγορικῶς voluptatem, quæ in ventrem incumbit, ſignificari Philo & Hebræi
Tob. 7. tradunt. In Tobia quoque legimus, ſeptem viros, qui Raguelis filiam duxerant, prima nuptiarum nocte à maligno ſpiritu fuiſſe occiſos. Non debet autem videri mirum, ſi nodationibus iſtis diabolus plurimum abutitur: primum enim generis humani, quod totis viribus conatur perdere, procreationem impedit: deinde auguſtum illud amicitiæ vinculum inter virum & vxorem tollit: poſtremo, qui ligati ſunt artibus, ad ſcorta & adulteria tranſuolant. Horrendæ igitur impietatis iſtud eſt atque capitale, vt ſuo loco demonſtrabimus: plerique tamen qui nodationibus iſtis abutuntur expreſſam cum diabolo conuentionem neſciunt, neque inuocant eum: ſed eum artificibus iſtis adeſſe conſtat. Iam igitur de iis videamus, qui inuocant diabolum: nam Magorum conditiones diuerſæ ſunt.

CAPVT II.

De tacitis malignorum ſpirituum inuocationibus.

INSIGNIS Magorum eſt differentia, quam ob varietatem ſuppliciorum neceſſe eſt cogno-

gnoſcere. Illi enim, de quibus ante agebamus, carent malignorum ſpirituum inuocatione: horum vero non mediocris eſt differentia. Nam alii quibuſdam verbis & myſteriis abutuntur ſine expreſſa inuocatione, quamuis eo pertineant verba, vt ſpiritus dicat aut indicet rei illius, quæ agitur, veritatem, alii expreſſam inuocationem adhibent. Λεκανομαντείαν priſci Aſſyrii & Chaldæi plurimum exercuerunt, inditis in peluim aqua plenam auri & argenti laminis gemmisque certo charactere ſculptis: qua ex pelui poſt ſermones aliquot pronunciatos exilis vox inſtar ſibili exaudiebatur ex aqua reſponſa edens, ſine expreſſa inuocatione. Γαστρομάντεια ex vaſis vitreis rotundis aqua plenis coniiciebatur, poſtquam accenſis cereis quaſdam voces effati fuiſſent Magi: neque audiebatur vox vlla, ſed reſponſa ex notis quibuſdam & ſignis percipiebantur. Similiter è ſpeculis Κατοπτρομάντεια, è glacie aut è cryſtallinis Κρυσταλλομάντεια: quemadmodum Ioachimus Camerarius ciuem Noribergenſem à ſe viſum teſtatur, qui cryſtallinum annulum emerat, ex quo quidem annulo viſionem eorum, de quibus conſulebatur, percipiebat puerulus, ſed poſtea emptor cum à diabolo infeſtaretur diffregit annulum. Ea, quæ dicitur Ὀνυμάντεια, fit, cum fricato vngue aut cryſtallo certis confectionibus neſcio qui ſermones pronunciantur, ac tum puerulo integrę & incorruptæ pudicitiæ videndum exhibetur illud quod quæritur: perſuadet

Λεκανομάντεια.

Γαστρομάντεια.

Κατοπτρομάντεια.

Κρυσταλλομάντεια.

Ὀνυμάντεια.

enim diabolus à ſe virginitatem deamari, cum vt arte iſta homines ab ineunte pueritia ad ſe pertrahat, tum vt humani generis impediat procreationem, cum tamen ſuos ad nefarios cõcubitus & contra naturam prouocet & commixtionibus horrendis contaminet. Diuerſa eſt Catoptromantia cuius Pauſanias in Achaicis meminit, ab ea qua Magi noſtri abutuntur. Cupiens enim aliquis cognoſcere an à morbo reualiturus eſſet, ſpeculum in fontem ad Cereris indebat Patrẽ, & ſi mortui hominis figura appareret, iudicabatur moriturum, ſin viuentis, reualiturum conſultorem eſſe. Vide autem diaboli κυβείαν in magicis ſortibus admirabilem: nam quia ſunt viri boni & religioſi, qui ne minante quidem morte grauiſſima diabolum eſſent inuocaturi, hoc ille perſuadet verborum, characterum, herbarum, aut animantium, viribus effici, eoque pacto à vero abducit etiam conſideratiſſimos: itaque Virgilius, qui non poſtremus inter Magos habebatur, inquit:

Carmina vel cœlo poſſunt deducere Lunam,
Carminibus Circe ſocios mutauit Vlyſſis, Et alibi,
Frigidus in pratis cantando rumpitur anguis, &c.
Atq́ ſatas alio vidi traducere meſſes.

Item:

Hæc ſe carminibus promittit ſoluere montes,
Siſtere aquam fluuijs, & flumina vertere retro,
Nocturnoſq́ ciet manes: mugire videbis
Sub pedibus terram, deſcendere montibus ornos.

Amplius

Amplius vero Ouidius agens de malefica, cum inquit:

Quum volui, ripis ipſis mirantibus amnes
In fontes rediere ſuos, concuſſaq; ſiſto,
Stantia concutio cantu freta, nubila pello,
Nubilaq; induco, ventos abigoq; vocoq;,
Vipereas rumpo verbis & carmine fauces,
Et ſylüas moueo, iubeoq; tremiſcere montes,
Et mugire ſolum, maneſq; exigere ſepulchris:
Te quoq; Luna traho, &c.

Quæ omnia ſi vera eſſent, humanas mentes plurimum raperent admiratione: verumtamen magnum eſt quod ita homines faſcinantur, vt illud quod nihil eſt, ad oculorum aſpectum putēt eſſe veriſſimum. Etſi hoc verborum vi non poteſt fieri, quicquid ſcribant homines ſcientiæ iſtius peritiſſimi, ſed ſolus diabolus iſtorum faſcinorum autor eſt atque adminiſter. Quam ad rem confirmandam illud argumentum pertinet quod ante diximus, homines à diabolo omni ſermone per Græcas, Latinas, barbaras, & inauditas voces decipi, quamuis pro varietate nationum ad eandem rem vocabula artis ſuæ ſoleat commutare. Demonſtrant illud Poetæ Virgilius & Theocritus, hic Græcus, Latinus ille, Marcellus & Nicolaus Medici, & ipſe quoque Plinius, qui multa iſtarum fraudum profert vocabula ab iis quæ Magi noſtri ſcripſerunt plane diſſonantia. Cruces etiam ac hoſtiæ inſperguntur paſſim, vt in iudicio cæci (qui Pariſiis fuit ſuſpenſus) confirmatum eſt, &

duorum aliorum, qui euicti fatebantur, ſe hoſtiis, crucibus & orationibus plurimis vſos eſſe. Maximam impietatem, cum Diabolus eo quod Magi putant ſanctiſſimum ad res ſummo horrore & deteſtatione dignas abutitur. Etenim qui ludificatur & blaſphemat Iouem, quem putat eſſe Deum, (prout Caligulam feciſſe legimus) is tam reus eſt propemodum, quam ſi ludificetur Deum, qui animos & voluntates hominum introſpicit: quemadmodum primus ille Scæuola, qui Porſennæ Hetruſcorum Regis vitam appetens occidit legatum eius, non minus reus exſtitit, quam ſi occidiſſet Regem. Hęc igitur illa mens, hoc conſilium Satanæ, vt non veram ſolum religionem ex animis humanis eximat, verumetiam omnem conſcientiam metumque maleficii: ideoque imperitis perſuadere nititur, non à ſe iſta geri, ſed ex vi verborum proficiſci. Dixerit quiſquam Cabala, (quæ Hebræorum eſt Philoſophia) vim quoque verbis & characteribus tribui, vt in Reuchlino, Galatino, & Cabaliſtis Pici poſitionibus legimus. Reſpondeo, Cabalæ duas eſſe partes, vnam, quam vocant Bereſchit, in principio, à prima Bibliorum voce, eamque veram Phyſicam & naturalem Philoſophiam, in qua exponunt magnum iſtud opificium mundi & res arcanas inuolutas allegoriis, ſententiaſque aliorum Philoſophorum reprehendunt diuinæ legi aduerſantes: Alteram, quam dicunt Mercaua, id eſt, currus, à viſo Ezechielis figurans maieſtatem

Dei

Dei & Angelorum comitatum, quæ celſa quidem & difficilis eſt, ſed tamen intellectum in admirationem rapit, & νοητοῦ κόσμου contemplationem. Hanc Hebræi aquarum ἐπουρανίων vel ſupercœleſtium, illam (Phyſicam dico) inferiorum aquarum appellant nomine. In Prophetis & Lege Dei animaduertimus, ampliſſima & elegantiſſima ſecreta operum Dei allegoriis Biblicis occultari, (vt quiſquis bene attenderit apud Philonem, Leonem Hebræum, Origenem, & Salomonem comperturus eſt) eaſque viros & Prophetas ſanctos quaſi per manus poſteris tradidiſſe: At non ita curioſe atque ſubtiliter clauſulas, vôces, ſyllabas, literas, adeoque ſingularum literarum puncta & characteres aucupabantur, vt poſtea recentiores Iudæi rimati ſunt. Hi enim mirificam ſubtilitatem in magno Dei nomine tractando occupant, ex quo ſeptuaginta duo nomina Dei componunt, & Angelorum totidem: argutias quoque adhibent ad numeros, quos vocant Sephiroth: ex his nominibus numeriſque putant mirabilia præſtari poſſe. Sed iſta mihi non probantur admodum, maxime cum à Magis Agrippa & conſimilibus maximum illud Dei nomen & auguſtiſſimum characteribus ipſorum intermiſceri & contaminari video, ad quos ſermonem Dauid habebat, dicens: Pſalm. 50.

At Deus irarum plenus ſic dicet iniquo,
Quem cœli aut hominum non cohibet metus.

Quid celſum nomen, quid polluis improbe iuſſa?
Infandumq́ agitans in manibus neſas,
Fœderis inſtituis crepitantes fundere laudes?
At tu quæ doceant vtilium viam Spernis.

Reuchlinus & Agrippa falſo tradiderunt victoriam aduerſus Lyſiam & Antiochum Epiphanem Macchabæo Iudæ accidiſſe, quod has quatuor literas militari ſigno impreſſit מכבי quibus ſignificatur מי כמוך באלים יהוה, quis eſt par tibi inter fortes, o Iehouah? Atque hæc quidem bellica fuit teſſera militibus imperata, ſed per hos characteres victoriã reportaſſe pernego. Itaque Dei nomina in ore, in tabulis, in characteribus Magorum aut eorum qui tentãt Dominum, non ſanctificantur, ſed polluuntur **Leuit. 24.** atque blaſphemantur. Dei autem lex præcipit vt qui per contemptum nomen ipſius pronuntiat lapidetur. Non ſum neſcius malignos ſpiritus ab hoc ſacro nomine abhorrere, nominatoq; Iehouah repente fugam verti: ſed Iehouæ nomen, quo æternus ſignificatur, quolibet ſermone pronuntiatum eumdem effectum obtinet: imo ſolum Dei nomen vtut commune & peruulgatum eſt, bono animo enuntiatũ diabolos ſtatim propellit (quod toties vſuueniſſe nouimus, quoties Magus aliquis in communi cœtu auxiliũ Dei implorauit) & quod amplius eſt, ſolus Dei metus & terror ab ipſo propulſat **Lib. 1. de ſortilegiis.** diabolos, vt poſtea dicturi ſumus. Paulus Grillandus qui vixit anno M. D. XXXVII. Sabinum quemdam non procul Roma fuiſſe ſcribit ab

vxore

vxore perſuaſum vt ſe exemplo ipſius certis vnguentis inungeret, eoque pacto cum Magis aliis exportaretur: credentem itaque illum à diabolo iſtud non eſſe, ſed ex vi vnguenti & enuntiati ſermonis vxori paruiſſe: tum delatum in Beneuentanum Comitatum optimum Papæ fundum, idque ſub nucem vbi verſabantur Magi innumeri epulantes, idem feciſſe quod faciebant alii: cumque ſæpius ſalem quem perhorreſcunt diaboli petiiſſet, & ſal tandem (vt videbatur) ei allatus eſſet, vernaculo ſuo ſermone dixiſſe, *Laudato ſia Dio pur e venuto queſto ſale*, Laudetur Deus quandoquidem hic aduenit ſal: ſimulatque Dei nomen fuit pronuntiatum, omnem diabolorum Magorumque cõuentum momento euanuiſſe, miſerum illum Sabinum ſolum ac nudum remanſiſſe, qui domum mendicans ad centeſimum milliare reuerſus eſt: reuerſum vxorem accuſaſſe, quæ viua igni fuit tradita poſtquam veritatem facti agnouiſſet, aliaſque complures accuſaſſet, quæ euictæ ſimiliter incendio fuerunt ſublatæ. Quo exemplo conſtat euidentiſſime, efficacitatem miraculorum non in figuris, characteribus, ſyllabis, vocibus, ſed in timore Dei poſitam eſſe, Diabolum vero ſuas celantem fraudes verbis, characteribus, & conſecratis hoſtiis abuti ad perficiendum voluntatem ſuam. Quod autem diabolum à ſale diximus abhorrere, ratione optima nititur, quia ſal æternitatis eſt & immortalitatis ſignum, neque putredine ne-

que corruptione infeſtus vnquam, ſed ipſe à corruptione atque putredine omnia vindicans: Diabolus vero nihil procurat aliud quam rerum creatarum corruptionem & diſſolutionem, vt generationem Deus. Quamobrem ſalem menſæ loci ſancti omnibusque vniuerſe ſacrificiis apponi lex Dei imperat: quod mandatum ab Hebræis Plato videtur didiciſſe, cum ſalem à Diis affirmat diligi. Contra vero ſacrificiis vinum aut mel lex Dei vetat adhiberi, quod faciebant Ethnici, innuens Deum ſine adulatione attente, prudenter & ſobrie accedendum eſſe. Atque hac in re falluntur, qui vxorem Loti in ſtatuam ſalis mutatam putauerunt: ſic enim Hebræi ampliſſima naturæ arcana tenentes ſolent ſtatuam ſalis pro perpetua nominare, vt Lex Dei inquit, pangam vobiſcum fœdus ſalis, id eſt, perpetuum. Si characteribus aut figuris nominum Dei proprium eſſet, vt res eaſdem efficerent, non eſſent profecto Magi ad ſuas inuocationes illis abuſuri, quibus tamen pleni ſunt ipſorum libri. Ex his itaque conficitur, Cabalam, id eſt, ſapientiam à Deo acceptam quaſi in manum, Angelorum Prophetarumque miniſterio, non eſſe in characteribus aut figuris poſitam, ſed in ſecreta diuinorum miraculorum intelligentia allegoriis per ſacram Scripturam implicata paſſim. Nulla enim propemodum exſtat oratio, præceptum nullum, cuius non ſit duplex, aut etiam triplex intelligentia. Exempli cauſa, præceptum datum Sacer-

Leuit. 2.

Geneſ. 19.

Num. 18.

Lib. Pirke aboth ſæpe legitur, Moſes accepit, quæ tamen ſcripta in libris Moſis nuſquam reperiuntur.

Leuit. 13. & 14.

Sacerdotibus de includendo homine qui ex elephantiaſi cœpit laborare cum primum malum cernitur, & ſepteno quoque die, donec ſanatus fuerit aut totus à capite ad pedes albus euaſerit, reuiſendo: tum de eo libere dimittendo quia mundus eſt, inquit Scriptura: ſin apparentem aliquam viuę carnis partem habuerit, de eo ab aliorum conuerſatione ſeparando: præceptum igitur iſtud politicum miratur Philo, itaque moralem affert ſenſum, ſi bene memini, dicens non poſſe eum qui prorſus cognitione Dei caret ac conſcientia aliis damno eſſe: qui autem diuinæ legis & veritatis ſenſu præditus ſe aliunde ſinit nefariis opinionibus deprauari, hũc pernicioſum eſſe, quia religionis ſpecie venenum impietatis miſcet, vt Magi miſcent Dei nominibus. Ad ſenſum illum politicum expreſſum lege Dei, & moralem Philonis alterum accedit elegantiſſimum naturæ myſterium quod nemo attigit: nempe quicquid corrumpitur id aerem quoq; & accedentes propius corruptionem inficere donec fuerit conſummata, quod Theophraſtus paucis libro de Odoribus expoſuit dicẽs πᾶν σαπρὸν κακῶδες, quicquid corrumpitur fœdum exhalat odorem, vt ouum, ſuauis & ſalutaris cibus, quem antiquas Regũ delicias vocat Horatius, ſi incubatu cœperit corrumpi fœtet ſupra modum, aeremq; inficit donec perfecta ſit corruptio & pullus excludatur: Ozimum quoque & Lauendula, quam veteres Nardum Celticam à naturali ipſius apud Occitanos

ortu appellabant, quando tecta & compreſſa incipiunt corrumpi, fœtent vehementiſſime, ſin corruptio ipſorum ſinitur conſummari, oleum afferunt optimũ & odoratiſſimum. Corruptum item genitale ſemen ſi in corruptione perſtat, cancros, bubones, & varos horrendos efficit. Eadem igitur ratione elephanticorum ſanguis eſt fœtidiſſimus quando corrumpitur, donec tota materia ſanguinis plane conuerſa ſit: quamobrem dum conuertitur, non ſine periculo ad elephanticos acceditur: conuerſo eo nihil periculi. Atq; hæc genuina Legis ſententia. Interdum hiſtorica ſolum eſt ſententia, vt cum Moſes dicitur populum numerauiſſe, & ſimilia: interdum allegorica, vt cum Lex pręputia cordium circũcidi iubet: præputium cordi nullum eſt, & ſi ineſſet nunquam tamen circuncidi poſſet. Innuit ergo lex improbas cogitationes reſcindendas eſſe, vindictæ appetentiam, auaritiam, cęteraque vitia. Hoc pacto imperiti qui in Cabalam inuehuntur viſuri ſunt Deum nobis quaſi palpandum & cernendum oculis iſtud exhibere, non ſolum literalem ſenſum teneri à nobis oportere, cum vere Scriptura dicat, Litera occidit, Spiritus autem viuificat. Quamquam pulcherrimus in Lege Dei habetur locus ad rem iſtam demonſtrandam, vbi Moſes dicitur è monte (in quo dies & noctes 40. fuerat) deſcendens velum faciei ſuæ impoſuiſſe vt alloqueretur populum, quod velum cum ipſe ad Deum reuertebatur eximebat: id autem feciſſe,

Exod. 34.

quia

quia non poterat diu populus ſplendentem ipſius faciem conſpicere, id eſt (vt è literali ſenſu excedamus) non valebat myſteria & allegorias, quæ confertim habentur in Lege Dei, animo percipere. Verumtamen populus Moſem retectum videns dicitur faciem ipſius quam valde ſplẽderet animaduertiſſe. Certe quicunq; ex incõſiderata pertinacia expoſitiones iſtas improbãt, quibus Hieronymi, Auguſtini, Baſilii, præcipueq; Origenis, omnium quoque Doctorum Hebræorum ſcripta abundant, iniuriam Deo ac Prophetis faciunt, qui nunquã aliter loquuti ſunt. Ac ne excelſa quidem illa Salomonis ſcripta ſunt aliud quam parabolæ & allegoriæ, eaq; certo conſilio in eam formam inſcripſit, vt demonſtret ſingulis non oportere vbique inſiſtere in literalem ſenſum, quem Hebræi *ſenſum paſſuk*, id eſt, verſus nominant: vnde barbari Latinitatis autores ex verſu facientes paſſum, *in hoc paſſu*, ſoliti ſunt dicere. At Salomonem ſcribitur ſapientia fuiſſe cumulatum, Deumque plus in eum contuliſſe quam in vllum hominem vnquam contulerit: hic tamen vt ſapientum mentes ſupra terram altius erigat, docet, cognitionẽ Dei eſſe arboris vitæ fructum. Nõ eſt igitur, quod pleriq; literæ inſiſtentes tradũt, arbor intelligenda. Hinc enim accidit vt boni iſti literalis ſenſus interpretes multa ἀθέως cẽtena millia pepererint, qui ex ſcripto illud de ſerpẽte in Geneſi loquẽte interpretati dicunt animãtes brutas olim loquutas eſſe: vt faber quidã ferrarius Geneſ. 3.

in Gal-

in Gallia, poſtquam à celebri Prælato audiuiſſet in concione per Adamum (propterea quod pomum ederat) totum genus humanum prętet exiguum Chriſtianorum manipulũ in damnationem æternam labefactatum eſſe, cum videret ſibi contra diſputanti Prælatum de ſenſu literali non ſatisfacere, dixit tandem tam multas rixas pro re tantilla inepte excitari: quod blaſphemum dictum ſimulac noſtrorum aulicorum pulſauit aureis in prouerbium abiit, non abiturum ſententia mea, ſi hic qui docebant alios bene intellexiſſet atque ſapienter explicauiſſet locum. Eodem errore Porphyrius in libris quos aduerſus Chriſtianos ſcripſit, ex literali ſenſu illud exagitans quod de arbore ſcientiæ boni & mali & de arbore vitæ in Moſe legimus, innumeros homines à religione vera auocauit propter ea ἄτοπα, quæ naſcuntur ex literali ſenſu: deſinunt vero ex diuina interpretatione, quam Deus Moſi & Prophetis tradidit, & quam apud Philonem, Leonem, Moſem Maymonis filium, Leuin, filium Larrhi, Origenem, alioſq; Theologos Hebręos & Chriſtianos legimus.
Leuit. 11. In hanc ſententiam ait Lex non ea ſolum animalia quæ non ruminant & quæ ſciſſum non habent vnguem immunda eſſe, ſed ea etiam quæ non ſunt vngue fiſſo, vtcunque ruminent: quod Origenes de iis accipit qui ſeſe in meditanda & contemplanda Dei Lege occupant, ſed inter literalem ſenſum & myſticum, inter carnem & ſpiritum nullam diſtinctionem ſeruant.

Hunc

Hunc autem (Origenem dico) magiſtrum Eccleſiarum Chriſti poſt Apoſtolos vocat Hieronymus, omniumque Doctorum principem. Cum itaque in Lege Dei legimus Pharaonem curauiſſe vt occiderentur mares, & puellæ ſeruarentur incolumes, id præter conſtantem literalis ſenſus veritatem ſapientes Doctores ita accipiunt, Diabolum quem figurat Pharao in hoc incumbere, vt intellectum maſculam hominis partem interimat vitamq; det concupiſcentiæ. Item quod Abraham Saræ dominæ obſequutus dicitur ancillam eiuſque filium eieciſſe, id Cabaliſtæ Theologi ſapienter exponunt rationi vt dominę obſequendum eſſe, & cupiditatem eiiciẽdam ac peccatum ex ea genitum. Cum prohibetur ne fructiferæ arbores gerendo bellum excidantur, interdictum quoque intelligendum eſt ne homines virtute prędit & opifices periti tollantur. Cum dicitur oletum terra obrui oportere ne inficiatur aer, hoc quoque eſt inde eruendum, dignius eſſe malũ excuſatione quod occultum eſt: ideoq; cauendũ ſingulis vt propalent ſuam turpitudinem, ne cuiquam ſit exemplum mali. Quando interdicitur ne aries aut ouis Deo offeratur niſi tota ſit alba & ſine macula, putandum eſt animam quoque ſiſtendam Deo puram & mundam haberi oportere: quando interdicit ne clauda ſit, recte ambulandum ſignificat in Lege Domini. Hebræus Philo in moralibus interpretationibus afferendis eſt mirificus, Leo & Maymonides in naturali-

In cathalogo ſcriptor.

primarias benedictiones reportare, vt Iacob anteuertit Eſauum: propterea ſcriptura tota indice Prophetas ſummo mane ad laudandum Deum & primas ſuas actiones ei ſacrificandum ſurrexiſſe, quemadmodum aiebat Dauid, *In matutinis meditabor in te.* Item: *Exſurge Pſalterium, exſurge cithara, exſurgam diluculo*, & apud Ieremiam: *Miſi ad vos Prophetas ſurgendo mane*: & Deus quoque in deſerto videtur maxime procuraſſe vt mane populus ſurgeret, quia Sole ſuper Man radiante abibat in fumum & liqueſcebat illico, quamuis igne non liquefieret, vt gratiarum (ait Salomo) agendarum Deo monerentur: Nihilominus tamen illud affirmamus non licere vti Scriptura ſacra, vt vis aliqua verbis tribuatur, quamuis ad finem optimum. Hæc recepta eſt Theologorum ſententia. Minorem itaque veritatis ſpeciem habuerit, ſi quis Magos verborum vi poſſe crediderit ſegetes & terræ fructus perdere: etſi 12. tabulis diſerte cauebatur ne incantarentur fruges, *Qui fruges excantaſſet, aut qui malum carmen incantaſſet*, &c. non quòd Magi ſuis carminibus fruges perdãt aut tempeſtatem virtute verborum commoueant (vt alibi oſtendemus) ſed ope Satanæ: Sortilegus enim alter non poſſet idem efficere, quamuis eadem verba pronuntians. Quapropter imperitũ vulgus non valde miratus ſum, ſed Catonem illum docere luxatis membris carmẽ auxiliari: Cæſarem quoque Dictatorem poſt vnum ancipitem vehiculi caſum, ſemper vt pri-

Plinius lib. 28. cap. 2.

vt primum conſediſſet carmine ter repetito ſecuritatem itinerum ſolitum aucupari, cum tamẽ obſeruationes iſtas ex more deriſerit: & M. Seruilium Nonianum principem ciuitatis, qui chartam duabus literis Græcis P & A inſcriptam ſubnectebat collo metu lippitudinis. Si qua fuiſſet radix ſalutaris herbaue medica, odore & proprietate naturæ mala hęc curatura, ſpeciem aliquam habuiſſent: vt radicem Pæoniæ appenſam collo certum eſt epilepticis adiumẽto eſſe plurimum, & confirmatum experientia: ſed chartam aut characteres ſubnecti collo, quicquid inſcribatur, cum Ioanne Chryſoſtomo & Auguſtino ſtatuimus meram eſſe idololatriam, ſi ignorantes fecerint: ſortilegium vero, ſi iſtud illi commiſerint qui nouerunt interdictum, nec eo minus fidẽ ſuperſtitionibus adhibent. Etenim hic quoq; eſt idololatria, ſi vis curandi herbis, plantis, animalibus, metallis tribuitur, niſi eadem opera laus ad Deum tota referatur. Ideoq; Hebræi tradunt Solomonis librum de vi & proprietate animantium, plantarum, lapidũ, herbarum, metallorumq; omnium ex mandato Regis Ezechiæ crematũ eſſe, ne ad idololatriam ratione iſta homines adducerentur: vt ſerpentem quoq; æneum è deſerto allatum Ezechias igni præcepit tradi, quod eũ imperitus populus adoraret. Quanto æquius ergo futurum eſt cenſeri idololatriã, ſi verbis & characteribus adhibetur fides, iiſque non formatis à Deo (vt ſunt res creatæ) ſed per homines aut mali-

Homil. 43. in Matth. ca. 23. Licet fiant periapta cum inſcriptione Agnus Dei, Lib. 1. de ceremoniis, & diſtin. 7. ca. 3. de conſecra.

malignos ſpiritus inuentis? hoc vero non ſolum idololatria, ſed purum putum eſt ſortilegium. Idololatriam cum Auguſtino veteribuſque & recentibus Theologis appello auerſionem à creatore ad creaturam. Etenim videmus verba ad effectum ſuum nunquam perduci, niſi ipſis adhibeatur fides: tum peruigil Satanas ſeipſum ingerit & ad tempus compenſat idololatriam, vt ex idololatra perfectum Magum Sortilegumq; reddat, quod ſuo loco oſtendemus. Hic forte aliquis obiecerit vocem, ſermonem Dei, duaſq; tabulas manu ipſius exaratas tã eſſe opera Dei quam Solem, Lunam, aut cœlum: itaque illa etiã naturalem vim obtinere, quod Mirandulanus Princeps & Reuchlinus ſentiunt. Ego vero nullã his verbis facultatem ineſſe dico, niſi ad eum effectum cuius cauſa enuntiata à Deo ac digitis inſculpta ſunt: neq; ad tempeſtatẽ ſerenitatemue aut aliud efficiẽdum, ſed ad vitam æternam iis qui morem geſſerint tribuẽdam, ſicuti ſcriptum eſt, Hoc fac & viues. Hominum autem Satanæq; verba nihil amplius poſſunt, quã fructus picti, ſtatuæ, & res artificioſæ eiuſdẽ generis. Hanc demum poteſtatem Satanas à Deo obtinet, vt eam aduerſus Ethnicos, idololatras, infideles, & Dei contẽptores exerat qui decipiuntur verborum fucis, ac eorum in primis quæ nequeunt intelligi, quia minorem (ait Plinius) fidem homines adhibent iis quæ intelligunt. Quamobrẽ Galenus lib. 6. de ſimplicibus pharmacis Xenocratẽ Aphrodiſeum &

Pamphilum quendam improbat, qui fraudibus iſtis inſtructi Medicos ſimulabant. Plinius quoque ſeptem primis capitibus lib. 28. his abundat ineptiis: & quamuis eas ſecundo capite dicat ſapientiſſimi cuiuſq; fide reſpui, Theophraſtum tamen, Catonē, & Cæſarem in quibuſdam malis narrat fidem his nugis adhibuiſſe. Mirum autem eſt & ab omni antiquitate annotatum, ſerpentes incantari: Improbum enim Dauid comparat Aſpidi aures ab incantatoris callidi voce obturanti. Hi vero plerumque à ſerpentibus occiduntur: quamobrem ait Salomo neminem de incantatore occiſo à ſerpente capturum miſericordiam. Sic Sortilegus quidam Salisburgenſis cum in oculis totius populi ſerpentes omnes, qui in ambitu ad milliare integrum fuerant, in foſſam vnā coegiſſet & tradidiſſet morti, à poſtremo eoque per magno furioſe inſultāte enectus eſt: Atque hac ratione conſtat, neque voce *hypokindox*, quam Theophraſtus Paracelſus affert, neq; aliis Pſalmi 91. neq; vocum vllarum virtute, quicquid obtendatur, hæc præſtari poſſe. Qui enim fuiſſent ſerpentes per integrum milliaris ambitum vocem hominis audituri, & quidem profunde in terram abditi? Quamquam Ariſtot. ſub finem libri περὶ θαυμασίων ἀκουσμάτων ſcribit Tenæ oppido Theſſaliæ fuiſſe maleficam quæ faſcinaret baſiliſcum. Is ergo fuit diabolus, qui fidos ſuos adminiſtros hoc compenſat præmio. Ac propterea Canonem, nec mirum, 26. q. 5. & Auguſtinum dicentes

tas per Magos virtute carminum infici homines atq; enecari, ſic intelligimus, vt opera Diaboli iſtud effici ſtatuamus. Docuit enim amplius millies experientia à verbis ab altero quam Mago pronuntiatis nihil eſſe cõſectarium: Sin autem leuioribus in rebus nonnunquam viſa ſunt effectum ſuum habuiſſe, vt in ligaturis diximus, pro certo illud habendum eſt diabolos (qui vbique præſto ſunt) & voluntatis illius qui maleficium aliquod cogitat adminiſtros eſſe, & ad hominem grauioribus maleſactis ac impietatibus implicandum eam perficere.

CAPVT III.

De expreſsis malignorum ſpirituum inuocationibus.

QVICVNQVE rem bonam facere arbitrati malignum ſpiritum (quem pro Deo habent) inuocant ad cõſilium aut opem aut conſolationem ſuam (vt Ethnici priſci faciebant, & multi noſtra memoria in Occidentalibus inſulis faciunt) nihilo amplius Magi dicendi ſunt quam illi, qui Solem, Lunam & res creatas adorabant: Idololatræ iure appellantur. An vero bonam ipſorum conſcientiam accipiat Deus, id cõmitto iudicio eius: nam qui hoc quæſierit, is ſe in Dei arcana plus ſatis intulerit: viri qui Socratẽ, Phocionem, Ariſtidẽ iuſtum non dubitauerunt velut Magos turpiſſimos ęternę damnationi & ſuppliciis paribus addicere, cũ tamen Lex Dei pœnã pro delicti grauitate decer-

Deut. 15. ni imperet. Sed inter Ethnicos quicunque bonorum malignorumque ſpirituum diſcrimine cognito & ſacrificabāt liberos, & adulteria, prępoſteram libidinem, omniaque turpia, horrenda, & rectæ rationi (quam à natura in mentibus noſtris ingenerauit Deus) aduerſantia cōmittebant vt inſtitutum ſuum aſſequerentur, hi non ſolum fuerūt idololatræ, ſed etiam Magi, eoque nomine à Philoſophis omnibus & Legumlatoribus condemnantur. Hęc illa cauſa eſt

Deut. 18. cur Deus populo ſuo dixerit, ſe Amorrhæos aliosq; populos ſortilegia exercentes è regione exſtirpaſſe: cur etiā Rom. Senatuſconſulto Bacchanalia cognitis exſecrabilibus ſortilegiis quæ noctu committebātur, ex vrbe & Italia tota eiecta ſunt. Nullum autem lapidem non mouet Satanas vt ſibi homines vindicet abducatque à vera veri Dei adoratione. Cum itaq; Deus non ſit aſpectabilis, ſed admirabilem Solis elegantiam, cœleſtiumq; luminum conuerſationem, vim, motum homines proſpiciant, perfacile illuc delapſi ſunt, vt Solem, Lunam, Iouem, & alia cœleſtia corpora laudibus extollerent atq; ſupplicarent: & pro eo quod Noe liberos ſuos docuerat vt ſacrificarent vbique Domino, facile fuit vota ad Solem, Lunam, cœleſtiaque corpora conuertere, quæ Noe & poſteri perdiu exhibebant Deo. Hoc Abraham in Chaldæa videns indigne fieri pronuntiauit, & eo nomine male exceptus eſt, vt Philo, Ioſephus, & Moſes Maymonis vno ore docent: Deus vero ipſum ex

Chaldæa exire iuſſit, vt in ipſo & poſteris verum Eccleſiæ ſignum conſeruaret. Hoc cõſequutus Satanas, cœleſtium inquam corporũ adorationem, elementorum quoq; ſenſim inuexit cultum: primum ignis, cui omnes gentes honorem permagnum habuerunt, deinde terrę velut matris & genitricis hominum bonorumq; omniũ: nec ſpectantibus altius hominibus, nec cõtemplatione intellectus ad Deum vſque rerum omnium autorem & creatorem euolantibus. Ab elementis ad alias res creatas ventum eſt: adorauerunt itaq; Deos panis & vini inuentores Bacchum & Cererem multi, etiamque bouem Ægyptii, quem vocabant Apin, eo quod videatur animalium omnium quæ in orbe terrarum degunt eſſe vtiliſſimum: Quam opinionem vt confirmaret Satanas, aliquando ſpecie bouis apparebat, eoque mortuo lamentationes fiebant maximæ. Atque hæc Apidis ſuperſtitio adeo Iſraelitarum animos inceſſerat, vt ad figurandum Deum qui eduxerat ipſos è terra Ægypti vitulum fuſilem confecerint, Deum cœli & terræ quem adorabant forma vituli putantes fingi oportere, cum tamen Deus indicta capitali pœna vetuiſſet formam vllam aut figuram ſibi aſſignari: quamobrem incenſus ira populum grauiter caſtigauit. Sed ne his quidem acquieuit Satanas: Principes enim viri (ait Salomo) amiſſorum liberorum quos deamauerant memoriam conſeruaturi, eorum curabant pingi & incidi vultum, ſtudioſe imagines aſſerua- Exo. 1. 20.

M 3 bant,

bant, oſculabantur ſępe, honorem exhibebant, quemadmodum Auguſtum Cæſarem Capitolio exeuntem legimus defuncti nepotis imaginem forma expreſſam Cupidinis ſolitum oſculari. Idem quoque factum Principibus potentiſſimis. Nam apud Herodotum legitur in ſumma Babylonis turri fuiſſe templum dicatum Belo regi Aſſyriæ quem vocabant Iouem: cumque illius cultum Aſſyrii & Chaldæi cœpiſſent inſtituere, procedente ipſorum imperio ad omnes Aſianos bonamque partem Africę, ſacrificia quoque & ſuperſtitiones ipſorum inualuerunt per imperium totum, quod fuit ampliſſimum (capiebat enim 127. præfecturas, & in iis Ægyptum duplo ampliorem quam ſit regnum Galliæ) & paulatim in Græciam tranſmearunt. Ideoque Deus per Eſaiam abominatur Babylonem, quod ſortilegia & ſuperſtitiones ſuas in populos tranſmiſerit: & Porphyrius ad Boethum ſcribens, Theodoricus, & Iamblichus conſentiunt omnes antiquas ſuperſtitiones à Chaldæis manauiſſe. Ex quo in Deorum numerum cœperunt homines cooptari, infinitus Deorum numerus exſtitit. Fuerunt enim minimũ tricies ſexies mille, vt veteres annotarunt, præter Deos manes, id eſt, parentum & cõſanguineorum ſpiritus, quos pro Diis habebant, quibus ſacrificabant, & ad quorum ſepulchra comedebant: in quos Scriptura inuehens ac deteſtans eorum maleficia, inquit: Et comederunt ſacrificia mortuorum. Horum ſacrifi-

Suet. in Auguſto.

Lib. de curatione Græcarũ affectionum.

crificiorum ſpecie animæ defunctorum primum fuerũt inuocatæ: atque hæc Νεκρομαντεία, haud ſcio an prima ſortium magicarum & vetuſtiſſima. Eſaias enim deteſtans impietatem iſtam capite octauo, An non quiſque, inquit, mortuos pro viuis conſulturus eſt? Et Saul exitum poſtremi in Philiſtæos prælii cupiens cognoſcere Magam Endore conſuluit, quæ euocatum Samuelem aut Samuelis imaginem ſola vidit, Saule non vidente eum. Itaque rogauit eum Samuel quamobrem interturbaret quietem ſuam, cum à Deo relictus, & Deus ipſi inimicus eſſet, adiecit eum Dauidi regnum tradidiſſe quod verbo eius Saul non obſequutus eſſet, ipſumque & liberos fore ſecum die poſtero. Non ſum neſcius placere quibuſdam Theologis diabolũ fuiſſe iſtum, ac non Samuelem: ſed bona pars refragatur freta loco Eccleſiaſtici ca. 46. qui narrat in Samuelis laudibus, ipſum poſt mortem prophetaſſe prænuntiata morte Regis & Philiſtæorum victoria. In eadem ſententia eſt Iuſtinus Martyr, Rabbi Sædias, Haias, & Hebræorum plerique: & iis obſeruandum eſt illud ſuffragari quod reſpõſio per Samuelis imaginem, quem diabolum putant, Sauli facta, magnum Iehouę nomen habet quinquies repetitum, quod etiam audire dæmones perhorreſcunt. Ideoque iudicium R. Dauidis Kimhi in hunc locum, neque Tertulliani libro de anima neque Auguſtini amplecti poſſum, ſtatuentium hunc fuiſſe diabolum, nec aduerſantem

Νεκρομαντεία.

1. Sam. 28.

huic ſententiam plane confirmare. Deinde vero ſi eo damnetur Saul, quod Regem Amalecitarum, captiuos, & pecora ex mandato Dei non
1. Sam. 10. interfecerit (nam hanc ſolam cauſam Scriptura ſacra adducit cur Deus Sauli infenſus fuerit) altius quidem certe in conſilium Dei penetratur: maxime cum huius peccati nomine tantiſper dum vixit pœnas luerit non mediocres, vexatus à Satana & plerumq; in ſummum furorem actus. Paulus autem 1. Corin. 5. conſilium dat, vt qui inceſtum perpetrauit eiiciatur ex Eccleſia, vt corpore ipſius tradito Satanę quod affligeretur, ſpiritus ſeruaretur diei iudicii: quo ſpectat illud Samuelis, *cras mecum eris*, nimirũ poſtquam iuſte afflictus à Deo & deſertus fuerat eam ob cauſam, quod in Amalecitis omnibus pecoribuſq; occidẽdis morem non geſſiſſet Domino. Sic etiam in pari cauſa 1. Regum. 13. Prophetæ ad Ieroboamũ miſſo dicitur, non fore vt ſepeliatur in ſepulchro maiorũ, quia cibum contra quam ipſi fuerat indictũ in Samaria ſumpſerit: deinde à leone paulo poſt occiditur, qui tamen corpus ipſius cum aſino reliquit intactum donec in ſepulchrum efferretur. Qua ex re manifeſtum eſt, Prophetæ animam ob peccatũ iſtud non fuiſſe à Deo damnatam, cum pręſertim cadauer eius non ſiuerit à leone deuorari. Vt ergo damnationem iudicio Dei permittamus, Deus æque poteſt voluntatem ſuam per ſortilegos & improbos atque per electos exponere, vt ſomniis Nabuchodonozeris, Pharaonis, & Ba-

lehami

lchami demonſtratur: ſic etiam tradunt Theologi in locum illum Euangelii, Expedit vnum hominem mori pro populo, atque hanc eſſe prophetiam ex ore Caiphæ docent. Deinde, quid illud dici prohibet, Deum ſiuiſſe, vt veniret Samuel, poſtquam defunctus eſſet, ad ruinam Saulis & ſtatus euerſionem prædicendam? Audiui ex Inſulano Abbate Nouàlliorum Domino, qui iam legatione Conſtantinopoli à Rege fungitur, & ex nobili Polono, cui nomen eſt Pruinski Legato in Galliam, vnum ex maximis Chriſtiani orbis Regibus auidum ſui exitus cognoſcendi Iacobitam Necromantem ad ſe accerſiuiſſe, qui confecta miſſa & ſacrata hoſtia primogenitum quendam decennem puerum ad hoc comparatum truncari iuſſit capite: eò hoſtię impoſito certas voces pronunciaſſe, characteres quos ſcire non attinet adhibuiſſe, ac tum roganti quid vellet caput duobus verbis reſpondiſſe, *Vim patior:* illico furibundum Regem indeſinenter clamauiſſe, tollite caput iſtud, & in eo furore exſpiraſſe. Hæc hiſtoria in toto regno vbi geſta eſt pro certa & indubitata habetur, etſi quinque homines ſolum negotio interfuere. Non diſſimilis huic hiſtoria Theodorici Imperatoris legitur, qui poſtquam Symmacho ceruices præſcindi curauiſſet, appoſito ad menſam ingente piſce viſus eſt ſibi videre caput Symmachi, & furore correptus paulo poſt vita defunctus eſt. Quod ſi ita eſt, quis duas illas voces in os pueri inditas fuiſſe à Deo dubitet?

Græce enim Latineque puer neſciuerat, & repentina tam horrendi ſceleris vltio certe à Deo ſumpta eſt: niſi quis forte dixerit ſpiritum pueri aut Angelum proloquutum eſſe, & Regem excarnificaſſe ad vindictam ſceleris: nam quo innocentior eſt ſanguis, eo vindicta grauior. Atque hac quidem in re conſpicua eſt execrabilis impietas, quod innocens, mas, & primogenitus (quem Deus Lege ſibi ſanctificari iubet) capitur & præſciendis futuris ſacrificatur diabolo: eaque non noua ſed peruetus impietas, vt Elias Leuites annotauit, qui iſtud ſermone ſuo appellat Theraphim. Etſi hic cruentum caput ſcribit laminæ aureæ imponi ſolitum cum nomine dæmonis certiſque characteribus, quos omiſſurus ſum, ita eum adorari conceptis verbis, quæ neque dici opus eſt, neque ſcribi, ſed prẹſtat reticeri prout inſtitui facere: cum tamen ſit neceſſarium probe teneri, quanta ſit iſtorum damnatorum hominum impietas, vt ab ipſis caueatur. Hominum interfectorũ animas plerumque inſtare vindicandis occiſoribus veteres affirmarunt. Pauſaniam Lacedæmoniorum regem in Plutarcho legimus, cum eſſet Conſtantinopoli, generoſam adoleſcentulam munere accepiſſe: vt autem puellam virginem ad ipſum pudebat accedere niſi digreſſis omnibus, ſolam cubiculum ingredientem noctu lucernam abieciſſe: cuius caſu Pauſaniam repente excitatum, & tãquam ſi vita ipſius in tenebris peteretur attonitum, arripuiſſe pugionem, & incognitam

Leuit. 13.

tam adoleſcentulam occidiſſe: ex eo tempore ſine intermiſſione Pauſaniā à ſpiritu vexatum eſſe ad mortem vſque, quem ſpiritum adoleſcentulæ narrabat eſſe perſimilem. Hominem iń vinculis vidi anno milleſimo quingenteſimo ſexageſimo nono, quod ira percitus vxorem occidiſſet, qui data ſibi & confirmata venia maleficii conquerebatur ſibi nullam quietem eſſe: ſe enim ſingulis noctibus ab ea cædi. Sed hoc tamen homicidis omnibus non vſuuenire conſtat. Exiſtimant quidem nonnulli ſi homo occiſus ſine vindictæ ſtudio deceſſerit, id non accidere: verumtamen notauit antiquitas, & Plato ſcripſit libro de legibus 1. animos eorum qui occubuerunt in occiſores inſiſtere: quod Marſilius Ficinus libro 16. de animarum immortalitate, Lucretius, & Virgilius Æneid. 4. verum eſſe dicunt, & infinitis iudiciis probauerunt iudices, homicida ſuper cadauer (etſi non attingat) tranſeunte ſtatim è vulnere manare ſanguinem. In hanc rem non pauci quoq; Doctores ciuilis & canonici iuris conſentiunt, & præſumptionem hanc argumentum eſſe cōiecturamque violentam in reum ſtatuunt, ex qua legitime ad quæſtionem rapi poſſit: nam etiam hoc modo perſæpe innotuerunt ſontes. Id Plutarchus de Damone ſcribit, Sueton. de Caligula. Aiunt conſimiliter animam quæ de hoc mundo non inuita migrauerit, aut ſaltem brutis cupiditatibus ſe non immerſerit, veſtigiis corporis non amplius hærere: vt ii faciunt

Paris. de Puteo in ſyndicat. verbo tortura Hippolit. conſ. 24. n. 2. vol. 1. & conſ. 90. n. 3. & conſ. 91. nu. 4. & conſ. 100. nu. 4. & conſ. 110. n. 4. vol. 2. Ang. in tract. de homic. Ioan. de Neuiſa in

ſylua nup. ver. cadauer. Boetius deciſ. 619. nu. 1. Apulei. in aſino aureo.

ciunt, qui beſtiarum vitam vixerunt, de quibus Horatius,

Et affigit humo diuinæ particulam auræ.

Horum itaque animas deſiderari à Necromantis & ſortilegis, ſepulchra de nocte circumeuntibus carnemque corporum edentibus: quemadmodum in Theſſalia Magi extiterunt, qui mortuorum perquirebant corpora, eaque (niſi accurate per vigiles obſeruarentur) eroſis naribus, ore, genis, aliiſque partibus inueniebantur. Potius crediderim, eo impietatis à Diabolo perduci Magos perſuadente ſic defunctorum animas attrahi. Etſi Græci Necromantem appellauerunt ψυχαγωγὸν, quaſi animæ ducum dixeris: Theſſalis quoque & Arcadibus fuit iſtud palam vſitatiſſimum, apud quos Pompeio placuit ex Erichthone Maga exitum Pharſalici prelii Necromantica arte cognoſcere, quo in prælio (vtcunque de victoria fuiſſet confirmatus) fuſus eſt, prout omnibus accidit, qui viam iſtam ſequuti ſunt. Nuper noſtrorum patrum temporibus ſi quando eos, qui ſancti habebantur, indigitari oportuit, quidam liber inuocationum plenus publice legebatur noctu. Libro nomen erat *Grimorium*, quod aſſeruatur in abdito: itaque de eo aut de re ſancte & in rem bonam facta nequeo iudicare. Hoc ſolum affirmo, damnandum eſſe vſum Necromantiæ, qua diabolus pater mendacii de veritate, de rebus abditis, etiamque de ſalute hominum conſulitur. Etenim animæ, quas Necromantæ ſacrificiis à ſe

addu-

adduci putant, ferè ſunt diaboli: ac propterea quicunque capita mortuorum ſeruant, niſi medicinam aut chirurgicam faciant, ii plerumque exercent Necromantiam, vt Ioachimus Camerarius à ſe viſos narrat non ita pridem, qui diabolo per caput mortui loquente vtebantur. Sed quoniam homines bene inſtituti & quicunque ſunt meticuloſi perhorreſcunt noctu ſepulchra accedere, & in artes iſtas incumbere, alias rationes excogitauit Satanas, vt hos ad ſui adorationem pertraheret: inſinuabat enim ſe in earum corpora, quæ frequentes in templis erant, & per eas loquebatur. Id autem plurimum virginibus accidebat, ſortilegis ad impietatis opus adornatis, quæ ieiunantes religione maxima orabant in ſpecu Apollinis, ſomnumque in ea capiebant, (nam quo grauior eſt impietas, eo honeſtiore pietatis & religionis velo obtegitur) tum diabolo in illius corpus ingreſſo quæ ita noctem tranſegerat, illa poſtridie diuinabat, & de rebus quæſitis reſponſa dabat plerumque amphibola: atque hæ ſacerdotes Pythiæ, nonnunquam etiam Sibyllæ dicebantur. Sic Virgilius Sibyllam Cumanam nominat, quæ precibus ad Satanam in ſpecu habitis furore correpta ſpumabat, & nouo ſermone loquebatur, ac tum prædicabatur, Deum ad ipſam aduenisse. Quamobrem in Lege Dei præcipitur, vt lapidibus obruatur mulier prædita ſpiritu Pythonico. Hebræi appellant אב, LXXII. interpretes ἐγγαστείμυθον ἢ ἐπαοιδὸν, quaſi dicas, in ventre

aut

aut vaſe loquentem: quod Magi cum ſuis phialis vitreis peluibuſque faciunt. Vulgata verſio Græcos in transferendo ſequuta eſt Appollinis Pythii oracula cõſulentes. Narrat Cælius Rhodiginus puellam nuper in regione ſua à ſe viſam, cuius in corpore ſpiritus erat Pythonicus res præſentes & occultas vere per pudenda reſponſans, & de futuris perſæpe mentiens. Verum quod ex Apolline Delio reſponſa plurimum petebantur, id eo factum eſt quod euidentiora eſſent: quamobrem Delius dicebatur ἀπὸ τοῦ δήλου. Scribit Chryſoſtomus Sacerdotem in ſpecu proſtratam Pythonicum ſpiritum ſolitam accipere & deſpumare furore correptam, ac tum plerumque dæmonem (quem Ethnici colebant pro Deo) per eius pudenda reſpondiſſe: quod Origenes aduerſus Celſum Epicureum deridet grauiter, & Plutarchus etiam (quãuis Ethnicus) extremi eſſe furoris teſtatur, quod Deus in fœminas iſtas intrare creditur, imo & religionem & naturam Dei ſic traducendam polluendamque propinari. De Sibyllis iudicium permitto ſapientioribus: videtur tamen Lactantius & quicunque tanti fecere Sibyllarum oracula, non ſatis originem vnde proceſſerunt iſta attendiſſe. Etenim Virgilius teſtis eſt Sibyllam Cumanam omnium celeberrimam Sacerdotem Pythiam fuiſſe ac dæmoniacam: & bona pars iſtorum oraculorum Saturno ſolum, Ioue, Venere, Neptuno perſonãt. Præterea Ethnicæ fuerunt Sibyllæ omnes & à

Lib. 6. Æneid.

fide

fide noſtra alienę, quarum neq; Scripturæ meminerunt vnquam, neque vllam confirmationem aut approbationem dedit Conciliorum (fuerunt autem amplius ſexcenta) autoritas. Verum Lactantius videns apud Ethnicos nihil maieſtatem Bibliorum poſſe, Sibyllinis oraculis tentauit id quod volebat oſtẽdere: quamquam hæc oracula quibus illi adhibebant fidem forte pro libitu fuerunt concinnata. Hos autem Sibyllinos verſus qui excuſi exſtant, & Latini per Caſtallionem facti, nihil quam ſummam hiſtoriæ Biblicæ continentes: hos ergo Sibyllarum eſſe ridiculum eſt credere: cum ne vnus quidem verſus eorum compareat quos è Sibyllinis Cicero, Liuius, Porphyrius, Plutarchus, & Græci autores adduxerunt. Verumtamen benefactum eo tempore putauerunt Patres, ſi Ethnici quocunque modo pertrahi ad religionem Chriſtianam poſſent: quæ opinio impura eſt ac iure damnata, cum Prophetias diuinitus inſpiratas cum iis ſit nefas coniungere, quas apud infideles Ethnicos Satanas Sibyllis inſpirauit. Ariſtoteles huius diuinationis & furoris perueſtigans cauſam admiratur vehementiſſime: tandemque ſtatuit ex antrorum vapore fieri, vt in Lebadia ſpecu, Trophoniana, Corycia, Pythia, & aliis: ſed hæc cauſa ratione nulla nititur. Nam cur hæc potius quam illa ediderit? cur ex tot centenis ſpecuum millibus ne ſex quidem ediderunt? cur etiam centum annis aut centum viginti

Lib. de mundo ad Alex.

ante

ante Ciceronis tempora (vt in libris de diuinatione legimus) edi in ſuis antris deſiuerunt? neque enim permutata fuerunt antra: qua occaſione Plutarchus eorum Dæmonas defendit obiiſſe. Præterea an iſtud aliquam veritatis cauſam habuerit, eo vapore fieri, vt ſpiritus ingrediatur in fœminam, in ſtomacho eius loquatur occluſo ore, aut ore loquatur exerta lingua, aut denique pudendis? Et veritas tamen cum mendacio ſæpe confuſa deprehendebatur, & cum oraculum dixit apud Iuſtinum Martyrem & Euſebium,

Lib. de oracul. defec.

Μοῦνοι Χαλδαῖοι σοφίην λάχον, ἠδ᾽ ἄρ᾽ Ἑβραῖοι,
Αὐτογένητον ἄνακτα σεβαζόμενοι θεὸν ἁγνῶς.

Id eſt, Soli Chaldæi ſapientiam ſortiti ſunt, & Hebræi. Ex ſe genitum Regem colentes Deum ſancte. Taceo myſteria & ſacrificia, quæ obſeruabantur ad exoranda reſponſa, & apud Diodorum & Pauſaniam legimus. Quid vero quod eos interdum diabolus occidebat, qui ſuas adibant ſpecus, niſi aliquid poſtularent? Fernelius hiſtoriam recitat cuiuſdam Magi, quem, cum accerſiuiſſet dæmonem, ſuperueniens occidit dæmon: roganti autem ſortilego ſodali iſtius, quare occidiſſet eum, id à ſe factum reſpondit diabolus propterea, quod à ſe nihil poſtulauiſſet. Ab hominibus enim rogari, orari, & adorari Satanas percupit, & nonnunquam veritatem profert, vt mentienti ſibi habeatur fides, aut ſi ignorat verum, ambages reſponſat atque ænigmata. Deus autem alium præter ſe de rebus futuris

turis Lege prohibet conſuli, aut alteri haberi fidem, licet id euenerit, quod malignus ſpiritus & diuini prædixerint. Non tamen eam ob cauſam prohibetur, quod ſpiritus rerum multarum ignari ſint, cum ipſi dæmones, quaſi *δαΐμονες*, id eſt, ſcientes, Euſtathio teſte, appellentur, (qua ſignificatione Hebræi veræ linguæ & naturalis magiſtri appellant ידעבים, à verbo ידע, nouit, ſciuit) contra quam Euſebius dæmonas à timore, quem iniiciunt hominibus, dici *παρὰ τὸ δειμαίνειν* cenſet: quorum tamen bona pars familiaris eſt agitque familiariter, quam ob cauſam Græci *δαίμονας παρέδρους* nominabant. Ex his itaque concludimus, nihil in prophetiarum cauſa accipi aut credi oportere, niſi verbum Dei, aut quod omnino cum verbo Dei conſenſerit, ne ſi Angelus quidem è cœlo dixerit, nedum quod Satanas inſpirauerit. Quamuis autem Chriſtiani Ethnicorum templa ipſamque ædem Apollinis expilauerint atque euerterint, non tamen Satanas continuo deſtitit vires ſuas nouis idololatriis artibusque magicis exercere, frequentibus nunc vt cum maxime. Ac olim quidem religionis ſpecie rogabatur: iam vero accurrit non vocatus, & ſe ratione cæca intrudit in omnes partes ineſcandis & peſſumdandis hominibus. Qui autem diabolum non accerſit neque inuocat, ſed exhibentem ſe accipit, is certe non eſt tanta improbitate omnino, quanta ille, qui eum aduocat, orat & accipit: verumtamen vterque morte dignus eſt,

vterque ſortilegus. Non ita eſt homo δαιμονόληπτος, qui neque rogato neque inuocato diabolo poſſidetur ab eo atque obſidetur: cuiuſmodi in Italia inuenias multos, pleraſque fœminas, pauciores viros, quos tanquam furioſos & agitatos rabie oportet necti. Sic anno M. D. LIV. Romæ octoginta duæ inuentæ ſunt, quas Gallus quidam monachus Benedictinorum ordinis voluit eiurare, ſed fruſtra. Scribit D. Fayus Conſiliarius in Parlamento, qui tum agebat Romę, poſtero die rogatos diabolos cur eas inuaſiſſent, reſpondiſſe, ſe fuiſſe in corpora fœminarum iſtarum (quæ bona ex parte Iudææ erant genere) à Iudæis miſſos, indigne (aiebant illi) ferentibus quod fuiſſent baptizatæ. Quam ob cauſam Theatinus Papa capitali odio Iudæos proſequens fuiſſet relegaturus illos, niſi Ieſuita quidam libere defendiſſet, non poſſe hominem quenquam in vllius hominis corpus diabolos immittere. Certum illud quidem, ac ne diabolum quoque ipſum niſi Deo permittente poſſe: hoc permittente poteſt. Sic in Germania fortaſſe Kentorpenſi monaſterio euenerit, vt moniales omnes à ſpiritibus malignis obſiderentur: quibus dicentibus per coquam monaſterii Eliſabetham Kamam effectum eſſe, illa agnouit factum, ſe ſortilegam faſſa eſt, & improbis ſuis precibus ſacrificiiſque diabolos in earum corpora fuiſſe miſſos: atque hoc nomine fuit igni tradita. At Romanus ille diabolus Iudæorum accuſator nullius nomen detulit:

In lib. Energumen.

lit: (Non potuerunt autem in tanto virorum, mulierum puerorumque numero omnes rei eſſe) licet dæmoniaci diuerſis linguis, quas nunquam didicerant, loquerentur. Spiritus autem modo fatur velut in ſtomacho, dum os mulieris occluſum eſt, modo exerta ſemipedali lingua, modo pudendis: qua in re omnes Athei, qui diabolos eſſe negant, coguntur obmuteſcere. Etenim aut occluſo ore, aut exerta & rigente lingua, aut pudendis fari neminem fatentur poſſe: & mulierem, quæ nihil vnquam didicit, doceri à Melancholia Græce, Hebraice Latineque non auſint dicere: quæ tamen in dæmoniacis ineſſe conſtat. Huc pertinet quod Fernelius Medicorum noſtra memoria Princeps ca. 16. de abditis rerum cauſis ignarum furioſumque puerulum à ſe viſum fuiſſe ſcribit, qui Græce loquebatur: ac ſe tum dixiſſe, cum à maligno ſpiritu poſſideri. Sunt etiam quæ à diabolo ſic ligantur, vt ſolui non poſſint vincula, ſed ea rumpi aut ſecari ſit opus. Eſt Menilii ad Dammartinum mulier, domina Roſſa nomine, quæ inde ab octauo ſuæ ętatis anno à maligno ſpiritu ligari cœpit ad arborem, ad pedem lecti, ad præſepe ſtabuli, aut altera manu alteri impoſita, fune, vimine, ſeta equinæ caudæ, cannabe: idque tanta celeritate, vt facto diabolus velociſſimum quemque oculorum ictum anteuerteret. Puellam Pariſios ductam Anno M. D. LII. viderunt Doctor Picardus aliique Theologi, omneſque artes ſuas ad liberandam

Στερνομαντεία.

Ἐγγαστρίμυθοι.

ipſam conſumpſerunt: ſed nihil effectum. Hos medicus Hollerius ridens dicebat, primum morbum eſſe melancholicum: poſtea vero quam oculis ſuis in frequente corona vidit miraculum, puellam inter duas tresve mulieres ſtantem clamare, & illico ſic vinciri ambabus manibus, vt ſolui non poſſet, vinculum ac ſecari opus eſſet, malignum ſpiritum confeſſus eſt. Nemini apparebat quicquam, ſola puella albam videbat nubem, cum ſpiritus vincturus accederet. Eadem ratione, quod Magi & Magæ ſibi copulationem carnis cum maligno ſpiritu fatentur intercedere, id complures Medici Ephialtas aut Hyphialtas, Incubos aut Succubos eſſe aiunt vel lienteriam: ſic ementiuntur legem Dei, homines in cæca ignoratione continent efficiuntque, vt grauiſſima omnium ſcelera impune abeant. Similiter diuinationes pro deliriis habent, quarum tamen euenta ſpectantur adeo mirifica, vt nemo non rapiatur in admirationem. Si bene Platonem euoluiſſent iſti, comperiſſent ab eo ſtatui duo diuinationis vel *θεομαντείας* genera, vnum morbo accidens, alterum dæmonum inſpiratione. Quod enim ſcribit Ariſtoteles, nullam foris diuinationem accedere, id Philoſophorum omnium exploſit conſenſio, certiſſimaque euertit experientia, præterea ab opinione iſta diſceſſit idem in libro de Mundo, quem Alexandro Magno dicauit. Non ſum neſcius, Platonem, quia legem Dei ignorauerat, (nondum enim ac ne poſt quin-

qua-

quaginta annos ab illius tempore ſermone Græco donata fuerat) prædictionem diuinam à diabolica minime diſtinxiſſe, ſed generatim diuinationem vel *μαντικὴν* definiuiſſe *κοινωνίαν τινὰ περὶ θεοὺς καὶ ἀνθρώπους πρὸς ἀλλήλους, καὶ δημιουργὸν τῆς θεῶν καὶ ἀνθρώπων φιλίας*, id eſt, Diuinationem eſſe modum inter Deos & homines communicandi, eorumque amicitiæ effectricem; quod prophetiæ diuinæ non male conuenit. Diabolica autem prædictio modo ab expreſſa conuentione & diaboli atque hominis conſenſu naſcitur, modo à diaboli violentia ſine morbo hominem obſidentis adeo vt diuinet: quemadmodum Saul à Dæmone agitatus & in furorem verſus eo autore diuinabat: nam ſcriptura (vt ante diximus) prophetiæ voce vtitur. Non raro etiam malignus ſpiritus Magum immorigerum vexat, in furorem agit, & nonnunquam occidit. Sic nobilem à biennio virum cognoui ad Villerios Coſteretanos habitantem, qui in annulo, quem ab Hiſpano percare emerat, familiarem habebat dæmonem, cui ex ſententia animi ſui volebat imperare, & velut mancipium ſubiicere: cumque mendacia plerumque effaretur dæmon, annulum in ignem iniecit homo, tanquam ſi eodem iniici potuiſſet dæmon, & annulo hærere teneretur: ſed ex eo tempore furioſum hominem effectum diabolus exagitat. Iudicium legi latum in Ducatu Geldriæ M. D. XLVIII. contra Magum quemdam, Iacobum Iodocum à Roſa nomine, Cortraci natum, qui

dæmonem ſibi eſſe incluſum annulo fatebatur: ſed addebat, ſe quino quoque die fuiſſe coactum dæmonem compellare atque conſulere. Multis etiam Sagis mulieribus accidit, ſi promiſſo fœdere & fide data Satanæ ipſas aliquando conſortii iſtius tæduerit, nec ſeria reſipiſcentia ad Deum conuertantur, vt tundantur & vexentur nocte mortemque expetant, vt Iacobus Sprangerus, Colonienſis Inquiſitor fidei, cuius opera Magæ non paucæ igne perierunt, literis conſignauit. Equidem cognoui hominem, (cuius nomen quia in viuis eſt reticebo) qui mihi indicauit ipſe, ſe à perſequente ſpiritu & variis modis ſeipſum obtrudente plurimum infeſtari, de nocte vellicari naſo, excitari, perſæpe percuti, & quamuis rogantem vt ſe ſineret quieſcere, non dimitti tamen, ſed continenter agitari, dicente ſpiritu, aliquid mihi impera: ideoque ſe putantem fore vt à ſpiritu ſineretur Lutetiam aduenîſſe ſpecie litis ſuæ, quam procuraturus venerat, ſi forte malo ſuo remedium comperturus eſſet. Cum itaque animaduerterem, non audere hominem ſingula mihi retegere, rogaui, quam vtilitatem ex ſeruitute domino huic præſtita percepiſſet? Ad hæc ille, ſe exiſtimaſſe futurum, vt fortunas atque honores adipiſceretur, & res abditas cognoſceret, ſe autem ſemper à ſpiritu falli, cum rem veram ſemel protulerit tria mendacia enunciante, ſe ne obolò quidem à ſpiritu ditatum eſſe, neque amata potitum, qua occaſione

præ-

præcipue ad eum inuocandum venerat, ſe de plantarum, animalium lapidumque viribus, deque ſcientiis abditis (prout ſperauerat) ex eo nihil didiciſſe, vrgeri ſolum verbis vt inimicos vlciſcatur, technam conſuat, aut ſcelus perpetret. Dixi, facile eſſe ab iſto domino liberari, videndum vt eo adueniente ſtatim Dei nomen ad auxilium ſuum inuocaret, & ſe mente pura optimoque animo ſeruituti Dei addiceret. Ex eo tempore non vidi hominem, neque an pœnituiſſet potui cognoſcere. Hic ſpiritum paruum ſuum dominum appellabat: nam Satanas decipiendis hominibus blanda ſibi arrogat vocabula, familiaris ſpiritus, albi dæmonis, parui domini, quia in odio eſt Satanæ & Diaboli appellatio; itaque pleriq; Magorum appellant paruum dominum, vt in libro Pauli Grillandi Itali (qui multos adiudicauit morti) memini legere. Diximus de iis, qui malignorum ſpirituum accerſunt opem, vt iis imperent, eoſque in ſua poteſtate habeant, & qui vtendos comparant, etſi emptores iſti ſeruitutem miſerrimam deprehendunt ſibi impoſitam: tum etiam de iis, qui inuocationes faciunt ceremoniis, ſacrificiis, & orationibus ad eam rem accommodis, quarum orationum verba nolui exſcribere, cum tamen plus ſatis de ſcripto excuſaque adiectis priuilegiis habeantur, quorum autores cum ſuis operibus iuſtum eſſet concremari. Quamobrem in hoc noſtro opere ſategimus, vt quicq d mẽtibus curioſis occaſionẽ experiundi iſta ſcelera prębi-

turum eſſet, intectum & occultum permaneret: id ſolum quod ad informandos Iudices pertinet, eosque præmonendos, qui in foueam technis Satanæ inciſuri eſſent, placuit exponere. Iam dicamus de iis, qui præter inuocationem expreſſis verbis Deo creatori totique religioni renuntiant, & ſeruitute diabolo addicti ab eo obſignantur.

CAPVT IV.

De iis, qui expreſſa conuentione Deo & religioni ſua renuntiant, & an corpore à dæmonibus exportentur.

DISCRIMEN inter Magos obſeruari optimeque intelligi perneceſſarium eſt propter iudicia, quæ varie de eis ferenda ſunt. Hi autem præ omnibus ſunt abominandi, qui Deo & cultui eius renuntiant, aut qui (ſiquidem non Deum verum, ſed ſuperſtitioſam aliquam religionem coluerint) ſuæ religioni renuntiant, vt ſe conuentione expreſſa dedant diabolo. Nulla enim eſt religio tam ſuperſtitioſa, quæ homines non coerceat quodammodo in legis naturæ repagulis, vt parentibus & magiſtratibus coniuncto nocendi metu obſequantur: quem nocendi metum ex hominum mente conatur Satanas eximere. Expreſſa autem conuentio modo fit verbis ſine ſcripto, modo ſcriptura confirmatur: cum Satanas (vt ſuos obſtringat ſibi, antequam impetrent poſtulata ſua) iubet

iubet eos, ſi nouerint, inſtrumentum obligationis conficere atque ſubſcribere, interdum etiam ipſorum ſanguine, prout veteres in ſanciendis coniurationibus fœderibuſque vtebãtur, vt apud Liuium Libro ſecundo, & apud Tacitum de Regibus Armeniæ legimus. Sic ergo cum ſuis experitur Satanas. Theophilum quemdam narratur ſe ita diabolo obligaſſe, & quidem obligatione ſanguine exarata. Et nuper etiam anno M. D. LXXI. inter eos, quos ille cæcus Lutetiæ ſuſpẽſus detulit, fuit cauſidicus, cuius prætereo nomen, qui ſe fatebatur obligatione diabolo facta renuntiauiſſe Deo, & obligationem ſanguine ſuo conſcripſiſſe. Multis præterea iudiciis compertum eſt reciprocam inter diabolum & Magum obligationem interdum eſſe ad anni ſpatium, ad bienniũ, aliudue tempus: item eſſe qui poſtulent ſibi facultatem dari curandi dolores dentium, quartanam, aut aliud malum, ea lege vt alios occidant aut abominanda committant ſacrificia. Quod ſi ab iis qui ſe in totum addixerunt diabolo vt aliquid conſequantur, ipſe metuerit vt cultum ſuum deſerant, tum non ſatis habet ſi diſertis verbis Deo renuntiauerint, ſed notam eis inſuper imprimit, vt Danæus in dialogo de ſortiariis obſeruauit: qui autem ex animo ſe tradunt ipſi & quos ſtare nouit promiſſionibus, his non indit ſignum, vt idem autor oſtendit. De notis autem quod dicimus tam certum eſt quã quod certiſſimum, & ordinarie Iudicum oculis compertum,

Plutarch. in Valerio Publicola.

pertum, niſi in locis abditiſſimis occultentur: vt ex Valeſio quodam nobili audiui his inter labia notam eſſe, illis ſub palpebris (vt Danæus inquit) aliis in ſede ſi metuūt retegi, plurimum ad dexterum humerum, fœminis vero ad femur, ſub axilla, aut in genitalibus. Narrauit mihi Albertus Picto Aduocatus in Parlamento, ſe quæſtioni de veterinario quodam Mago in Theoderici caſtello adſtitiſſe, in dextero cuius humero comperta eſt nota, poſtridie vero à diabolo obducta deletaq;. D. item Claudius Deſſaius Procurator regius Ribemontii affirmauit notam Ioannæ Haruilleriæ Magæ à ſe fuiſſe viſam, ſed deletam die poſtero. Cenomannus ille Triſcalanus nomine qui à Præfecto prætorio damnatus veniā hac lege impetrauit, vt affines eiuſdem criminis indicaret, cum in populares conuentus ducebatur, aut de facie agnoſcebat eos, quos in Sabbathiſmis viderat, aut ex alia nota quam ipſi inter ſe nouerant: atque vt dictum confirmaret, ſignatos aiebat eſſe notis quæ in nudis deprehendi poſſent. Excuſſi itaq; illi quos accuſauerat ſignati deprehendebātur quodam quaſi veſtigio leporis, ſed ex ſorte ſenſus adeo vt vel ad oſſa vſque intima in loco veſtigii punctim percuſſi Magi non perſentiſcerent. Sed tam multi diuites ac pauperes in iſto numero comperti ſunt, vt alii effugium aliis compararucrint: itaq; ſerpſit hoc malum ſemperque diſſipauit ſe latius, vt reorū impietatem in æternum teſtatam faciat & conniuentiam Iudicū, quibus

habendæ

habendæ quæſtionis iudiciiq; perficiendi munus fuerat cõmendatum. Hoc vero mirabilius, quod plerique Magi non ſatis eſſe ducunt Deo renuntiauiſſe, niſi ſe iterum in nomine diaboli baptizari curauerint & vocari altero nomine, ex quo fit vt Magis fere duo ſint nomina. Neq; diſſimulandum iſtud, ad efficiendum quingentos Magos vnum ſufficere: nam ei qui ſe addixit diabolo nihil eſt expeditius ad gratiam eius ineundã & habendam pacem quã vt multos ſubditos pertrahat, itaque perſæpe vxor perducit virum, mater filiam, & iuſtæ familiæ ſic aliquando perſtant in multa ſecula, vt infinitis iudiciis fuit comprobatum. Cuiuſmodi familiæ olim in Africa Italiaq; exſtiterunt, quæ ſolo aſpectu vel laudatione homines enecabant, vt Solinus, Memphodorus, Plinius, Gellius, & Iſigon⁹ ſcripſerũt, & in Problematis Ariſtoteles annotauit 20. ſectione, Problemate 24. veteres ante laudationem præfari ſolitos eam nocituram nemini: & Itali quoq; dicunt, vbi aliquem plenis buccis laudari audiunt, *Di gratia no gli diate mal d' ochio:* & Magi denique opportune importuneque faciunt. Prout enim laus proprie ad Deum ſolum pertinet, certum eſt, ſi quando ſic laudatur homo vt non referatur ad Deum laudatio, plus æquo exultare eos qui laudantur & gloriam ſibi arrogare, eoque pacto Satanam plenis velis in præcipitia ruinæ ineuitabilis eos perducere. Sed ad alia veniamus. Doctor Grillandus Italus & quinq; illi inquiſitores, qui de multis Magis in Ger-

in Germania Italiaque cognouerũt, nihil aliud dictum fuiſſe tradunt quam idipſum quod rei euicti in hoc regno confeſſi ſunt, idq; nominatim Lugduni Lochiis, apud Cenomannos, Pictauii, Sanliſii, Lutetiæ. Ioan. Charterius, qui Car. VII. cõſcripſit hiſtoriam, Guilhel. Edelinũ Sorbonæ Doctorem narrat Magicarum ſortium fuiſſe damnatum pridie natalis Chriſti 1453. confeſſum ſe per noctem ſæpe in Magorum conuentus exportatum Deo ibidem renũtiauiſſe, diabolum hirci figura viſum adoraſſe, & podici eius oſcula dediſſe. Hoc autem inſignibus exemplis oportet demonſtrari, vt intelligatur Canon. Epiſc. 26. q. 5. Concilii Aquileienſis, à cuius intelligentia abluſerunt quamplurimi: etſi neq; à Concilio generali profectus eſt, neq; à Theologis approbatus. Vt igitur id quod diximus illuſtretur, nullum iudicium fuiſſe puto inſignius quam illud de Maga Lochiana recentiſſimum. Vir quidam tenuis cum vxorem interdũ abeſſe noctu perciperet, bonamq; noctis partem emanere, præterea dicentem ſe aut ad deonerandum aluum egredi, aut ad lauãdum cum vicina ſua aliquoties falſi euiciſſet, ſuſpicionem concepit de perfida eius libidine, & necem interminatus eſt niſi locum quo proficiſcebatur indicaret. Illa ſibi à periculo metuẽs rem vt erat confeſſa eſt, atq; vt explores & videas hæc ita ſe habere (inquit illa) ſi volueris, eodem venies: tunc tradidit ei vnguentum quo ſe vterq; inunxerunt, & pronuntiatis aliquot vo-

cibus

cibus diabolus eos Lochiis in arenarias Burdegalenſes (quæ à Lochiis minimũ quindecim dierum abſunt) exportauit. Videns itaq; vir ſe in ignota Magorum, Magarum, & diabolorum (humana ſpecie aſpectus tamen horrifici) frequentia verſari, dicere cœpit, Deus mi, vbinam ſumus? Hoc dicto, repente cœtus diſparuit: ille vero cernẽs nuditatem ſui corporis oberrauit per agros nudus, donec mane ruſticos inuenit qui ipſum in viam deduxerũt. Reuerſus Lochias ad Quæſtorem rerum capitalium contendit recta, qui audita probe hiſtoria fœminam prehendi iuſſit: illa vero minutatim omnia quæ diximus confeſſa eſt, & vltro agnouit peccatum. Lugduni quoq; ante paucos annos mulier potens comperta eſt, quę ſurrexit de nocte, accendit lucẽ, arrepta pyxide inunxit ſeſe, & poſt voces aliquot elata eſt. Hos ritus fieri obſeruans mœchus qui cum ea cubauerat lucernam capit, peruestigat vndique: & ea non inuentà cum ſolam vnguẽti pyxidem reperiſſet, curioſo animo exploraturus quid vnguentum poſſet fecit prout fieri animaduerterat, ita ſtatim elatus comperit ſe cum Magorum cœtu eſſe in agro Lotharingiæ, & conſternatus eſt: Sed cum primum Dei opem implorauit, euanuit totus cœtus, ille vero ſolum nudumq; ſeſe comperiens Lugdunum reuerſus eſt & maleficam accuſauit, quæ confeſſa rem totam igne periit. Idem quoque nobili cuidam viro non ita pridem ad Melodunum accidit, qui & molitoris verbis & ſua ipſius curio-

curioſitate adductus cœtum maleficorum adiit: ſed quoniam perhorreſcebat metu, quamuis non inuocaret Deum, Diabolus maxima voce inclamauit, quiſnam hic metuit? Sic volente nobili viro diſcedere, ex oculis abſceſſit cœtus. Atque hic reuerſus indicare Magum ſtatuerat, ille vero præmonitus ſibi conſuluit fuga. Quod de timore diximus, ex iudicio Magarum Valerianarum in Sabaudia commode poteſt intelligi: vbi fatebatur filia cum parentes primò ad cœtus ſuos eſſent ipſam deducturi, vt momentò efferrentur, baculum ſibi ab eis fuiſſe datum quem femoribus ſubderet, eoſque indixiſſe vt ante omnia ſibi caueret à metu: ſic cum parentibus ſtatim exportatam eſſe. Hoc iudicium in poſtrema editione libri Danæi fuit excuſum typis, quod anno M. D. LXXIIII. fuerat confectum, vt poſtea demonſtrabimus. Sunt qui ſartaginem aut æneum vas aliquod argenteumue deferant ad feſta ſua ſolennius celebranda: quo ſpectat ille articulus Salicarum legum capite 67. *Si quis alterum hæreburgium clamauerit, hoc eſt, ſtrioportium aut qui æneum portare dicitur vbi ſtriæ concinant, & conuincere non poterit, ſoluat ſolidos* 62. hic enim *ſtria & ſtriges* vocabula deſignant magas quæ dæmonas proſequuntur. Olaus magnus libro tertio, capit. 11. ſcribit apud Boreales populos locis compluribus iſtas Magorum dæmonumque ſaltationes conſpicuas eſſe. Idem in monte Atlante plerumq; fieri tradunt Mela lib. 3. Solinus lib. 38. c. 44. & Plinius lib. 5. c. 1. Nec

abſimile

abſimile eſt quod apud Paulum Grillandum Iureconſ. Italum legimus, qui de multarum maleficarum factis cognouit atq; iudicauit: anno M. D. XXVI. non procul à Roma ruſticum exſtitiſſe, qui poſtquam nudam vxorem ſuam ſe inungentem vidiſſet noctu, ſublatamq; oculis domi non inueniſſet, eã poſtridie arrepto baculo non deſtitit percutere donec rem ex veritate fateretur, quod illa faciens veniã ſibi dari poſtulauit. Hic veniã ea lege dedit vt ſe in cœtũ vxor deduceret. Ea poſtero die virũ vnguento ſuo curauit oblini, ſic vterq; inſidentes hircis peruenerunt in cœtum velociſſime. Virum autem vxor prę monuerat à nomine Dei plane abſtinendũ eſſe, niſi per ludibrium blaſphemiamue diceretur. Nam hac in re omnes conſentiũt, eum qui baiulatur ſi Deum nominauerit in media via repẽte deſeri: vnde oſtenditur nihil vnguẽto effici, ſed Diabolum ocyus Euro deportare (prout Auguſtinus inquit, Dæmones auiũ volatus incredibili celeritate vincunt) ac multo etiam velocius Angelos, quibus propterea ad pernicitatẽ eorum maximam & ἀκατάληπτον figurandam ſenæ alæ in Scriptura ſacra tribuũtur. Hunc igitur in cœtu verſantem mulier ſcorſim aliquantiſper iuſſit conſiſtere, vt myſterium totum cerneret, donec ipſa caput illius cœtus ſalutauiſſet ornatũ Principis amictu magnificẽtiſſimo, maximaq; virorum & mulierum corona cinctum, qui honorem clientelarẽ ſinguli exhibuerunt domino. Hoc facto ſaltationem inſtitui in or-

bem

bem vidit ore extrorſum obuerſo, ita vt non viderent alter faciem alterius, quod in popularibus ſaltationibus receptum eſt: forte eo conſilio, vt alii non poſſint alios commode obſeruare atq; agnoſcere, quos illi indicent ſi ad iudicũ manus peruenerint. Quod etiam Triſcalanus Magus cui Rex Carolus IX. veniã dedit vt ſocios indicaret, adſtante magna procerum turba expoſuit Regi: Magos in ſuos conuentus exportari, innumeras eorum adeſſe copias qui adorant hircum & poſteriores illius partes oſculantur: tum aduerſis tergis non videntes inter ſe ſaltare: deinde cum diabolis virili & muliebri forma cocũtibus copulari. Poſt ſaltationem inſtratæ fuerunt menſæ, cibi appoſiti. Mulier tum admouit virum vt Principem ſalutaret: deinde vt cum aliis accubuit menſę videns cibos inſulſos eſſe, & in menſis deſiderari ſalem, clamauit continenter donec ſal (vt videbatur) allatus eſſet, quem antequam guſtauiſſet dixit, *hor laudato ſia Dio pur e venuto queſto ſale*: Iam laudetur Deus, cum hic ſal aduenerit. Hoc dicto abierũt ſtatim ab oculis omnia, homines, cibaria, menſæ: ipſe ſolus remanſit nudus, affectus ingenti frigore, neſciens vbi locorum eſſet: cumque illuxiſſet dies, paſtores nactus eſt, à quibus rogãs vbinam eſſet, cognouit ſe in Comitatu Beneuentano agere opima ditione Papæ. Hæc ſub nuce geſta ad centeſimum milliare ab vrbe Roma: vnde proficiſcens ille panem & amictum coactus eſt mendicare, & octauo demum die

macer

macer atque exhauſtus peruenit domum, vxoremque detulit, abs qua accuſatæ aliæ & veritatem confeſſæ viuæ igni fuerunt traditæ. Idem autor eſt anno M. D. xxxv. adoleſcentulam in Spoletano Ducatu tredecim annos natam à vetula quadam in Magorum cœtum ſic perductam eſſe, miratamque conuentum adeo numeroſum dixiſſe: *Dio benedetto, che choſa e queſta?* Deus benedicte, quid hoc rei eſt? Simul atque pronuntiaſſet iſta, euanuiſſe omnia: miſeram diluculo à quodam ruſtico inuentam ei rem totam enarraſſe: eum deinde ad ſuos puellam remiſiſſe, & Magam ab ipſa accuſatam igne ſublatam eſſe. Quod autem hic narrat conuetus ſub nuce ingente habitos, ex hiſtoriis compluribus annotaui & ex iudiciis, loca à Magis ad ſuos cōuentus deſtinata aut certis arboribus aut crucibus plurimum inſigniri. Sic in Magarum Pictonicarum iudicio fuit deprehenſum, conuentus ad crucem quamdam tota regione celebrē haberi ſolitos, quo ante annos centum olim conuenerant, vt Saluertus Præſes ex actis veteribus & cēteñariis ſe mihi narrauit comperiſſe. Malberii quoque ad Lomagnienſe Bellomontium octauo ad Tholoſam milliari Magorum cœtus & ſaltationes compertum eſt ad crucem artocreatis haberi ſolitas, vt aliis locis fuit factitatum: & Magarum vna Beronda nomine, cum prope eſſet vt igni traderetur, contendens cum nobili quadam fœmina quæ negabat ſe interfuiſſe, dicebat huic: *No ſabes pas tu que le derrain*

cop que nous hemes le baran a la Croux do paſtu, tu portaos lo topin des poudoux? An ignoras cum poſtremo ſaltationem faceremus ad crucem artocreatis te portaſſe poculum venenorum? Hæc autem Beronda viua exuſta eſt. De exportatione autem poſt vnctionem tranſuehi Magos legimus, vel ſine vnctione ſæpe, hirco, pegaſo, ſcopis, baculo, vel ſine baculo & iumento vllo, alios nudos (vt pleroſq; ad ſe inungendũ nudos eſſe oſtendimus) alios amictos, hos noctu, illos interdiu, plurimum tamen de nocte, idque ea nocte quæ inter diem Lunæ & Martis interuenit: cuius rationem ſuo loco dicemus. Huc pertinet quod Paulus Grillandus libro de ſortilegiis ſcribit ſe anno M.D.XXIIII. à nobili quodam viro fuiſſe rogatum, vt in caſtellum S. Pauli, (quod Spoletani Ducatus eſt) veniret, & de tribus Sagis mulieribus cognoſceret. Earũ minimam fretam ſponſione ſuæ liberationis fuiſſe confeſſam, ſe iam ante annos 15. à vetula Saga in Magorum cœtum deductam eſſe, vbi Diabolus interfuit, quo autore, Deo, fidei & religioni ſuæ renuntiauerit, iuramento cauens ſe fidelem fore & diaboli mandatis obſequuturam, idq; manu libro obſcuriſſimam ſcripturam habẽti impoſita: item ſe ad ſolennitates nocte ad ferias cum imperabuntur venturam, & quoſcunque poſſet eodem adducturam: diabolum ipſi viciſſim lætitiam æternamque felicitatem ſpopondiſſe. Amplius confeſſa eſt ſe ex eo tempore necem hominibus quatuor intuliſſe, pecori ſæpenu-

ſepiumero, & fruges calamitate deuaſtaſſe: Si quando ipſam die ſtato cõtigiſſet ad cœtus non accedere ſine vera certaque excuſatione, ſe ita de nocte fuiſſe vexatam, vt nec ſomnum caperet, nec quietem vllam: Cum proficiſcendum illucfuit, ſe viri vocem audiuiſſe, quem paruum dominum, aut etiam interdũ magiſtrum Martinetum appellabant: itaque ſimulac ſe vnguẽto quodam obliniſſet, hircum qui præſto ad portam aderat conſcendiſſe quem tenebat pilo, eoque hirco ſub magnam illam Beneuentanã nucem vbi innumeros offendebat Magos trãſuectam eſſe, ibi fide Principi data ſaltari, tum mẽſis accumbi, poſtremo quemq; dæmonem cum eo eaue cuius præerat cuſtodiæ copulari: Hoc facto ſingulos ſuo dæmoni inſidentes reuolare: priuatim vero diabolũ intra parietes domeſticos adorare. Hęc vbi fuiſſet cõfeſſa & cum duabus alteris comparata, aliæ pręterea fuerunt accuſatæ, quæ confeſſæ culpam cum ſuis pulueribus & vnguentis viuæ fuerunt concrematæ. In libro quoque tertio Antonii de Turquameda Hiſpani aliã inter cæteras hiſtoriam recentẽ legimus, voluiſſe Magum quemdã ſocio ſuo perſuadere fore ipſum beatiſſimum omniũ, ſi crediderit ipſi & Magorum conuentus adiuerit: vt autem conſenſit ſocius, Magum de nocte poſt aliquot voculas manum ſocii prehendiſſe, & vtrumque elatum in aere procul fuiſſe in cœtum tranſuectos, in quo viri & mulieres innumeræ circumſtabant thronum, cui maximus

inſidebat hircus: ad hunc oſculandum omnes acceſſiſſe *en la parte ma ſuzia que tenia* (qui ſciunt Hiſpanice, eam partem eſſe intelligunt, quę honeſte non poteſt nominari) Nouitium cum videret iſtud, ſocio dixiſſe, amitto patientiam, & inclamaſſe repente: *Dios a muy grandes bozes,* ait autor, id eſt, Deum voce quam maxima: tunc irrumpente turbine procellaque vehementiſſima diſparuiſſe omnia, illum ſolum ſubſtitiſſe, & triennium totum conſumpſiſſe antequam in agrum ſuum reuerteret. Apud Cenomannos nuper cremati ſunt plurimi, qui ſe in ſabbatha ſua perſæpe abiuiſſe & ea quæ ante diximus cōmiſiſſe fatebantur: his acta forenſia plena ſunt, & iudicia recens huc illuc transmiſſa, quæ ita nota ſunt vt breuiter contentus indicaſſe prætertire malim ad cætera: Minimum enim triginta Magi inuidia inter ſe perciti alter alterum incuſarunt, quorum confeſſiones vno ore teſtificabantur tranſuectionem, adorationem diaboli, ſaltationes, & religionis abiurationem. Recens quoque iudicium exſtat in Valerianas Magas Sabaudiæ confectum anno M. D. LXXIV. cuius hiſtoriam ſummam Danæus copioſe ſatis pertexuit; vnde ſimilem ſui diabolum ſemper eſſe conſtat: nam ex earum confeſſionibus & comparatis earum ſermonibus inter ſe commiſſarum videtur corporis exportatio baculo ſolum innitentis ſine vnctione, tum abiuratio Dei, diaboli adoratio, epulum pudendorum Satanæ (qui apparebat ſpecie pecudis) deoſculatio,

latio, obligatio de perpetrandis malis innumeris, pulueris in quemque ſubminiſtratio: ab vna nefariam hanc artem triginta annis fuiſſe exercitatam: interdum ſe diabolum tetrum horrificumque valde humana forma oſtendere. De cibariis autẽ hominibuſque euaneſcentibus habemus apud Philoſtratum Lemnium Græcum autorem teſtimonium, Tyanęum illum Apollonium domum quãdam ingreſſum vbi hilaria ſua exercebant Magi, eis interminatum eſſe, omniaq; diſparuiſſe illico, menſas, cibaria, homines, ſuppellectilem, & adoleſcẽtem vnicũ quem Magi recens deceperant in eo loco ſubſtitiſſe. Ne procul abeamus, viuunt adhuc memoria noſtra plurimi qui Comitem quendam Aſpremontenſem norunt, omneis domum ad ſe venientes tractare magnifice excipereq; ſolitum, adeo vt accurati cibi, officia, omniumq; rerum copia ſummopere turmis eo diuertentibus ſatisfacerent, ſed homines illos & equos, cum primum ab eo exibant, fame & ſiti oppreſſos eſſe: quod de multis adhuc ſuperſtitibus me audire memini. Ita fuit Matiſconenſis Comes Magorum ſua ætate facile princeps, quem hiſtoriæ noſtræ aiunt excipientem prandio frequentem conuiuarum numerum ab homine foras euocatum eſſe, atque (vt non audebat homo Satanæ refragari) equum nigrum præ foribus exſpectantem reperiſſe, quo ille ſtatim cum ſuo homine tranſuectus diſparuit, nec vnquam ex eo viſus eſt. Idem Romulo ad Capreas paludes Hugo Floriacenſis.

O 3 accidiſſe

accidiſſe Plutarchus autor eſt, eum irruente turbine è medio ſublatum eſſe, nec deinde viſum, vt procerum turba, quæ illi ad latus adſtabat, confirmauit: quod vt Plutarchus probet, ſimilia duo exempla adiicit, Ariſteæ Præconneſii, & Cleomedis Aſtypalæi. Nec aliter Apollonio Tyaneo fuiſſe factũ ſcribit Philoſtratus, vt hoc pacto eum diis acceſeat qui maximus ætatis ſuæ Magus habebatur. Sed quoniam hoc factum multi autoritate nationalis Concilii ac potius Conciliabuli Aquileienſis volunt defendere cuius ante meminimus, placet iam Theologos annotare, qui vno conſenſu docent Magos à diabolo corpore exportari. Multas complurimum populorum atque nationum autoritates apponimus, vt illuſtretur amplius veritas tam multis totieſque probatis exemplis, idque non per ſomnia & deliria, ſed per iudicia contradictoria, per mutuas conreorum accuſationes, ἀντικατηγορείας, repetitiones, euictiones, comparationes, confeſſiones, cõdemnationes, & executiones iuridicas. In quibus vnũ habuit Germania exemplum memorabile, quod Ioachimus Cameracenſis narrat libro de natura dæmonum. Cum forte lanius quidam per ſyluam de nocte iret, ſtrepitum & ſaltationes exaudiuit: re itaque perueſtigata accedens pocula vidit argentea; quæ, vt Magi & diaboli diſparuerunt illico, accepit lanius & poſtridie ad magiſtratum detulit; ſic illi quorum ſigna poculis inerant accuſauerunt alios citati in ius, & omnes ſupplicio

August, lib. 10. & 21. de ciuitat. Dei, Thomas in ſumma ſecũda ſecundæ q. 95. artic. 5. tit. de ſupe. & in tract. 40. prin. par. q. 8. tit. de mira, & q. 16. art. 5. & 6. & tit. de Dæmon. Bonauen. in 3. ſent. di. 19. q. 3. Paul. Grillandus lib. de ſortil. ſec. 7. n. 4. Syluester Prier. in tractat. de ſtrigib. dam.

ſupplicio digno affecti ſunt. Alterum exſtat exemplum inſignius executionis illius quæ facta eſt Pictauii anno M. D. LXIIII. cuius executionis hiſtoriam cum à multis in eodem loco, tũ etiam à Pictonum Præſide Saluerto didici (qui tum ad iudicium ferendum cum Dauentonio Pictonum Præſide & iudicibus aliis fuerat accitus) & omnes in ea regione tenent. Tres viri cum fœmina vna Magi damnati & igne concremati ſunt viui, cum fuiſſent euicti necis hominibus plurimis pecudibuſq; importatę opera (vt fatebantur) diaboli ſubminiſtrantis pulueres, quos humi ſtabulorum, ouiliũ, domorumq; limini ſubdebant. Narrauerunt autem iſti ſe ter in conuentum maximum ſolitos proficiſci, quo conueniebant Magi innumerabiles ad compitalem quamdam crucem quæ ipſis vſum præbebat ſigni: ibi præeſſe hircum ingentem nigrum, adſtantes ratione humana compellantem, in eius ambitum ſaltare omnes, tum vnumquemque poſteriores illius partes cum ardente candela oſculari: hoc facto, hircum abſumi igne, de cuius cinere ſingulos capere, vt eo bouem inimici necarent, huius ouem, illius equum, hunc hominem languore, illum morte efficerent: poſtremo diabolum voce terribili hæc verba intonare, vlciſcimini vos, aut mortem oppetetis: ita ſingulos ope diaboli redire qua venerāt. Non eſt autem leuiter prætereundum illud, quod ter quotannis ſacrificium iſtud diabolo tenentur facere: imitantur enim ſacri-

lib. 1. ca. pen. & lib. 2. ca. 1. Sprenger in malleo maleficarum.

ficium hirci lege diuina imperatum, Leuit. 16. & præceptum illud vt mares ſinguli ter quotannis ſolennibus feriis compareant coram Domino. Amplius dicebat Preſes Saluertus vir clariſſimus, apparere ex actis veteribus Magos iam ante annos centum de eadem cauſa fuiſſe damnatos, & paribus cõfeſſionibus idque eodem loco ad crucem eandem geſtum. Horum duo reſipuerunt, & duo in prouicacia ſua ceſſerunt vita. Iudicium quoq; legi in Magas Potezanas latum, quod mecum Adrianus Ferreus generalis vicarius Regis apud Laodunenſes communicauit. In eo confeſſio illarum exſtat eiuſmodi, ſe prope Lognium ad Frenquiſanum piſtrinum certis vocibus, quas reticebo, pronuntiatis cum ſcopis delatas eſſe: ibique alias ſcopis ad manum inſtructas & cum eis ſex diabolos quorum habentur nomina inueniſſe: poſtquam Deo renuntiauiſſent, diabolos humana forma ſed tamen aſpectu teterrimos oſculatas adoraſſe, tum habentes in manibus ſcopas ſaltauiſſe, poſtea diabolos rem cum fœminis habuiſſe, ipſas vero pulueres enecando pecori poſtulaſſe: poſtremo conſtitutum fuiſſe vt eodem poſt octiduum ineunte nocte conuenirent ad diem Lunæ, cumque tres horas illic ſubſtitiſſent fuiſſe reportatas. Vnum omiſeram, teneri Magum quemque malefactorum ſuorum rationes exponere, aut cædi, niſi fecerit, grauiſſime. Hoc mihi Bouinus Caſtelli ruſſi præfectus Biturigum nomine delegatus apud Bleſenſes affirmauit, Magam

gam ſe iudice crematam fuiſſe, quam filia accuſauerat, quod ipſam in conuentus deduxiſſet mater, & diabolo inſtituendam obtuliſſet: hæc inter alia ſcelera iſtud confeſſa eſt, ſe ſaltaſſe in hirci ambitum, & tandem ſingulos rationes rerum à poſtremi cœtus tempore geſtarum reddidiſſe, & qua in re puluerem occupaſſent. Hic enectum à ſe infantem aiebat, alter equum, ille arborem. Vna autem nihil ab eo tempore feciſſe comperta frequentes ictus accepit baculo ad plantam pedum, & ab aliis omnibus deriſa eſt. Addebat illa, puluerem ſæpe recentem haberi oportere. Huic ſimile eſt, quod in altero Magæ iudicio legimus, quæ ſe fatebatur minime quieſcere, niſi quid mali quotidie committeret, ſaltem vt vaſculum diffringeret: ſed cum hera ipſius frangentem de induſtria vas terreum deprehendiſſet, tum rem confeſſa eſt & addicta morti, quia dicebat, nullam ſibi omnino quietem eſſe, niſi aut enecto homine aut perpetrato malo. Quibus ex rebus apparet, non puluerem, ſed Satanam eſſe, qui ruinam ſolum generis humani appetit, & coli frequenter atque adorari cupit: cum plerumque puluis vnum duosve pedes in terram demergatur. Memini, Furnerium virum doctum, Aurelienſem Conſiliarium, mihi dicere, vulgo ſermonem eſſe & quidem compertum, Magarum conuentus haberi ad Cleriacum, & diabolos illic quicquid variis in regionibus agitur nunciare, quia ſingula hominum facta referunt velut in Commentarios: at-

que hic diuinandi modus, quo vtuntur Magi. Illa autem Maga, cuius meminimus, à ſententia lata noluit prouocare, dicens ſe mortem anteponere tantis diaboli cruciatibus, à quo non poterat vel momento quieſcere. Inprimis vero illud obſeruandum eſt, nullum haberi conuentum, in quo non ſaltetur. ſic Longuianæ Magæ inter ſaltandum canebant, har, har, diabole, diabole, ſali huc, ſali illuc, lude hic, lude illic: dicebant alię, Sabbath, Sabbath, id eſt, dies quietis feſtus, elatis ſurſum manibus & ſcopis; tum vt teſtificarentur certo, quanta alacritate animi ſtudioque colerent diabolum atque adorarent, tum vt adorationem quæ debetur Deo effingerent. Priſcos enim Hebręos in templum apportantes munera cum prope altare accederent ſaltauiſſe conſtat, vt optime Dauid Kimhi de voce חגג, ſignificante feſtum & ſaltationem, annotauit: Dauidem quoque ad teſtificandum lætitiam animi ſui cum præiret arcæ canentem Pſal. 47. & pſallentem ſaltauiſſe. Saulem etiam legimus à Samuele ad Prophetas ablegatum eſſe ſaltantes & laudantes Deum inſtrumentis muſicis, prout Muſica hominibus ad Dei laudes læto & hilari animo potiſſimum efferendas fuit attributa: ſed corporis motus nihil habebat inſolens, quin potius lenitas illius animum in cœlum quodammodo extollebat, quod officium eſt Deo acceptiſſimum. Non poteſt enim quiſquis Dei laudes iſta alacritate prædicat, non abripi amore & zelo honorandi Creatorem

In Pſal. 42.

rem ſuum. Ita ſingulis Pſalmorum locis vbi legitur Sela, (legitur autem ſæpiſſime) qui canebant illud, vna cum corpore attollebant vocem, vt Dauid Kimhi Hebræis Commentariis in Pſalmos notat: etſi eandem vocem Chaldæus æternitatem exponit , Symmachus & Theodotion διάψαλμα. Abraham Abben Hezra אמת, id eſt, vere: vtut ſit, cantores tamen ad vocis huius enunciationem aſſurgebant. Priſcarum autem ſaltationum veſtigia quædam hodiernæ ſupplicationes videntur oſtendere, quibus populi etiam omnes in ſuis ſacrificiis & ſolennitatibus vtebantur. Scribit Moſes Maymonis, Perſarum filias nudas ſaltare, & inſtrumentis pſallere. Magorum vero ſaltationes homines furioſos reddunt, & fœminis abortum faciunt: quemadmodum de ſaltatione illa ex Italia in Galliam per Magos inducta, quam voltam nominant, optimo iure poteſt prædicari, huic ſaltationi præter inſolentes ac impudicos motus hoc ineſſe mali, quod homicidia & abortus innumeri ex ea accidunt: quod in Republica inprimis conſiderari oportet, & ſeueriſſime prohiberi. Itaque Satanas, eo quod Geneuæ ſaltationes ante omnia ſunt odio, puellam Geneuenſem ſic inſtituerat, vt quoſcunque virga ferrea ab ipſo tradita attingeret eos ad ſaltandum compelleret: atque hæc iudices ludificabatur, dicens, ſe necari ab ipſis non poſſe, neque vnquam voluit reſipiſcere, donec ad mortem damnata eſſet. Hoc factum ab ho-

mine

mine didici, qui interfuit: addebat autem, eam ſimulatque fuit comprehenſa, metu & trepidatione maxima fuiſſe conſternatam, dicendo ſe ab hero ſuo deſeri, ab eo promiſſionem de morte non oppetenda accepiſſe, eumque ab ipſa ſed ſola percipi. De furore autem omnino conſtat non alios quam furioſos & væſanos homines tripudiationibus iſtis & ſaltationibus violentis vti, neque magis expeditam eis curandis rationem eſſe, quam vt ſedate grauiterque cogantur ſaltare, vt Germania facit inſanis ex eo morbo laborantibus, quem ſancti Viti & Modeſti vocant. Vt caput abſoluam, concluſionem cuiuſdam diſputationis apponam factæ coram Sigiſmundo Cæſare, quam Vlricus Molitor in libello ea de cauſa conſcripto retulit: nam in ea ex infinitis exemplis iudiciiſque fuit conſtitutum, Magos vere à Satana corpore animoque deportari. Hiſtoria quidem Euangelii exponeretur ludibrio, ſi vocaretur iſtud in dubium, an diabolus de loco vno in alterum deportet Magos: cum in Euangelio dicatur Satanas Chriſtum in cacumen templi, ac deinde montis tranſtuliſſe. Plerique enim Theologi ac eruditiſſimi ſentiunt, corpore & animo vere Chriſtum exportatum eſſe. Abacuc item Prophetam fatentur & corpore & animo tranſlatum fuiſſe in Babyloniam, ſimiliterque Philippum Apoſtolum vtroque vectum. Ex quibus Thomas Aquinas eruit, ſi id in vno potuit, in aliis eiuſdem naturæ & ponderis fieri potuiſſe: hoc illius

argu-

argumentum in caput Matthæi quartum. Apud Philoſtratum etiam Græcum autorem legimus, Apollonium Tyanæum à Nili fontibus in Æthyopia fuiſſe breui ſpatio Romam exportatum, id eſt, (vt recta contendas) in bis milleſimum quingenteſimum milliare: item Roma Corinthum, Smyrnaque Epheſum. Ioannes Theutonicus, ſacerdos Halberſtadienſis, Magus eo tempore celeberrimus, Anno M. CC. LXXI. media nocte tres Miſſas cecinit, vnam Halberſtadii, alteram Moguntiaci, tertiam Coloniæ. Pythagoram item narratur tranſuectum fuiſſe Metapontum Thuriis. Quin Vierus ipſe Magorum defenſor affirmat, verum eſſe certitudine quadam ſcientiæ, ſcire ſe multos homines ex vna regione in alteram momento ſic tranſlatos eſſe. Hæc ipſius verba libro 2. cap. 8. de præſtigiis dæmonum, & lib. 3. cap. 12. Sed quia nonnullis videtur ſpiritu ſolum translationem fieri, nunc de ſpiritus raptu dicendum eſt.

CAPVT V.

De ecſtaſi aut raptu Magorum, & ordinaria illorum cum Dæmonibus frequentatione.

EX iis, quæ de tranſlatis corpore animoque Magis docuimus, & ex tam frequente experientia exempliſque memorabilibus, cernitur velut meridie, & palpatur eorum error, qui Magorum tranſlationem ſtatuunt eſſe imaginariam, neque aliud definiunt quam ecſtaſin,

exem-

exempli gratia, viſum Ezechielis adducentes, cuius ſpiritus è Babylonia abreptus eſt Hieroſolyma: quod viſum aut vera animi ſeparatione fieri potuit, aut ſine ſeparatione accidere. Ac Hebræi quidem in arcana ſua Theologia animas electorum Deo per Angelos offerri tradunt quadam abſtractione, homine tamen ſuperſtite: atque huc adducunt locum Pſalmi 116. pretioſa in conſpectu Domini mors ſanctorum eius, quam iucundam mortem in Phædone dicere videtur Plato. At non propterea veram corporis & animi tranſlationem per bonos ſpiritus & malos fieri negandum eſt. In exemplum Eliam & Henocum corpore abreptos adducimus, & Abacuc opera Angeli in leonum foueam corpore importatum. Quod ſi in antecedentibus exemplis non vere fieret corporis exportatio, qui potuiſſet Lochianus ille à lecto in Burdegalenſibus arenariis ſe deprehendere? Lugdunenſis in Lotharingia? Græcus ille Plutarchi Crotone ad Neapolim, vbi milliaria amplius centum oportet transfretari? qui ſexcenta alia huiuſmodi perfici? Thomas Aquinas, Durandus Heruæus, Bonauentura Tarantaſius, & Geraldus Odetus, qui in ſecundum librum diſtinct. 8. Magiſtri ſententiarum quæſtionem hanc explicarunt, omnino confirmant corpora à diabolis naturali potentia de loco in locum tranſportari. Quamquam raptus ille, vt vocant, ecſtaticus plus habet admirabilitatis iudicio meo, quam corporis

expor-

exportatio. Etenim ſi poteſt diabolus, vt fatentur illi, extra corpora ſua animos abripere: nonne facilius eſt corpus animumque ſine diſtractione & diſparatione partis ratione præditæ deuehere, quam alterum ab altero nec interueniente morte diuidere? Quamuis autem immortalitatis animarum certiſſima teſtimonia & indubitatæ demonſtrationes ſuppetant, hoc tamen in validiſſimis & maximis numerari mihi videtur oportere, adeoque ſufficere, ſi bene probatum fuerit; (vt profecto hiſtoriis, iudiciis, repetitionibus, teſtium comparationibus, conuictionibus, confeſſionibus, & executionibus infinitis fuit comprobatum) ſufficere igitur reuincendis Epicureis & Atheis: adeo euidenter docet, humanum ſpiritum eſſentiæ immortalis eſſe. Hypotheſis enim Ariſtotelea libro ſecundo de Anima ſic optime demonſtratur, animam ſi quid ſine corporis adiumento poteſt immortalem eſſe: & altera hæc ſimiliter, animam immortalem eſſe, ſi à corpore poteſt ſeparari. Iſti autem infidi, qui neque poteſtatem Dei neque ſpirituum naturam credunt, eam quam vocamus animam eſſe dicunt vinculum harmonicum formamque catholicam ex ſingularibus humorum aliarumque humani corporis partium formis reſultantem: quod certe plane abſurdum eſt, hominis formam (quam omnes Philoſophi puram & ſimplicem fatentur eſſe) ex compluribus formis componere. Ecſtaſin vero definiunt ſomnum melancholicum, quo

quo vires animæ ita ſepultæ ſunt, vt mortuus homo videatur: rem ridiculam, cum plures Magi, Olao Magno teſte, in Noruegia, Liuonia, Borealibusque partibus quam in reliquo orbe terrarum exſtent: & quod de Satana apud Eſaiam prædicatur, Aſcendam ſuper Aquilonem, ero ſimilis Altiſſimo, ad eam poteſtatem referri poſſit, quam Satanas in Boreales præcipue populos exercet, famoſos Dæmonum Magorumque nomine: prout etiam in tota Scriptura legimus venturum ab Aquilone malum, Sapientiæ 2. Eſai. 14. 41. & 49. Ierem. 34. 4. 6. 13. 15. 23. 25. 46. 47. 50. & 51. Ezechiel. 8. 48. Daniel. 11. Zachar. 2. at populus iſte minus quam quiſquam alius habet melancholiæ: ſunt enim omnes flauo capillo aut coloris ruffi. Quamobrem iſtos neceſſe eſt ignorantiam ſuam agnoſcere: nam Solenem quendam Plutarch. Plinius Hermotimum Clazomenium, & Præconneſium Philoſophum atheon Herodotus ita abreptos fuiſſe tradunt in exceſſum mentis, vt corpora eorum mortua & ſenſus expertia ſubſiderint, itaque proſtratum Hermotimi corpus ab inimicis captum, occiſum, & crematum eſſe. Scripſit Hieronymus Cardanus, ſe cum luberet, per ecſtaſin extra corpus rapi adeo vt corpus maneret ἀναίσθητον, ego vero eos, qui voluntarie inter vigilandum patiuntur illud, Magos eſſe confirmo: & Cardanus ipſe fatetur, patrem ſuum triginta annos familiarem ſpiritum habuiſſe. Sic plerumque patres ſortilegi informant

Plin. lib. 2. cap. 52.

In ſua Gem.

In lib. de rerum variet. ad finem.

mant

mant liberos, vt in mentis exceſſum rapiantur: quo pertinet illud Virgilianum de Maga Æneidos ſexto, quæ ſe promittit ſoluere mentes. Nam reuera anima vegetatiua, vitalis, & animalis permanet, quamuis ſoluti ſint ſenſus, motus, & ratio. Exſtat recens hiſtoria Magiæ naturalis à Neapolitano, qui rem narrat à ſe in muliere Saga fuiſſe exploratam, quæ poſtquam ſe vnxiſſet, nudam λειποθυμοῦσα & ſenſu deſtituta concidit, reuerſaque poſt trium horarum ſpatium in corpus ſuum multa è regionibus variis nunciauit, quæ vera deinde comperta ſunt. Sed autor libri digni incendio rationem rei iſtius gerendæ explicat. Hac arte Satanas erga eos vtitur, qui nolunt retegi, ſiue propter familiæ amplitudinem, ſiue propter alias cauſas non audeant magnos conuentus accedere. Ex Turettano Præſide audiui, Magam à ſe in Delphinatu viſam, quæ viua fuit concremata: hanc ergo cubantem ad ignem, manente domi corpore in ecſtaſin abreptam eſſe, & quia nihil intelligebat, grauiſſimis virgæ ictibus ab hero percuſſam, tum etiam vt viderent an de hac vita deceſſiſſet, ignem partibus quæ maxime valent ſenſu, fuiſſe ſubiectum, nec propterea euigilauiſſe: eam itaque iacentem ab hero heraque mortuam eſſe exiſtimantibus ibi derelictam eſſe: mane iacentem in lecto inuentam: quod cum miratus herus quæſiuiſſet quid rei contigiſſet ipſi, exclamantem ſuo ſermone dixiſſe, Ah, here, quam verberaſti me? Id hero

apud vicinos narrantem aliquem dixiſſe, Saga eſt: ideoque non deſtitiſſe herum, donec illa rem faſſa indicauiſſet, ſe animo cœtum Magorum adiuiſſe. Sic alia inſuper ſcelera quæ perpetrauerat agnouit, & igni fuit tradita. Iacobus Sprangerus Inquiſitor, qui de permultis Sagis quæſtionem habuit, eas ſcribit confiteri, ſe, cum viſum eſt, ſpiritu abripi, ſin aliter videatur etiam corpore. Exemplum noſtra memoria apud Burdegalenſes alterum habuimus Anno M. D. LXXI. cum in Magos Galliæ inſtituta eſſet perſequutio, Vetula quædam Burdegalenſis Maga apud Iudices confeſſa eſt, ſe cum aliis per hebdomadas ſingulas fuiſſe exportatam, vbi magnus hircus aderat, quo autore abnegabant Deum, ſe diabolo ſeruituras ſpondebant, ſinguli pudenda illius oſculabantur, & poſt ſaltationes pulueres accipiebat quiſque. Tum D. Bellotus libellorum ſupplicum magiſter, dicente Maga ſe nihil poſſe niſi è carcere educta eſſet, volens rei veritatem explorare, eam educi iuſſit: & illa cum ſe nudam certo adipe inunxiſſet, velut mortua experſque ſenſus corruit, deinde poſt horas quinque reuerſa exſurgensque permulta narrauit, quæ variis in locis ita habere vt dixerat comperta ſunt. Hanc hiſtoriam mihi quidam Comes equeſtris ordinis narrauit, qui adhuc viuit & iſti experientiæ interfuit. Id in Borealibus partibus frequentari Olaus teſtis eſt, & amicos ecſtatici ſtudioſe corpus obſeruare, donec cum dolore ingente reuer-

uertatur, & annulum, literas, cultellumve eius, qui milliaribus trecentis abeſt, ab eó reportari. Æque admirabile eſt iudicium illud Magorum ſeptem, quod Anno M. D. XLIX. apud Nannetas didici. Cum igitur iſti coram multis ſe indicaturos recepiſſent ante horam, quid per milliaria decem in ambitum ageretur, exanimes conciderunt illico, & tres horas defecti animo iacuerunt: poſtea exſurgentes renunciauerunt, quicquid in toto Nannetum oppido & ambitu longiore perceperant, locis, factis, & hominibus obſeruatis: quæ omnia ſtatim comperta ſunt. Itaque omnes iſti accuſati & maleficiorum multorum comperti, ad ignem fuerunt damnati. Dixerit fortaſſe quiſpiam, non abripi animam, ſed viſum & illuſionem à diabolo præſtari: at effecta huic ſententiæ aduerſantur. Poſſunt quidem homines mandragora & narcoticis potionibus ſoporari, ita vt mortui eſſe videantur: ſed horum alii ita ſoporantur, vt nunquam euigilent, alii epotis eis ad triduum quatriduumve indeſinenter dormiunt: prout iis faciunt Turci, quos caſtraturi ſunt, & Vaſconi cuidam ex inferiore Occitania captiuo, qui poſt fuit redemptus, accidit. At nihil tale epotant Magi, & qui narcoticis ſoporantur, nullius rei meminerunt: Magi vero impreſſionem viuam habent ſaltationum, ſacrificiorum, adorationum, & aliarum rerum, quas in conuentibus viderunt feceruntque, obſeruant eos, qui adſunt, qui cum illis commiſſi fatentur culpam: &

Iacobus Sprangerus ex maleficarum, quas igni damnauit, confeſſione id Magos confiteri narrat, ſe in ecſtaſi eaſdem res percipere, quas, ſi corpore adfuiſſent, pariter percepiſſent. Auguſtinus quoque libro 19. de Ciuitate Dei ait, Præſtantii patrem tanta ecſtaſi ſæpe abreptum eſſe, vt reuerſo ſpiritu ſe fuiſſe verſum in equum affirmaret, commeatumque in caſtra cum equis aliis importaſſe: cum tamen ipſius corpus exanime iaceret domi. Atque hæc fortaſſe fuerit ratio, cur Lycanthropia illa & hominum in pecora commutatio (de qua poſt agemus) fuerit tantopere ab antiquis celebrata, & adhuc in Orientis partibus frequentetur. Sunt etiam morbi, qui hominem orbant ſenſibus, ac prope exanimant, vt ſunt epilepſia & apoplexia. Sic Iulius II. Papa ſpatio bidui pro mortuo habebatur: & Ioannem Scotum viuum fuiſſe humatum creditur, cum exiſtimaretur mortuus: cœpiſſe enim dicitur conflictari, cum præcluderetur anima, cuius conflictantis motum percipientes veſpillones qui iniiciebant humum retraxerunt quidem, ſed ſanguine offuſum & agentem animam inuenerunt. Non inſunt iſta mala ſortilegis, ſyncope, epilepſia, apoplexia: nam ſi quando placuerit, ita affecti ſunt, neque aliam ob cauſam patiuntur iſta, quam vt ſe à conuentibus adeundis excuſent, ſi metuunt retegi, nec eo minus dant fidem diabolo, & cum volunt eum alloquuntur domi. Sic Raziorum Baro (qui apud Nannetas magicarum

rum ſortium damnatus ſupplicium pertulit) non tantum faſſus eſt, ſe octo puerulos occidiſſe, & in animo habuiſſe occidere & diabolo ſacrificare nonum, ſuum ipſius filium, idque in matris vtero, vt ſummopere gratificaretur Satanæ, verum etiam ſe in conclaui ſuo procidentem in genua Satanam adorare humana ſpecie comparentem, eique adolere: qui deteſtabilium ſacrificiorum ritus apud Amorrhæos olim & Canan. obtinebat. Huic res admirabiles Satanas ſpoponderat, ac nominatim ipſum fore magnum. Tandem vero ſe videns captiuum & acerbiſſimis malis oppreſſum, omnia confeſſus eſt vltimumque ſupplicium paſſus, & lis adhuc ſub iudice hæret de bonorum eius publicatione. Apud Sprangerum legimus, cum de quadam malefica, quam damnauit igni, cognoſceret, eam confeſſam eſſe, (vt erat obſtetrix) ſe pueros ſuſcipientem è matris vtero diabolo obtuliſſe in aerem extollendo, deinde in caput eorum aciculam magnam, ita vt non proflueret ſanguis, indidiſſe: tum iis in ſepulchrum elatis, abeuntem de nocte eos eruiſſe, furno coxiſſe, carnes comediſſe, pingue ad ſuum vſum aſſeruaſſe: hoc pacto quadraginta puerulos à ſe interemptos eſſe. Hæc Danenſis fuit ad Baſileam. Alteram quoque Argentoratenſem innumeris occiſis crematam eſſe. Iſtius ſumme præ omnibus quas vnquam audiuerim deteſtandæ crudelitatis & idololatriæ placuit lectorem admonere, vt bene ad obſtetrices attendatur, veſci

autem iſtos humana carne eſt certo certius: nam eam poſt omnem hominum memoriam ſic appetiuerunt Sagæ, vt ægre mortuorum corpora ſeruari aut concludi etiam poſſent, quin illæ ingreſſæ ad oſſa vſque abroderent: quamobrem 67. capite legum Salicarum dicitur, Sortilegam, ſi hominem ederit, atque euincatur, ſolidos ducentos ſoluturam. Philoſtratus Lemnius autor eſt, Lamiam, quæ ſic humanis veſcebatur carnibus Corinthi, ab Apollonio Tyanæo retectam & eiectam eſſe: quo ſpectans Horatius & velut crudeliſſimum facinus abominatus inquit:

Apulc. libr.1. aſini.

Neu pranſæ Lamiæ puerum viuum extrahat aluo.

atqui hoc Magis in more fuit poſitum, vt cibo iſto alerentur. Apud Ammianum Marcellinum lib.29. legimus, Pollentianum Tribunum conuictum & confeſſum fuiſſe, quod viuæ mulieris exſecuiſſet ventrem, vt intempeſtiuo partu extracto de futuro Imperatore conſuleret. Quibus locis omnibus ea quæ in iudiciis noſtrorum temporum vidimus confirmantur. Imo complures Magi exiſtimant, ſe à Dæmonibus ad crudelia hæc facinora adduci, vt hac ratione ex animi ſui ſententia aut ſpiritu aut corpore rapiantur. Et ne longe abeamus, Rondeletus doctiſſimus Medicus & celeberrimus, Magum quendam in Montepeſſulano ſepulchris hærentem obſeruauit, qui ad ſepulchrum profectus, vbi mulieris corpus fuerat pridie conditum, ex eo reſcidit femur, quod imponens hu-

meris

meris carnem dentibus mordicus auellebat. Hoc mihi quidam Rondeleti diſcipulus, qui tum eum proſequebatur, narrauit. Lycanthropiam morbum Rondeletus dicebat eſſe, qua homines furioſi facti ſe verti in lupos putant, eoque cibo veſcuntur. Iam itaque dicamus, poſſintne homines vere in lupos & alias beſtias verti, an vero ſic imaginatione aut morbo ſibi videantur.

CAPVT VI.

De Lycanthropia, & an ſpiritus vertere hominem in beſtiam poſſint.

PERMVLTIS exemplis, & diuinis humaniſque autoritatibus, itemque accuſationibus, euictionibus, confeſſionibus, iudiciis, & executionibus ante oſtendimus, viros & mulieres via diabolica modo ſpiritu & corpore, modo ſpiritu ſolum exportari: nec paucis Satanam perſuadere. iſta verborum vi & vnguentorum, quæ tradit effici, eumque plurimum hircina ſpecie apparere. Ex quibus demonſtrationem effectorum nobis eſſe conſtat, quam Dialectici appellant ὅτι ἐστὶ: quæ demonſtratio etſi non æque habet euidentiam ac ea, quæ ex cauſis naſcitur, non minus tamen habet certitudinis. Cum autem noſtram in cauſis ignorationem confitemur, ampliſſimam Deo laudem tribuimus, aduerſus quem ſi infirmitatem mentis noſtræ attendimus, nefas eſt de eo, quod fieri non poteſt, contendere. At illud profecto mirum eſt,

Ariſt. in poſterioribus analyticis.

Satanam (qui ſe quocunque lubet corpore induit) ſæpiſſime ac prope ordinarie ſecundum formam hominis hirci figuram aſſumere, niſi eo fortaſſe nomine, quod hircus fœtidus eſt & ſalax. Videmus enim diabolos in Scriptura ſacra hircos appellari, vt in Eſaiam Chaldæus interpres exponit vocem שעיר, qua ſignificatur hircus. Ait enim Eſaias, ſaltaturos Babylone dracones & hircos, & Satyrum vnum inclamaturum alterum. Zoroaſtes hircorum nomine Dæmonas intelligit, quia putidum & laſciuum eſſe in proprietatibus hirci numeratur: quod Mirandulanus Princeps obſcurè 12. poſitione in Zoroaſtem ſignificauit his verbis: Quid ſit intelligendum per capros apud Zoroaſtem, intelliget qui legerit in libro Bair, quæ ſit affinitas capris cum ſpiritibus. Propria autem Dæmonum eſt in laſciuam brutamq; cupiditatem dominatio, vt Hebræi annotant in lib. פרקי אבת, dicentes Satanam portari à ſerpente, id eſt, (vt Philo Hebræus interpretatur) à voluptate, qua Architas ille ſapientiſſimus aiebat, nullam peſtẽ capitaliorẽ hominibus à natura datam, Catone Cẽſorio teſte apud Tulliũ. Quamobrẽ Dæmonibus figurandis Græci ſalaces Satyros, ſemiuiros atq; ſemihircos depinxerunt: & in libro Leuitici poſtquã mandauit Deus animalia certa à populo ſibi ſacrificari, & ſanguinẽ ad altare fundi, tandem inquit, Neque vnquam in poſterum ſequamini hircos veſtros & Satyros, vt ſacrificetis eis: quẽ in locũ Rabbi Moſes Maymonis ex libris,

Eſa. 13. & 34.

libris, quos de myſteriis & ſacrificiis Chaldæorum Sabæorumque legerat, tradit in more fuiſſe poſitum vt ſacrificaturi diabolis in deſerta concederent, effoſſaque fouea ſanguinem in eam iniicerent, ad eam epularentur, & in honorem malignorum ſpirituum dies feſtos celebrarent. Leuitici quoque 16. cap. Aaroni præcipitur vt ſumptis duobus hircis ſortiatur vnũ pro Deo, pro Zazele alterum, & vt hircus ille qui Zazeli ſorte acciderit ſuper quo Sacerdos peccata populi confitetur in deſertum emittatur, Deo ſacrificetur alter: quem tamen hircum Hebræi nunquam fuiſſe inuentum annotarunt. In Deute. euidentiore legis interpretatione maligni ſpiritus propria ſignificatione vocantur, לשׁרים omnes exponunt dæmonia: itaque fieri potuit vt vox Lacedæmon ex Hebræa voce & Græca componeretur idem ſignificante. Scribit enim Ioſeph. Hebræis iam olim cum Lacedæmon. fœdus interceſſiſſe: etſi poſtremã hanc interpretationem non moror. Quicquid autem de Satyris vulgo prædicetur, quorum frequens eſt in vita eremitarum Antonii & Pauli mentio, non dubium eſt quin maligni fuerint ſpiritus. Non raro etiam figura hominis proceri & nigri Satanas ſeipſum exhibet, vt de eo diximus qui Catharinæ Dareæ viſus eſt, Dioni Platonis amico, Caſſio Parmenſi, Athenodoro philoſopho, Magdalenæ Cruciæ, Ioannæ Haruilleriæ, quæ ſibi annos duodecim natæ confeſſa eſt oſtenſum à matre fuiſſe diabolum forma

Lib. 3. More nebocim.

Deut 32.

hominis proceri & nigri, atrati, ocreis & calcaribus inſtructi, qua ſpecie compellat mometoq; accedit ipſam pro voluntate ipſius: id toto vitæ ſuæ curriculo fuiſſe factitatum. Sed nihil omnino tam incredibile & admirabile, quam hominis in beſtiam & corporis in corpus tranſmutatio. Verumtamen hoc iudicia in Magos conſtituta, & diuinæ atque humanæ populorum omnium hiſtoriæ probant certiſſime. In libro Quæſitorum quinque aduerſus Magos, cuius ſæpe memini, legimus Staſum quēdam Magum in Bernatum agro è medio inimicorum (quos habebat quamplurimos) repente ac multoties effugiſſe, nec aliter quam inter dormiēdum occidi potuiſſe. Hic duos reliquit diſcipulos, Hopponem & Stadlinum, ſummos Germaniæ Magos, qui eo loco dicuntur tempeſtates, fulmina & procellas maximas excitaſſe. Et ne procul ab hoc regno diſcedamus, exſtat quæſtio in Parlamento Dolenſi habita, & ſententia lata die 18. Ianuarii. M. D. LXXIII. contra Ægidium Garnerium Lugdunenſem: quod iudicium nihil hic attinet exſcribere, cum Aureliis apud Eligium Giberium, Pariſiis apud Petrum Hayanum, & Senonibus fuerit typis commēdatum: præcipua ſolum capita, quorum accuſatus & euictus fuit, annotabimus. Et quod Garnerius iſte die Michaelis feſto ad Serranam ſyluam in vineis Chaſtenoyanis (quæ à Dolenſi oppido quadrante milliaris abſunt) puellam decem aut duodecim annos natam ceperat, manibus quæ

lupo-

luporum pedibus conſimiles videbantur dentibuſq; occiderat, femorum & brachiorum carnem deuorauerat,& de ea ad vxorem detulerat, quod item poſt menſem eadem forma alteram puellam ceperat occideratq; voraturus,niſi tres homines (vt ipſe fatebatur) impedimentum attuliſſent: quod etiam poſt dies quindecim puerum decennem in Grediſanorum vineis ſtrangulauerat,carnemq; crurum,tibiarum, & ventris comederat: quod deniq; puerum alium hominis,non lupi ſpecie quaſi tredecim annos natum in vici Peruſani ſaltu occiderat comedendi animo (vt ipſe ſpōte ac non coactus aiebat) niſi fuiſſet impeditus. His ergo de cauſis ad ignem viuus eſt damnatus, effectaque ſententia. Alia quoque habetur cauſa Veſontione cognita à Ioanne Boino Inquiſitore anno ſalutis milleſimo quingenteſimo vigeſimoprimo, Decembri menſe, in Galliam, Italiam, & Germaniam miſſa, quam Vierus Magorum defenſor libro ſexto de Præſtigiis, capite decimotertio exponit copioſe, itaque percurram paucis. Rei Petrus Burgotus & Michael Verdunus ſe Deo renuntiaſſe fidemque dediſſe diabolo cōfeſſi ſunt. Burgotum igitur Michael duxit in vicum caſtelli Carlonii, vbi candelam virentis ceræ obſcura flamma & coloris Veneti habebant ſinguli,ita ſaltabant & ſacrificabant diabolo. Poſtea ſe vnguento oblitos faſſi ſunt lupos fuiſſe factos celeritate ſumma excurrentes: tum verſos in homines ac ſubinde in lupos, eaque ſpecie

lupas

lupas iniuiſſe eadem voluptate, qua cum mulieribus rem habere ſunt ſoliti. Præterea confeſſi ſunt, Burgotus quidem ſe puero ſeptenni lupinis pedibus dentibuſque mortem attuliſſe, voraturum niſi ruſtici abegiſſent: Verdunus vero ſe puellam in horto quodam piſa carpentem occidiſſe, & à domino Cuueæ depulſum eſſe: ab vtriſq; puellas quatuor voratas eſſe certo tempore & loco, quarum ætatem exponebant: ſe puluere quodam tacto necem hominibus importare. D. Bordinum generalem Procuratorem Regis aliud exemplum mihi narrare memini ad ſe è Belgis miſſum cum iudicio toto à Iudice & actuariis obſignato, de lupo ſagitta ad femur transfixo, qui poſtea in hominem verſus decubuit in lecto cum ſagitta, quam auulſam agnouit ille qui fuerat iaculatus, tempore & loco ex confeſſione hominis comprobato. Iobus Fincelius lib. II. de mirabilibus ſcribit Paduæ Lycanthropum fuiſſe deprehenſum, cui lupini pedes reſecti ſunt, & momento manibus pedibuſque truncatus homo exſtitit. Quo exemplo iudicium Magarum Vernonii cõfirmatur, quæ frequenter felium innumerabilium ſpecie in caſtellum peruetus ſolebant conuenire. Ibi cõſtituentes viri quatuor aut quinque pernoctare multitudinem felium ſe inuadentem experti ſunt, quorum vnus occubuit, cæteri læſi ſunt, ſed multis felibus viciſſim læſis quæ poſtea in fœminas verſæ grauia vulnera compertæ ſunt accepiſſe. Sed quia res incredibilis videbatur,

iudi-

iudicia ſiluerunt. Quæſitores autem quinque huiuſmodi cauſarum peritiſſimi de ſcripto tradunt tres Magas ad Argentoratum forma triũ ingentium felium agricolam adortas eſſe, qui defendendo ſe vulnerauit depulitque feles, deinde vero momento mulieres decumbentes fuerunt compertæ & grauiter vulneratæ: qua de re cum interrogatæ eum accuſauiſſent, à quo vulnus acceperant, ille iudicibus horam & locũ indicauit quo feles appetiuerant ipſum eaſque læſerat. Petrus Mamorius in libello de Sortilegis mutationem iſtam hominum in lupos dicit à ſe in Sabaudia viſam. Henricus Colonienſis in libello de Lamiis pro indubitato affirmat. Vlricus item Molitor in libello quem dicauit Sigiſmundo Cæſari, diſputationem conſcribit coram Imperatore factam, & certiſſimis rationibus exemplorumque innumerabilium experientia conſtitutum fuiſſe docet transmutationem iſtam veram eſſe: & ipſe Lycanthropum à ſe fuiſſe viſum narrat Conſtantiæ, qui accuſatus, euictus, damnatus, & à confeſſione morti fuit traditus. Multis quoque libris in Germania editis oſtenditur vnum ex potentiſſimis Chriſtianorum Regibus, qui nuper vita defunctus eſt, in lupum ſæpe fuiſſe verſum, vt Magorum omnium facile princeps habebatur. Verumtamen hæc peſtis Græciam Aſiamque amplius peruaſit quam Occidentis populos, vt aiunt mercatores noſtri eos illic cippo & carcere contineri qui in lupos conuertuntur. Itaque

In malleo maleſic.

anno

anno M. D. XLII. Sultane Solymanno imperium obtinente, tanta fuit luporum vis Conſtantinopoli, vt armatus Imperator cum prætoriano milite procedens ad centum quinquaginta ſimul compulerit, qui vniuerſo populo proſpectante ex vrbe diſparuerunt. Hanc hiſtoriã narrat Iobus Fincelius libro 2. de mirabilibus, atque in hanc rem populi omnes conſentiunt. Hos lupos Germani dicunt *vvervvolff*, Galli *loups garou*, Picardi *loups vvarous*, ac ſi lupos varios dixeris (g enim in locum vv ſufficiunt Galli) Græci *λυκανθρώπους* & *μορμολυκίας*, Latini varios & verſipelles, vt Plinius agens de hac tranſmutatione annotauit. Franciſcus Phœbus Fecenſis Comes in libro de venatione voce *garous* ait ſignifiri *gardez vous*, cauete vobis, cuius rei me Fauchetus Præſes admonuit. Hoc mihi quidem eſt veriſimile: nam alii naturales lupi pecudes perſequuntur, hi plerumque homines: itaque merito dici poteſt, *gardez vous*. Pomponatius & Theophraſtus Paracelſus principes ſua ætate philoſophi certiſſimam eſſe confirmant hominum in lupos tranſmutationem. Gaſpar Peucerus homo doctus gener Philippi Melanchthonis ſcribit has ſibi ſemper viſas fuiſſe fabulas, ſed coactũ fuiſſe credere ex quo iſtud ſibi mercatores plurimi fide digni negotiantes in Liuonia confirmarunt, multos etiam fuiſſe accuſatos, euictos, & à confeſſione adiudicatos morti: itaque deſcribit modum qui in Liuonia obſeruatur, nempe quotannis ſub finem Decembris nebu-

nebulonem eſſe, qui Magos omnes citat vt loco indicto compareãt: ſi defuerint, eos à diabolo ictibus ferreæ virgæ cogi adeo vt vibices exſtent: præire ducẽ, myriadas ſequi tranantes fluuium: eo traiecto mutari in lupos, in homines & in pecora inuolare, & innumerabilia damna importare: poſt dies duodecim eodẽ fluuio remeare, & humanam formam recipere. Languetũ Burgundum vidi ſæpenumero virum doctiſſimum agentem in rebus Ducis Saxoniæ, dum pro Domino ſuo cum Rege Galliæ ageret: hic ergo ſimilem hiſtoriã narrauit mihi, & ſe in Liuonia agentem dixit cognouiſſe, id toti populo haberi exploratiſſimum. Habeo apud me Germani cuiuſdã literas qui ſtipendiarius fuit Henrici II. Regis ſcriptas ad Conneſtabilem Galliæ, quibus certiorẽ facit Cõneſtabilem de Liuonia à Moſcho capta: deinde ſubiicit, In illis locis Herodotus Neurios collocare videtur, apud quos dicit homines conuerti in lupos, quod eſt adhuc vſitatiſſimũ in Liuonia. Multa autem dicta ab Herodoto, quæ incredibilia olim videbãtur, poſteritas comprobauit. Idem enim autor eſt extitiſſe Magos qui certis inciſionibus tempeſtatẽ illam ſedauerunt, qua iamq; naues Xerxis amplius quadringẽtæ fuerant ſubmerſæ: & apud Olaum magnum lib.3.ca.18. legimus Lappos Magos ſecundos ventos & procelloſos vẽdere ſolutis quibuſdam funibus, quod ab experientia frequentiſſima omnes nautæ ſciunt. In hiſtoria quoq; Ioannis Tritemii legimus anno

Dcccc. lxx. Iudæum quemdam Baianum nomine Simeonis filium in lupum ſe cum placuit transformauiſſe, & oculorum aciem effugiſſe factum ἀόρατον. Mirum quidem iſtud, ſed hoc meo iudicio eſt admirabilius complures non poſſe credere, cum populi omnes terræ & tota antiquitas id vno ore agnouerint. Neque enim ſolum ante annos bis mille ducentos id ſcripſit Herodotus, & ante hunc Homerus 40. annis, ſed etiam Pomponius Mela, Solinus, Strabo, Dionyſius Afer, M. Varro, Virgilius, Ouidius, & ſexcenti alii: atque in hanc ſententiam Virgilius:

--has herbas atque hac ponto lecta venena
Ipſe dedit Maris, naſcuntur plurima ponto.
His ego ſæpe lupum fieri, & ſe condere ſyluis Marin.

Lib. 8. ca. 22. Miratus autem Plinius de hac re autores conſentire: Homines, inquit, in lupos verti rurſumque reſtitui ſibi falſum exiſtimare debemus, aut credere omnia quæ fabuloſa ſeculis comperimus. Hoc ille non audet confirmare, metuens vt ſibi habeatur fides: nam inter principes Græcos autores adducit Euanthem ipſum, qui ait in Arcadia ex gente Antęi vnum tranare quoddam regionis ſtagnum transfigurarique in lupum, deinde poſt aliquot annos reuerti ad idem ſtagnum, & cum tranauerit effigiem humanam recipere. Ante notauimus perdendæ iuſtæ familiæ toti Magam vnam ſufficere: & Agriopas qui Olympionicas ſcripſit narrat Demænetum Parrhaſium deguſtatis pueri Ioui Lycęo immolati

lati extis in lupum fuiſſe conuerſum: quod M. Varro omnium Græcorum Latinorumq;, Tullio teſte, doctiſſimus adducit & pro indubitato confirmat. Olaus magnus de gentibus Pilapiæ, Narboniæ, Fincladiæ, Angermaniæque loquens (ſunt autem hæ gentes Ethnicæ adhuc, & malignorum ſpirituum Magorumque plenæ) in hiſtoria narrat homines vulgo in beſtias ab eis commutari: & qui infinita exempla, quæ breuitatis ergo omittim', deſiderauerit, is Olaũ, Saxonem Grammaticum, Fincelium, & Guilhelmum Brabantinum poteſt conſulere. Taceo Metamorphoſin Ouidii; quia res veras confudit cum fabuloſis multis: ſed quod de Lycaone Rege Arcadiæ ſcribit in lupum verſo non eſt incredibile:

Territus ipſe fugit, nactusq; ſilentia ruris
Exululat, fruſtraq; loqui conatur.

cum Rex quidam memoria noſtra extiterit transfiguratus in hanc formam, & id vbique ſit adhuc vſitatum. Neq; fabuloſum eſt quod Homerus narrat de Circe malefica, Vlyſſis comites ab ea in porcos fuiſſe transformatos: cum Auguſt. ipſe in libris de ciuitate Dei hiſtoriam eandem adducat (quamuis opinione ipſius miram) Lib. 18. c. 17. & 18. & illam de Arcadibus in Alpibus quoque memoria ſuâ freques fuiſſe dicat vt ſtabulariæ mulieres imbutæ malis artibus in caſeo darent viatoribus, vnde in iumenta illico verterentur, vt neceſſaria quæque portarent, poſtque perfuncta opera iterum ad ſe redirent. Huic per-

ſimilem hiſtoriam legimus apud Guilhelmum Tyri archiepiſcopum,quam eamdem Sprangerus Inquiſitor narrat, iuuenem Anglum militem in Cypro fuiſſe à ſaga transformatum in aſinum, qui cum in nauem ad ſocios volens remeare fuſtibus abactus eſſet,ad Magam rediit: itaq; illam eo vſam eſſe, donec aſinus in Eccleſia viſus eſt in genua procidere, eaque facere quæ ab animante bruta nequeunt proficiſci: tum Magam quæ agebat ipſum ex ſuſpicione ad iudices raptam cum triennio elapſo reſtituiſſe, & morte affectam eſſe.Idem de Ammonio Philoſopho Peripatetico legimus, aſinum ordinarie lectioni eius interfuiſſe. Nihil in Ægypto magis frequentari tradunt mercatores noſtri: & ipſe Belonius in ſuis obſeruationibus Lutetiæ excuſis hiſtrionem ait in ſuburbio Cayri oppidi in Ægypto à ſe fuiſſe viſum, qui cum aſino ſuo ſermones conſerebat & confabulabatur quam familiariſſime: aſinum vero ſignis, geſtibus, & voce indicauiſſe,optime accipi à ſe quicquid dicebatur:Si herus iuberet aſinũ pulcherrimam de cœtu fœminam deligere:contemplatum eum in omnes partes ad vnam tandem ſolitum, cui gratularetur, certo iudicio accedere: ſi herus ediceret hordeum aſino afferri, tum eum aliter quam ſoleant aſini exultaſſe, & alia id genus innumera. Quibus copioſe enarratis ſubdit Belonius, Amplius etiam dicturus eſſem, ſed metuo vt eis haberetur fides:quemadmodum nec ego crediđiſſem, niſi meis oculis

ſpectan-

ſpectante vniuerſo Cayri populo percepiſſem. Huic adſtipulatur quod ſcribit Vincentius, duas in Germania hoſpitas fuiſſe ſagas quæ hoſpites ſolebant in beſtias interdum vertere: cum itaque hiſtrionicum adoleſcentem in aſinum conuertiſſent, qui (vt erat orationis compos) voluptates miſie viatoribus exhibebat, hūc magno fuiſſe à vicino emptum: illas tamen dixiſſe ſe non eſſe præſtituras, nam eum ſi flumen accederet amiſſum iri: aſinum itaq; die quodam elapſum in lacum proximum abiiſſe, & ſimul ac fuiſſet immerſus formam recepiſſe. Id Petrus Damianus vir ſua ętate inter primos numerandus cum rem ſciſcitatus eſſet diligentiſſime ex hero, ex aſino, ex mulieribus Sagis confeſſis factum, & ex iis qui aſinum elapſum ac reſtitutum viderāt, Leoni VII. Papę narrauit, & poſtquā diu in vtramq; partem coram Papa fuit diſputatū, hoc tandem poſſe fieri fuit conſtitutum. Atque hoc quidem pacto cōfirmari poſſet illud, quod apud Lucianum & Apuleium atheos homines in aſinum verſos legimus, qui hoc ſibi aiunt à Lariſſæis mulieribus Sagis accidiſſe, quas ideo inuiſerant vt cognoſcerent an iſtud ex veritate eſſet. Fuit autē vterq; & ἀθεότητος & artis magicę accuſatus: quamobrem Apuleius omnes machinas admouet in Apologia, vt iſtam ſortilegii & veneficii accuſationē diluat. Verum vbi de hac ſua transformatione loquitur, obſeruandum illud eſt quod ait, Minus hercule calles prauiſſimis opinionibus ea putari mendacia, quæ vel

In ſpeculo li. 3 cap. 109. & Fulg. lib. 8. ca. 11.

auditu noua, vel viſu rudia, vel certe ſupra captum cogitationis ardua videntur: quæ ſi paulo accuratius exploraris, non modo compertu euidentia, verum etiam factu facilia ſenties. Et paulo poſt, Prius deierabo Solem iſtum videntem Deum me vera & comperta memorare, ne vos vlterius dubitetis, &c. Potuit quidem ille narrationem ſuam facetis hiſtoriis locupletauiſſe: ſed hiſtoria nihil amplius habet admirabilitatis quam illæ habent, quas ſupra attigimus. Nam ipſam Apuleii transformationem Auguſtinus lib. 18. de ciuitate Dei, c. 18. neque negare audet, neque affirmare: putat quidem & iudicat faſcinationem eſſe: alii vero contendunt iſtud & vera & naturali ratione poſſe contingere, & mutatione puellarum fœminarum in maſculos comprobari, de qua legimus apud Hippocratem libro Epidemion, capit. 8. Plinium libro 7. capit. 4. Gellium libro 9. capit. 4. & Amatum Luſitanum centuria 2. curatione 39. Huius rei exempla octo meis commentariis in Oppianum poetam Græcum de venatione annotaui: ſed omnes mutationes ſunt fœminarum in mares, pudendis videlicet quæ prius in ventris ſinu latuerant tunc primum erumpentibus. At Lycanthropiæ cum hac nulla intercedit ſimilitudo, neque naturalem habet cauſam, ſed ſupra naturam omnia. Illud tamen certum eſt hiſtoria ſacra Nabuchodonozoris regis confirmari, quem ait propheta Daniel fuiſſe mutatum in bouem, & ſeptennio fænum & gramen duntaxat

xat comediſſe. Hoc fieri poſſe confirmant Arabes: etſi Pythagorea μετεμψύχωσις multo plus à iudiciis noſtris videtur abhorrere, quam Platonici omnes, Chaldæi, Perſæ & Ægyptii defenderunt. Complures autem Medici rem adeo mirificam, at non cauſam animaduertentes, ne quid neſcire viderentur, ſermone & ſcriptis tradiderunt Lycanthropiam morbum hominum ægrotorum dici cogitantium ſe lupos eſſe atque in ſyluis oberrantium, qua in ſententia eſt Paulus Ægineta: verum permultis rationibus & teſtibus fuerit opus ad ementiendos populos omnes terræ, omnes hiſtorias, adeoque hiſtoriam ſacram, cum Theophraſt. Paracelſus, Pomponatius, & Fernelius ipſe Medicorum ſuæ ætatis non vltimi, & alii multis ſeculis Lycanthropiam certiſſimam eſſe, veram, & indubitatã duxerint. Fernel. lib. de abditis rerũ cauſis. Præterea illud ridiculum eſt quod res naturales æquantur iis quæ naturam ſuperant, & actiones animantium actionibus ſpirituum dæmonumque comparantur. Abſurdius vero illud hic cauſari morbum: malum enim Lycanthropo ineſſet ſoli, non eos afficeret qui hominem in beſtiam verti deinde reſtitui vidẽt. Maleficam Circen ait Chryſoſtomus ſic brutis voluptatibus comites Vlyſſis ineſcaſſe vt ſi fuiſſent porci: quibus verbis videtur innuere non mutatum corpus, ſed rationem ſolum abiectam fuiſſe brutamque factam. Quicunque tamen veteres & noui autores de Lycãthropia ſcripſerunt, vno ore confirmant mutari humanã for-

mam ſpiritu& ra tione integra permanente:
quod Homerus in Odyſſea optime;

Οἱ δὲ συῶν μὲν ἔχον κεφαλὰς, φωνήν τε, δέμας τε,
Καὶ τρίχας. αὐτὰρ ὁ νοῦς ἦν ἔμπεδος ὡς τὸ πάρος περ.

Hi vero ſuum quidem habebant capita, vocemque, & pilos; ſed mens erat integra vt antea. Et diſertis verbis exprimit Boetius, voce & corpore perditis ſola mens ſtabilis, quæ ſemper monſtra quæ gemit patitur. Itaque Lycanthropia neque aduerſatur canoni Epiſcopi, 26. q. neque Theologorum ſententię, quorum plerique docent omnia à Deo creata eſſe, adeo vt ne maligni quidem ſpiritus formam corũ mutari poſſint, cum non eſſentialis forma hominis, id eſt ratio, ſed figura ſolum permutetur. Quod ſi facultatem hominibus eſſe fatebimur efficiendi vt roſas proferat ceraſus, & braſſica poma, ſi ferrum vertendi in chalybem, argentum in aurum, ſi mille artificioſas lapidum formas cum naturalibus gemmis venuſtate cõcertantium faciẽdi: an illud mirum videbitur quod Satanas (cui permagnam vim in hunc elementarem mundum conceſſit Deus) figuram vnius corporis alterius figura commutat? Hæc omnia à Thoma Aquinate in ſecundum librum ſententiarum confirmantur, cum ait, Omnes Angeli boni & mali ex virtute naturali habent poteſtatem tranſmutandi corpora noſtra: atque huc pertinet Eſaiæ locus, Babylonem euerſum iri, & ſtriges ibi ſaltaturas, lemures, dæmonas, & quos appellat שְׂעִירִים, quos vulgata Biblio-

Diſtinct. 7. art. 5.

Eſaiæ 34.

rum

rum interpretatio apud Plantinum Antuerpiæ excuſa Gallice ſemiuiros & ſemiaſinos vertit: hoc autem non fuiſſet interpres dicturus, ſi de morbo ſolum aut illuſione accipi oporteret: nā hos ſermonis vſu omnino carere cōſtat omnium teſtimoniis. Veruntamen fieri etiam interdum poteſt, vt Magus illuſione diaboli faciat, vt homo alius quam ſit eſſe videatur: vt in S. Clementis hiſtoria legimus per Simonem magum effectum eſſe, vt Fauſtinianum amicorū nullus agnoſceret: item Neroni Imperatori dixiſſe vt ſibi ceruices iuberet abſcindi, ſe enim tertio die reſurrecturum eſſe, quod cum Nero (vt videbatur) feciſſet, eum die tertio reuertiſſe, Neronem vero miratum eī ſtatuam Romæ poſuiſſe cū hac inſcriptione, *Simoni mago Deo:* Neronem ex eo tempore in artes magicas incubuiſſe totum. Simon autem Neronis oculos & totius cœtus ſic faſcinauerat vt arietē Simonis loco decollarent. Simile eſt quod narrat Apuleius de tribus hominibus quos à ſe putabat occiſos, cum tres hircinas pellas à Pamphila Saga faſcinatus confodiſſet. Sed momentanea eſt iſta faſcinatio: hominis vero in animantem brutam transformatio nonnunquam durat ſeptennium, vt apud Danielem Nabuchodonozoris. Deinde vero actiones & aſininus labor quem tres homines perferre nequeant, magnitudo, inceſſus, cibus gramineus, cardui humano corpori nequeunt conuenire. Nam & Propheta Daniel & quicunque de hac transformatione

 ſcripſe-

ſcripſerunt non alio tradunt vſos fuiſſe cibario: etſi Apuleius ait, ſe cum inuenire potuit, vitam humanis cibis (vt erat integra ratione) toleraſſe. Accedit luporum celeritas, curſus, morſus vncorum dentium ab homine alieni. Quod autem aiunt quidam, humanum corpus à Satana ſoporari phantaſiamque abripi, eoque illius mutationem perſuaderi (quam in ſententiam propterea veniunt, quod ii quorum brutū corpus fuit vulneratum poſtquam reſtituti ſunt (vt ante diximus) ſe vulneratos eſſe humano corpore compererunt) & hoc interdum fieri & illud poteſt: poteſt etiam Satanas eodem momēto vulnus humano corpori inflixiſſe. Neque ſpeciem habet veritatis quod quidam aſſerunt, non eſſe has vires Satanæ à Deo attributas: etenim neque Dei conſilium ab hominibus comprehendi, neq; poteſtas diabolo data cognoſci poteſt, quum in libro Iobi dicatur, non eſſe poteſtatem vllam in terra quæ poſſit ei obſiſtere. Præterea dicuntur Magi Pharaonis eaſdem res feciſſe quas facit Moſes, id eſt, baculos in virgas vertiſſe, & ranas produxiſſe: quod minime fuiſſet dicturus, ſi qua fuiſſet oculorum faſcinatio: nihil enim Moſes per illuſionem fecit, neque Moſis ſerpens baculos fuiſſet digeſtura, ſi Magorum ſerpentes meri fuiſſent baculi. Et quiſquis ſpirituum actiones cum humanis cōparat, is perinde fallitur ac ſi defenderet non poſſe pictores alioſq; artifices politiſſima opera & dignitate cum operibus naturæ concertantia

facere

facere, quia id vituli muliue nequeunt. Deus enim ſingulis rebus à ſe creatis pro ipſarum captu res ſuas admirabiles impertiuit. Si qua autem exponenda eſt ratio, cur homines præcipue in lupos aſinosque vertantur potius quam in formas alias, hæc mihi probatur ratio, quod qui primi in lupos fuere transformati, humanas carnes comedebant in ſacrificio Iouis, quem ideo Lycæum, quaſi lupinum dixeris, appellabant: quemadmodum eum qui Dolæ pœnas dedit in lupum verti ſolitum, & Sabaudos diximus ex confeſſione ipſorum pueris multis cibatos eſſe. Deus itaque iuſto iudicio ſinit eos humanam formam amittere, & lupos ſicut merentur fieri. Nam poſt omnem hominum memoriam famoſi fuerunt Magi & Magę hoc nomine, quod cibis veſcantur huiuſmodi, mortuorum corpora effodiant & abrodant ad oſſa vſque: quod Pauſanias annotauit, dicens à dæmone terreſtri factum, Apuleius ait, feciſſe Sagas. Qui autem aſini fiunt, eo transformantur, quod deteſtabilia Magorum arcana expetiuerint cognoſcere: quemadmodum ii, qui maleficam amarunt Circen, iuſto Dei iudicio fuerant in ſues transformati, & in Liuonio affirmatur, eos, qui Magos & Lycanthropos frequentant, iis tandem conformari. Enimuero quæcunque afferatur cauſa: & diuinis humanisque hiſtoriis, & bonæ Theologorum partis conſenſione, & experientia tot ſeculorum atque populorum & doctiſſimorum hominum iudiciis coguntur

vel pertinaciſſimi veritatem agnoſcere: quam iuſtiſſimæ Theologorum ſententiæ, etſi hoc noſtro argumento à Canoniſtis diſſidentium, ſtatui permittere. Vtut ſit, homines in beſtias verti conſtat forma & ratione integra permanente, ſiue potentia Dei ſola efficiente, ſiue per Satanam effectorem atque adminiſtrum voluntatis eius. Nam ſi veritatem hiſtoriæ ſacræ apud Danielem, (quæ in dubium vocari non poteſt) ſi vxoris Loti in ſaxum immobile verſæ confitemur, certum eſt, æque poſſe hominem in bouem, lapidem, aut animantes alias transformari. Atque hoc Thomæ argumentum agentis de corpore Chriſti ſuper montem & templum exportato, ſi in vno fieri poteſt, poſſe in omnibus: id enim per Satanam geſtum fuiſſe dicitur.

CAPVT VII.

An Magi rem cum dæmonibus habeant.

PRINCIPIO huius operis diximus, Ioannam Haruilleriam Verberii ad Compendienſes natam inter cætera fuiſſe confeſſam, ex decreto Curiæ ſententiam Iudicis Sanliſiani confirmante matrem ipſius viuam fuiſſe adiudicatam igni: ſe vero annos duodecim natam à matre oblatam fuiſſe diabolo ſpecie hominis atri, amictu atro, ocreis & calcaribus inſtructi, gladio accincti, equum nigrum habentis præ foribus, vtente his verbis: Ecce filiam meam quam ſpopondi tibi, ad ipſam vero dicente: Ecce a-

ce amicum tuum, qui beabit te: ex eo tempore Deo & religioni renuntiauiſſe, & illum ſic concubuiſſe ſecum, vt viri cum fœminis ſolent, niſi quod frigidum erat ſemen: id octonis poſtea diebus aut quindenis feciſſe, nec percipiente viro cum ſimul in lecto eſſent: diabolum ſemel ex ipſa quæſiuiſſe, an grauida ex ipſo vellet fieri, ſe autem renuiſſe. Summam quoque interrogationum Potezanis Magis ad Lognium propoſitarum (quæ igne quoque ſublatæ fuerunt) à Domino Adriano Ferreo, generali Regis vicario apud Laodunenſes traditam legimus, ex qua confeſſiones aliquot hic viſum eſt apponere. Margarita Bremontia vxor Noelis Laureti dixit, ſe die Lunæ proximo nocte ineunte cum matre Maria in conuentum, qui apud Franquiſanum piſtrinum prope Lognium in prato habebatur, iuiſſe: matrem inter femora ſcopas habentem dixiſſe, (verba hic placet omittere) & ſtatim vtramque eo exportatam eſſe, vbi inuenerunt Ioannam Robertam, Ioannam Guilleminam, Mariam vxorem Simonis Agni, & Guilielmam cuiuſdam Graſſi vxorem cum ſuis ſcopis ſingulas: eodem ſex diabolos humana ſpecie aduenïſſe, aſpectu horridos, &c. facta ſaltatione diabolos concumbentes rem cum ipſis habuiſſe: eorum vnum, qui ſaltantem duxerat, cepiſſe ipſam, bis oſculatum eſſe, & amplius ſemihoram cum ipſa concubuiſſe, perfrigidumq; ſemen eieciſſe. Ioanna Guillemina huius aſſentitur dictis, ſemihoram fuiſſe

copu-

copulatos faſſa & perfrigidum ſemen ab eo excreatum. Taceo confeſſiones alias huic perſimiles. Legimus item li.16. Ioannis Meyeri, qui hiſtoriam Flandricam ſcripſit accuratiſſime, anno M. CCCC. LIX. ingentem virorum fœminarumque numerum in Atrebatiorum oppido crematum eſſe, qui inter ſe accuſantes fatebantur, ſe noctu ad ſaltationes fuiſſe tranſuectos, & cum diabolis, quos adorabant humana ſpecie, copulatos. Iacobus Sprangerus, & collegæ 4. Magarum quæſitores ſe de innumeris Sagis cognouiſſe ſcribunt, plurimasque Sagas ſupplicio vltimo addixiſſe in Germania, nominatim vero in Conſtantienſi & Ratiſbonenſi agro anno M. CCCC. LXXXV. quæ omnes fatebantur, Diabolos concubuiſſe ſecum, poſtquam Deo & religioni ſuæ, Diabolo autore, renunciaſſent. Amplius ſcribunt, non paucas exſtitiſſe, quæ nec accuſatæ reſipuerint, & à conſortio iſto diſceſſerint, easque idem confeſſas eſſe, nempe diabolos tantiſper dum fuerunt Sagæ, cum ipſis rem habuiſſe. Hanc opinionem confirmans Henricus Colonienſis ait, nihil in Germania tam vulgatum eſſe, adeoque in tota Græcia & Italia notiſſimum. Nam Fauni, Satyri, Syluani, dæmones ſunt & maligni ſpiritus: & illud quod vulgo dicitur σατυρίζειν nihil eſt aliud quam ſcortari. Auguſtinus lib. 15. de Ciuitate Dei iſtam diabolorum cum mulieribus copulationem ſcribit adeo certam eſſe, vt contradicere magnæ ſit impudentiæ.

Hæc

Hæc illius verba. Et quoniam creberrima fama eſt, multiq; ſe eſſe expertos vel ab eis qui experti eſſent & de quorum fide dubitandum non eſt audiſſe confirmant, Syluanos & Innos, quos vulgo Incubos vocant, improbos ſæpe exſtitiſſe mulieribus, & earum appetiſſe & peregiſſe concubitum: & quoſdam dęmones, quos Galli Duſios nuncupant, hanc aſſidue immunditiem & tentare & efficere, plures taleſque aſſeuerant, vt hoc negare impudentiæ eſſe videatur. Gerardus Lilius & Iſidorus lib. 8. rem eandem narrant: ſed omnes in voce Duſios errant, legendum enim Druſios, quaſi ſylueſtres diabolos dixeris, vt Latini Syluanos. Quod igitur Auguſtinus ait, veriſimile eſt, dæmonas illos à maioribus Druſios fuiſſe dictos, vt inter hos & Druidas ſyluarum incolas diſcrimen ponerent. Ad hæc Sprangerus adiicit, perſæpe Sagas in agris & ſyluis ſeſe retegere & clara die coire cum diabolo, & ſępe retectas in agris viſas, interdum etiam hærentes diabolis (quos homines eſſe exiſtimabant) à viris ſuis eſſe deprehenſas, eoſque gladio cædentes nihil effeciſſe. Paulus Grillandus, Iureconſultus Italus (qui de Sagis plurimis cognouit) narrat in lib. de Sortilegiis, ſe anno 1516. Septemb. menſe à S. Pauli ad Rom. Abbate rogatum eſſe, vt de tribus Sagis cognoſceret: easque inter cætera confeſſas eſſe, Magas ſingulas cum diabolo copulari. In hiſtoria S. Bernardi legimus, Sagam exſtitiſſe, quæ marito ſuo nec percipienti accubans ſæpenumero diabolo com-

commiſcebatur. Hæc quæſtio, an iſti coitus fieri poſſint, coram Sigiſmundo Cæſare fuit agitata, & an ex iis aliquid naſci: tandemque fuit conſtitutum contra iudicium Caſſiani, poſſe copulationem iſtam & generationem exiſtere: quod gloſſæ ordinariæ placet & Thomæ Aquinati in 6. cap. Geneſ. dicenti: Quicunque ex iſto coitu procreantur, eos aliter à natura comparatos eſſe, quam qui naturæ lege. Libro quoque primo hiſtoriarum de Occidentali India, cap. 27. legimus, apud Indos pro certo haberi deum ipſorum Cocoto fœminis concumbere: nam illorum dii plane ſunt diaboli. Sed neque hac in re inter Doctores conuenit: ex quibus nonnulli putant, Dæmonas Hyphialtas ſiue Succubos virorum ſemen accipere, & Ephialtas ſiue Incubos eodem in mulieres abuti, vt Aquinas: quod tamen videtur incredibile. Vtcunque res habeat, ſcribit Sprangerus Germanorum, (qui Magos ab omni antiquitate frequentiores quam aliæ gentes experti ſunt) hanc opinionem eſſe, nonnunquam ex iſto coitu naſci liberos, quos appellant Wechſelkind/mutatos liberos, hos aliis longe grauiores eſſe, macros, & qui ne tribus quidem nutricibus exſuctis pingueſcerent: alios eſſe diabolos ſpecie puerorum, qui cum nutricibus Magis congrediuntur, & plerumque in incertum abeunt. De hac autem copulatione Hieronymus, Auguſtinus, Chryſoſtomus & Gregorius Nazianzenus contra Lactantium & Ioſephum aſſerunt, nihil ex ea

pro-

procreari: ſi fiat, diabolum in carne, non homi-nem fore. Qui ſe omnia naturæ arcana rimatos putant, cum nihil plane in Dei myſteriis & ſpirituum intelligentium videant, copulationem cum diabolo eſſe negant, ſed ex oppilatione morbum: qui tamen dormiendo ſolum ex conſenſu Medicorum omnium accidit. At ex earum, quas ante diximus, confeſſione conſtat, ipſas non potuiſſe hoc morbo infeſtari, poſtquam certo die locoque antea indicto ſaltauiſſent. Præterea quam ridicule philoſophantur iſti: nam hic morbus non poteſt homini Mago accidere cum diabolo vt cum fœmina concumbenti, id eſt, non cum Incubo aut Ephialte, ſed cum Hyphialte aut Succubo. Nam apud Sprangerum legimus Germanum hominem robuſtum & Magum fuiſſe Confluentiæ, qui coram vxore & ſociis hac ratione vtebatur: & illos hominem huic actioni incumbentem vidiſſe nulla fœmina comparente. Ioannes Franciſcus Picus Mirandulanus Princeps, Magum Sacerdotem, nomine Benedictum Bernam, octogenarium ſcribit à ſe viſum, qui ſe amplius quadraginta annis dicebat cum Dæmone muliebrem formam habente coiuiſſe, eumque ſibi nemine cernente fuiſſe comitem, quem vocabat Hermionem, fatebatur item, puerulorum multorum ſanguinem à ſe fuiſſe hauſtum, horrendaque ſcelera non pauca commiſſa: ideoq; viuum crematum eſſe. Item vidiſſe alterum Sacerdotem ſeptuagenarium, fatentem ſe iti-

Picus maior in libris de Prænotione.

ſe itidem cum diabolo muliebri ſpecie amplius quinquaginta annis coiuiſſe, & fuiſſe igni traditum. Et (vt recentius aliquid afferamus) anno M. D. XLV. Magdalena Crucia Cordubæ in Hiſpania nata, monaſterii cuiuſdam Abbatiſſa, cum in artis magicæ ſuſpicionem apud religioſas veniſſet, eoque ab igne ſi accuſaretur ſibi metueret, anticipandi conſilium cepit veniamque à Papa impetrandi: Se itaque duodecimo ætatis anno faſſa eſt à maligno ſpiritu, qui Mauri nigri præ ſe ferebat ſpeciem, ad inceſtum ſollicitatam ei conſenſiſſe, & ab eo tempore annis amplius 30. ei concubuiſſe: illius opera ſe, cum in Eccleſia eſſet, in editum fuiſſe ſublatam, & monialibus communionem ſumpturis poſt conſecrationem hoſtiam in aere ad ſe perferri ſolitam cæteris videntibus, à quibus ſancta habebatur, & vidente Sacrifico, qui tum hoſtiam vnam deſiderari animaduertebat, interdum etiam parietem quodammodo fuiſſe diuiſum, vt hoſtia videnda exhiberetur. Huic reſipiſcenti (vt aiebat) Paulus III. Papa veniam dedit. Verumtamen hanc inde ab vtero dicatam Satanæ à parentibus fuiſſe puto: dixit enim, Satanam ſibi cum ſextum annum ætatis ageret apparuiſſe, quæ iuſta ad noſcendum ætas puellarum eſt, & duodecimo ætatis anno, qui puberum annus eſt, ſollicitauiſſe: quod Ioannam Haruilleriam de eadem ætate confeſſam eſſe oſtendimus. Hęc hiſtoria in toto Chriſtiano orbe pugnata eſt. Recentiorem alteram legimus, in Germania mona-

monaſterio, quod vocatur Nazareth, Colonienſis diœceſis, accidiſſe: Monialem adoleſcentulam, Gertrudem nomine, agentem annum decimumquartum, collegiatis ſuis indicauiſſe, vt adueniens Satanas cum ipſa ſingulis noctibus concumberet: cuius rei periculum facere volentes cæteras à ſpiritibus malignis fuiſſe occupatas. Ioannes Wierus, qui hiſtoriam ſcripſit, ait, ſe præſente multiſque claris viris in eo monaſterio Anno M. D. LXV. amatorias literas ad dæmonem ſcriptas in Gertrudis ciſta repertas eſſe. In horto florido Antonii de Turquameda Hiſpani (quem librum non eſſet indignum donari ſermone Gallico) aliam hiſtoriam reperi de Hiſpana fœmina nobili, quæ ſe per vetulam Sagam, cum annum ageret duodevigeſimum, perductam fuiſſe narrabat, & rem ex eo tempore cum dæmone habuiſſe: hæc viua & impœnitens cremata eſt, Cerdenas genere. Alteram idem reſipuiſſe narrat, & in monaſterio fuiſſe collocatam. Adamus Martinus Laodunenſis confeſſus Procurator mihi narrauit, ſe de Saga Biebrę (hic vicus eſt duobus milliaribus Laoduno diſtans) quæſtionem habuiſſe in iuriſdictione D. Boani Veromanduorum Præfecti anno M. D. LVI. quæ cum ad ſtrangulationem primum, deinde ad ignem fuiſſet damnata, viua tamen igni tradita eſt culpa carnificis, ac potius iuſto iudicio Dei: qui ſic demonſtrauit oporte re vt noxiæ par pœna ſit, neq; maleficium, quod ignem magis mereatur, hanc igitur confeſſam

eſſe, Satanam (quem ſocium ſuum appellabat) rem ſecum habere ſolitum, & ſe frigidum ſemen illius perſenſiſſe. Atque haud ſcio, an ille in Lege Dei locus, Maledictus qui dabit Molocho ſemen ſuum, de his poſſit intelligi, itemq; de iis, qui liberos ſuos (quos Hebræi denotant voce זרע) dicant diabolo: quod ſcelus ſupra omnia quæ cogitari poſſunt eſt execrabile, & cuius cauſa Deus furorem ſuum contra Amorrhæos & Cananæos ait exarſiſſe, eosque propter flagitia huiuſmodi de terra deletos eſſe. Illud etiam fieri potuit vt eæ familię, de quibus Plin. lib. 7. cap. 2. in Africa & Illyride verſantes Pſylli & ὀφιογενεῖς, id eſt, ſerpentibus geniti, qui in ſerpentes poteſtatem habent, & oculorum aſpectu faſcinant atq; enecant; ea igitur ſint ex illorum numero, qui à pueritia dicati & inde ab vtero deuoti ſunt Satanæ, aut ſaltem ab ortu: quemadmodum in Theſſalia ex quo malum iſtud per Medeam Circes agnatam fuit importatum, non potuit vnquam eiici. Parentes enim liberos antequam eſſent editi dicabant Satanæ, & in hoc flagitio poſteri tamquam hæreditario pergebant: etiam primogenitos ſolebant offerre Satanæ, vt Ezechiel. cap. 20. ſcriptum eſt: nonnulli etiam inde à matris vtero, vt nobilis Germanus in vxorem exardeſcens cum imprecatus eſſet, vt diabolum pareret, illa peperit monſtrum aſpectu horridum: nam ille Magus inſignis exiſtimabatur. In agro quoque Valeſiorum & Picardiæ genus Sagarum eſt, quod vocant

Coche-

Coche-mares: & Nicolaus Nobletus prædiues agricola in Altofonte Valeſiorum agro mihi dixit, ſe puerum ſæpe de nocte ſenſiſſe Incubos aut Ephialtas eiuſmodi, quos vocant *Coche-mares*, poſtridie vero mane Sagam illam vetulam, abs qua metuebat, poſt eam noctem, qua hoc ſibi contigiſſet, venire ſolitam, vt ignem aut aliquid aliud poſtularet: cæterum ſe quam optima fuiſſe valetudine. Hoc non ille ſolum, ſed complures alii confirmarunt. Conſimilem huic hiſtoriam libro octauo Scoticæ hiſtoriæ legimus; ita fuiſſe quemdam ſingulis noctibus à Saga oppreſſum, vt neque exclamare, neque ſe expedire poſſet, tandem vero precibus & orationibus liberatum eſſe. Innumera quidem alia poſſemus exempla adhibere: verum hæc videntur ſufficere, vt demonſtretur illud, quod diximus, copulationes iſtas neque illuſionibus, neque morbis annumerandas eſſe. Iam vero dicamus, an Magi morbos, ſterilitatem, grandines, tempeſtateſq; immittere, & homines atque pecora enecare poſſint.

CAPVT VIII.

An ſit penes Magos facultas morbos, ſterilitatem, grandines, procellasque immittendi, & homines ac pecora occidendi.

INTER Philoſophos omnes, Theologos & Hiſtoricos conuenit Dæmonas plurimum poſſe, hos plus, illos minus, hos illis mendacio-

res eſſe, alios improbiores aliis: atque (vt vno verbo dicam) hæc opinio apud veteres inualuit, terreſtres & ſubterraneos dæmonas aliis crudeliores, improbiores & mendaciores eſſe: quod Græcus interpres Syneſii libro περὶ ἐνυπνίων inquit, οἱ δὲ Χαλδαῖοι ψευδεῖς φασὶ τοὺς περιγείους δαίμονας, ὡς πόῤῥω θείας ἀπῳκισθέντας γνώσεως. Id eſt: Chaldæi autem mendaces dicunt terreſtres dæmonas, quaſi longe à diuina cognitione deiectos. Nos autem ſupra diximus, ſingulos dęmonas malignos, mendaces, planos, & humani generis inimicos eſſe, ac nihil amplius poſſe, quam Deus ipſis conceſſerit: etſi Magi ſibi omnia videntur poſſe, vt de Erichthone Arcade Saga in Lucano, & de Pamphilia Theſſala in Apuleio legimus. Saga, inquit Apuleius, diuinipotens cœlum deponere, terram ſuſpendere, fontes durare, montes diluere, manes ſublimare, ſydera exſtinguere, tartarum ipſum illuminare. Et paulo poſt de inimicis loquens ipſam cogitantibus lapidibus obruere, Precibus, inquit, & ſepulchralibus deuotionibus in ſcrobem procuratis cunctos in ſuis domibus tanta numinum violentia clauſit, vt toto biduo non clauſtra perfringi, non fores euelli, non denique parietes ipſi potuerint perforari, quoad deierarint ſe non ei manus admoliturος: & ſic illa propitiata totam ciuitatem abſoluit. Atque hoc quidem poſtremum caput vere poteſt fieri, vt Auguſtinus libro de Diuinatione, Accipiunt ſæpe, inquit, poteſtatem morbos immittere, & aerem vitian-

vitiando morbidum reddere: nam penes Deum mille habentur modi hominibus caſtigandis & maximi vltionum theſauri, ait ille, modo per ſeipſum, modo per Angelos ſuos, modo per diabolos, homines, beſtias: tota denique natura ad vlciſcendum iniuriam Deo factam eſt comparata. Verum omnis impietatis fundamentum, quo nituntur Magi, & quo freti, dedunt ſe diabolo, eſt promiſſionum eius exſpectatio, cum diabolus promiſerit, ſe poteſtatem hanc in eos collaturum eſſe, aut demonſtraturum pulueres, verba, characteres, quibus amorem, honorem, diuitias comparare, deliciari & inimicos euertere poſſint, vt ex multarum Sagarum confeſſione compertum fuiſſe oſtendimus. Hæc ille miſeris Deo renuntiantibus promiſſa facit: & quia princeps mendacii autor eſt, puræ deprehenduntur fraudes in omnibus promiſſis eius, præterquam in vltione, idque in homines certos ſolum, & quantum permittit Dominus. Exſtant exempla in Scripturis ſacris innumera, momentiſque ſingulis docet experientia. Itaque Deo inter Angelos (in quibus aderat Satanas velut effector iudiciorum eius) roganti, an quiſquam eſſet integrior Iobo, & qui plus timore Dei ageretur, reſpondit Satanas, immerito foret aliter, cum protegas eum, & velut prææalto muro circummunias ipſum, familiam, pecora, domos, & quicquid ipſius eſt, adeo vt attingi non poſſint: ſed ſi vel tantillum ab eo diſceſſeris, te momento petet blaſphe- Iob. 1. 2. & 3.

 miis.

miis. Tum permiſit Deus calumniatori Satanæ, vt vires ſuas in omnia quæ habebat Iobus præterquam in ipſum exerceret: momentóque Satanas eum euertit rebus omnibus, nec paulatim ſed vno impetu, omnibus primum ſublatis facultatibus (quamuis orientalium eſſet locupletiſſimus) ſingulas ædes deturbans, liberos, familiamque, & pecora perdens, vt eum ſtatim peſſundaret, ſolamque ei vxorem capitalem eius aduerſariam relinquens ad vexandum & ludificandum eum; A quibus omnibus incommodis Iob immotus dixit, nudus veni, reuertar nudus, Deus bona mihi dederat & repetiit, in omnibus laudetur Deus. Hac firma conſtantia conſilioque ſtabili prouocatus Satanas, quod Deum laudaret in tantis calamitatibus, iterum eum coram Deo calumniatur dicens, nihil eſſe quod homo non ſit traditurus ad redemptionem vitæ ſuæ: ſi ergo Deo videretur, vt affligeretur Iob corpore, eum breui nomen Dei blaſphematurum eſſe. Tum permittente Deo vt Satanas poteſtatem ſuam in affligendo Iobo occuparet, modo ne vitam adimeret, ſtatim illius corpus à vertice ad talos Satanas affecit apoſtematis & ſcabie fœtidiſſima: neque tamen propterea, vt maximas fuderit querimonias, blaſphemauit Deum. Quamobrem Deus animo ipſius & integritate cognita, incolumitatem, vires, alacritatem & duplum bonorum reſtituit ei, dedit ſeptem filios & filias tres, & annos CXL. vitam tranquillam & ſuauem largitus eſt. Dignam hiſto-

hiſtoriam conſideratione, vt tota Iobi cum amicis confabulatio & deciſio eius eſt, elegantiſſimam, & inter omnes plane diuinam: ex qua conſtat euidentiſſime, non poſſe Satanam vires ſuas exercere, niſi quantum & quia permittit Deus, cui ſi ſemel habenas permiſerit, mirabilia Satanæ effecta ſpectari. Hic vero nectunt quæſtiones multi, etiamque iudicant, ea quæ cernuntur oculis, non fieri à Satana, Deumque offendi putant, ſi credatur, tantam illius poteſtatem eſſe. Alii contra Dei verbum vocari in dubium affirmant, ac nominatim obſeruandum locum, vbi Deus ait de Satana: Non eſt poten- Iob. 41.
tia ſuper terram, quæ cum ea comparetur. Equidem non minus argumentum laudationum Dei ineſſe ſtatuo in potentia, quam confert Satanæ & factis illius, quam in viribus & facultate Soli, ſtellis, plantis, animalibus, herbis, metallis ab ipſo attributa. Si itaque vir bonus tonitrua, grandines, fulmina, tempeſtateſque maximas, & terræmotus perceperit, hæc non dicet à Satana fieri, licet fortaſſe fuerit adminiſter, ſed à Deo proficiſci, vt canebat Dauid:

Erumpens cœlo Domini vox clara tonantis
Perſonat æthereas humentia culmina nubes:
Vires oſtentat Domini vox clara tonantis,
Spirat magnificum Domini vox clara tonantis,
Perſringit cedros Domini vox clara tonantis,
E Libano effringit Domini vox clara tonantis,
Flammas diffundit Domini vox clara tonantis,
Et deſerta quatit Domini vox clara tonantis.

Omnia dum paſsim Domini de voce fatiſcunt,
Laudibus è templo findunt pia pectora cœlos.

Sic ergo ad omnia opera facturi ſumus, quæ Deus per Angelos bonos vel malos, per aſtra, per alias res naturales, vel per homines effecerit: Benedicens enim Deus gratuita ſua beneficia prolixe largitur & multiplicat per adminiſtros bonos, flagellatque per malos: neque minus neceſſe eſt in ampliſſimi huius mundi adminiſtratione, vt Deus æterna iuſtitia ſua pœnas improbis tribuat, quam bonis pręmia. Cum itaque ait lex: Multi non dubitant magicis artibus elementa turbare, vitam inſontium labefactare, & manibus accitis audent ventilare, vt quiſque ſuos conficiat inimicos: horum omnium poteſtas (etſi diabolorum & ſpirituum aliorum fiunt miniſterio) eſt Deo aſſignanda, credendumque nihil ſiue per dæmonas ſiue per Magos fieri, quia iuſto iudicio fiat permittentis Dei, tum ad eos qui promeriti ſunt caſtigandos, tum ad tentandos & confirmandos bonos. Idcoque agens de vltionibus Dominus, nulla eſt, inquit, afflictio, nulla calamitas, quæ à me non euenerit. Ex omnibus autem actionibus, quas Magi ſibi vindicant, vix inſigniorem vllam inueneris quam fulgura & tempeſtates prouocandi, vt eã lex pro explorata habuit. Itaque in libro Inquiſitorum quinq; dicitur anno M. CCCC. LXXXVIII. in Conſtantienſi diœceſi procellas, grandines, fulmina, & tempeſtates exſtitiſſe, quæ prouentum terræ per milliaria quatuor affli-

l. 4. de malefic. C.

afflixerunt. Ruſticis autem omnibus in Magas inuehentibus comprehenſæ fuerunt duæ, Anna de Mindelem & Agne: quæ primo inficiatæ, cum ad quæſtionem raperentur confeſſæ ſunt ſeorſim ſe vno die in agrum cum paucula aqua proceſſiſſe, & quamuis altera conſilium neſciret alterius, effodiſſe ſcrobem, & ſub meridiem aquam ſcrobi iniectam conturbaſſe adhibitis quibuſdam verbis, quæ ſatius fuerit ignorari, diabolum inuocantes: his geſtis, ſimulac reuertiſſent domum procellam exſtitiſſe: hæ incendio perierunt viuæ. Potuit diabolus tempeſtatem venturam ex naturæ cauſis præuidens eas incitaſſe, vt ſibi reuerentiam & metum conciliaret: Solet enim Satanas peſtem, ſterilitatem, luemue præuidens id Magis perſuadere, ex poteſtate ipſius Magos peſtem, calamitatem, aut famem & accerſere & depellere, & re vera ſæpe fit, ſed non ſemper. Idem autor ait iudicium à ſe in Sagam agri Conſtantienſis latum, quæ cum videret omnes ſui pagi incolas in nuptiis conuiuari & ſaltare, ęgre ferens quod non fuiſſet eo vocata, ſe per diabolum clara luce ſpectantibuſque paſtoribus curauit in collē exportari propinquum pago, & quia aquam non habebat quam in ſcrobem à ſe effoſſam iniiceret, vt cieret tempeſtatem (nam hunc ritum faſſa eſt obſeruari) emiſit lotium, & illud in ſcrobe mouēs ſermones quoſdam pronuntiauit: mox cœlo quod ſudum ſerenumq; fuerat obſcurato, grādo vehementiſſima ſolummodo in pagum & in

ſaltantes irruit, Saga vero in pagum reuerſa eſt: ea itaque viſa tempeſtatem ab ipſa accitam fuiſſe crediderunt omnes, eaque capta Paſtores pro teſtimonio dixerunt ſe vidiſſe cum in aere tranſueheretur: quod illa accuſata euictaque agnouit, & viua igni fuit tradita. Hic autem obſeruandum eſt fruges non fuiſſe tactas, prout in Fornicario legimus Magum quemdam confeſſum eſſe facile ipſis eſſe excire tempeſtatem per ſacrificium vnum diabolo oblatum, quod nihil opus eſt deſcribere: verum hoc adiecíſſe, non poſſe ipſos tempeſtatibus nocere ex ſententia animi ſui, aut fruges vaſtare. Quamquam Sagæ, ac potius Satanas ipſis poſtulantibus & Deo permittente fruges interdum perdit, ſed neque omnes, neque omnium, vt poſt dicturi ſumus. Exſtat enim lex in 12. tabulis: *Qui fruges excantaßit, pœnas dato.* Lex etiam prohibet ne quis fertilitatem alienæ frugis ad ſuam attrahat his verbis: *Ne alienam ſegetem pellexeris incantando*, & alibi: *Ne incantanto, ne agrum defraudanto.* Atque hoc nomine Furnius à Sp. Albino fuit accuſatus, qui cum non abundaret probationibus cur ſuæ fruges tantopere aliis præſtarẽt, ſemper (licet hæc fortaſſe fuerit illuſio) boues, plauſtra, ſeruos in Senatum adduci iuſſit, & cum oſtendiſſet non alia ſibi incantaméta eſſe, teſte Liuio, fuit abſolutus. Hopponem vero & Stadlinum ſummos Germaniæ Magos gloriatos legimus apud Sprangerum, ſe tertiam fructuum ex agro vno in alterum pellecturos:

cum

cum tamen ex omnibus iudiciis ſit compertiſſimum, nunquam quemquam Magum fuiſſe arte ſua locupletatum & auctum obolo, vt poſt demonſtrabimus. Apud Pontanum etiam libro quinto memorabilem hiſtoriam legimus, Gallis Sueſſæ in regno Neapolitano ab Hiſpano obſeſſis, cum ſiccitate æſtuque feruerent omnia, & penuria aquæ dulcis Galli in ſummo diſcrimine eſſent, aliquot Sacerdotes Magos crucifixum nocte per vicos traxiſſe, atque in mare proieciſſe, deinde conſecratam hoſtiam aſino tradidiſſe, eumque viuum ad portam templi inhumaſſe: tum poſt aliquot carmina & deteſtandas blaſphemias (quas nihil attinet cognoſci) imbrem vehementiſſimum diluuioque pene ſimilem accidiſſe, itaque obſidionem ab Hiſpano ſolutam eſſe, & vulgo fuiſſe dictum:

Flectere ſi nequeo ſuperos, Acheronta mouebo.

Hic autem mos trahendi crucifixos & imagines in profluentem ad impetrandum pluuiam, apud Vaſcones etiam obſeruatur: eumque Tholoſæ clara luce facientes vidi puerulos in media totius populi corona, qui iſtud *tiremaſſe* vocat, quaſi trahemaſſam dixeris. Fuit etiam qui omnes imagines in Salini puteum iniecit anno M. D. LVII. deinde abundauit pluuia. Hoc vero ſcelus inſigne eſt iniq; diſſimulatum, ex Magorum regionis illius doctrina profectum, qui miſeram plebem impietatem iſtam docuerunt cantionibus quibuſdam enunciatis, vt Sueſ-

vt Sueſſani ſacerdotes illi in regno Neapolitano fecerant. Pecudes autem plerumque Sagæ pulueribus limini ſubiectis enecát: non quod pulueres illud poſſint (Sagas enim potius quæ geſtant eos enecturi eſſent quam ſupergredientia animalia, maxime cum eos Sagæ ad pedem vnũ ſub humo condant) ſed ſolus Satanas eſt huius rei adminiſter. Audiui trecentas pecudes ratione iſta in quodam ouili Biturigum momento vno exſtinctas eſſe. Nec ſolum in tempeſtates, grandines, fulmina, fruges, & animalia has vires exercet Satanas, ſed etiam in homines, in improbos tamen maxime. Sagas quæ Pictauii anno M. D. LXIV. crematæ ſunt diximus confeſſas in iis cœtibus quo ad diabolum figura hirci adorandum conuenerant, concluſionis loco fuiſſe maxima voce ab hirco pronuntiatum, vlciſcimini vos, aut moriemini: à ſe autem multas pecudes & homines enectos eſſe, cauſantibus non aliam ſeruandæ vitæ ſuæ rationem exſtitiſſe. Proprium enim Satanæ à natura eſt perdere, deſtruere, atque euertere, vt Deus apud Eſaiam loquitur, Feci & formaui Satanam vt euertat, perdat, deſtruat: etſi hoc nunquam niſi ad ſupremam ſuam iuſtitiam exſequendam ſinit. Ex omnibus autem animantibus ſceleratiſſima eſt hominis, ex hominibus pueruli innocentis cædes, & Satanæ acceptiſſima, vt de Sagis obſtetricantibus diximus, quæ liberos oblatos diabolo interimũt antequam ſiſtantur Deo: Sagis enim perſuadet Satanas certam partem (quam nomi-

nari

nari non eſt opus) ineſſe puerulis, qua illæ res mirificas ſe effecturas putant. Vt itaque impudentiſſimam diaboli fraudem oſtendamus, Niderus ſcribit iudicium à ſe de Staldino quodam diœceſis Lauſanenſis fuiſſe conſtitutum, qui fœtus ſeptem à ſe in vtero matrum fuiſſe occiſos fatebatur, & abortum toti pecori familiæ illius factum: rogatum vero de modo reſpondiſſe, beſtiam quandam cuius nomen reticebimus à ſe limini ſubiectam eſſe, qua ſublata deſiuit à tota domo abortio. Liceatne his remediis vti dicemus poſtea: in præſentia ſatis eſt dixiſſe id à beſtia quæ putris inuenta eſt non fuiſſe præſtitum, cum alii pulueres ſolum ſubſternant ſibi à Satana datos. Præterea alii Magi vtuntur bufonibus, venenato quidem animali, ſed cuius puluis vel nudo pede aut manu tactus abortum aut mortem inferre non poteſt: verum has opiniones prauas humanæ menti obtrudit diabolus, vt hominem turpiſſimis ac fœtidiſſimis animãtibus ſeruire cogat. Nam apud Magos bufones perſæpe deprehendi eſt vulgatiſs. quos alunt & ornant coloriis: hos Valeſiorum ager Mirmilotos vocat. In Monſtreleti hiſtoria legimus Compendienſem ſagam cum duobus bufonibus à ſacerdote baptizatis fuiſſe comprehẽſam, quibus ad res magicas vtebatur: quod ridiculum exiſtimarem niſi quotidiana eiuſdem rei exempla exiſterent. Cum dominus Ioannes Martinus vices præfecti Laodunenſis gerens Sagam S.Probæ condemnaſſet, vt viua igni traderetur,

deretur, qui exuebant bufones duos maximos in loculis illius inuenerunt. Dum hanc hiſtoriam ſcriberem, mulier bufonem ad Laodunum dicebatur peperiſſe: quod mirata obſtetrix & quæ ipſi aderant, rem pro teſtimonio dixerunt, fuitq; bufo aliis diſſimilis, quem viderunt multi, delatus in Præfecti ædes. Froiſſardi hiſtoria teſtis eſt Curionem quemdam apud Sueſſionas ad vlciſcendum inimicum à ſaga conſilium petiuiſſe: qua conſulente vt bufonem baptizaret, nomen ei inderet, & conſecratam hoſtiam edendam traderet, id à ſe factum & alia permulta tacenda confeſſus eſt. Quinque Magarum quæſitores narrant inter alia ſe quæſtionem de Maga habuiſſe, quæ fatebatur ſe conſecratam hoſtiam, quã oportuerat deglutiuiſſe, ſudario exceptam in poculo, vbi bufonem alebat, condidiſſe, puluereſque ſibi à diabolo datos adieciſſe vt certis vocibus (quas reticeri præſtat) enuntiatis ad enecandas pecudes limini ouilis ſubſterneret. Deprehenſa itaq; & euicta viua concremata eſt. Arte enim procurat Satanas, non ſolum vt perſtringat oculos hominibus & veri Dei notitiam adimat, ſed etiam vt ex humanis mentibus euellat omnem religionem, omnem conſcientiam, & quicquid à ſingulis Deus verus eſſe creditur, itaque ſibi ipſi conciliet reuerentiam, aut eo ſaltem homines perducat, vt id adorent quod Deum non eſſe nouerunt, creatis rebus confidant, eas reuereantur, & ab eis earumq; etiam turpiſſimis medicinã aut ſalutem

exſpectent. Verum vt amplius conſtet, neque bufones, neque hoſtias, neque pulueres diabolicos mortem animalibus importare, certo certius eſt Sagarum peritiſſimas flando in os nonnunquam enecare, quod in ſuo dialogo Danæus optime obſeruauit: quod autem id veneno fieri quod in ore circumferant idem exiſtimat, probare nequeo. Nam ipſæ primum Sagæ morituræ eſſent, cui argumento non video quid reſponderi poſſit, & ad cauſam cuiuſdam Itali (qui veneficorum princeps ſua ætate fuit habitus) adhiberi poteſt: quamuis enim dicatur ille venena valentiſſima ſubminiſtraſſe multis, qui odorati ea breui occubuerint, non credo tamẽ, quia ipſe odoramentorum artifex occubuiſſet primus, niſi eos diabolus ipſe occidiſſet, de quibus iuſta permiſſione Dei mandatum acceperat opera Magi iſtius (qui veneficus dicebatur) occidendis. Et in Sagarum quoque Valerianarum in Sabaudia iudicio quod proſtat excuſum, legitur iacto in plantas puluere eas repente emori. Quamobrem non poſſum in Ioberti Medici ſententiam deſcendere, ſcribentis quædam venena tam ſubtilia eſſe, vt qui conſcendit equum moriatur ſi eis oblita fuerit ſtapia ſiue ἀναβολεύς. His enim pharmaceutas ipſos primum oporteret mori, & ſtratores ſeruos, etiamque eos qui propius equum acceſſerint. Quinetiam pecudes ſupergreſſas limen, vbi pulueres aut ſerpentes Magi condiderint, videmus mori. Non igitur enecat pharmacum, non oſſa, non pulueres,

ſed

ſed Sagarum precibus Satanas, Deo permittente. Quod ſi ampliore demonſtratione opus eſt, habeo penes me iudicialia acta, à generoſo Domino Pipemontenſi miſſa, de Barba Doræa, quę ex decreto Parlamenti II. Ianuarii M.D.LXXVII. ſententiam Præfecti S. Chriſtophoro ad Sanliſium confirmante fuit adiudicata igni, poſtquã confeſſa eſt ſe tribus hominibus necem intuliſſe coniecto pauculo puluere charta inuoluto in eum locum, quà erant tranſituri, idque cum his verbis: In nomine Dei & diabolorum omnium, &c. quæ hic non placet adſcribere. A veneno qualecunque ſit hoc non poſſe effici nemo neſcit, nedum à ſicco puluere: itaque ſententia damnatoria dicit propter ſortilegia quibus vſa eſt damnatam eſſe. Nam etiam horrendæ fuit blaſphemię Deum in hac imprecatione rebus creatis coaptari: vt eadem quoque adiecit ſi cui vellet à ſortibus præcauere ſe tum dixiſſe: In nomine Patris & Filii & Spiritus ſancti, ne illac tranſiens vllo occuperis malo. Vt autem diſcrimen inter naturales morbos & eos qui à ſortilegiis veniunt teneatur, videntur ſæpe homines ſortibus infeſti ex languore mori, interdum ferramenta, pilos, pannos, vitrum confractum eiicere. Scribit Anglus Palatinorum Principum medicus anno M. D. XXXIX. Vlrichii fuiſſe infeſtum ſortibus agricolam Nenſſeſſerum nomine, à cuius pelle ferreus clauus auulſus eſt, & cuius interanea tantis doloribus erodebantur, vt ſeſe deſperans iugulauerit. Eum in conſpectu

ciuium

ciuium omnium fuiſſe diſſectum, & in corpore eius baculum, cultros chalybeos quatuor, ferramenta duo, capillorumque glomus comperta eſt. Amplius ait Niderus qui de Sagis innumeris quæſtionem habuit, vnam à ſe viſam quæ vnica ſolum voce homines enecaret: alteram, quæ vicinæ mentum ſurſum deorſum vertit, horrendo ſpectaculo. Non eſt itaque mirandum magnopere, ſi Theſſala Saga Pamphila fecit, vt mulieris venter ſic intumeſceret tanquam ſi tergeminos fuiſſet paritura, & octo menſes circumferret onus. Eiuſmodi fuit Martina Saga quæ occidit Germanicum, non veneno (vt ait Tacitus) aut ouo galli gallinacei (quod idem autor eſt ſummo apud Gallos in pretio habitum ob eas virtutes quas de o prædicabant) ſed vi diabolica: & illa in Conſtantienſi diœceſi Maga, quæ efflando totum hominis corpus ita affecit elephantiaſi, ut paulo poſt animam ageret. Hanc Sprangerus & Quæſitores alii cremari curauerunt quam. Idem Sprangerus narrat, ſe autore alteram in finibus Baſileæ & Alſatiæ fuiſſe combuſtam, quæ faſſa eſt ſe conuitium à viro bono agricola obiectum ferentem indigniſſime, rogatam fuiſſe à diabolo quid eo homini fieri vellet, qui dixerat conuitium? cui cum reſpondiſſet cupere ſe vt ſemper facies illius turgeret, non multo poſt agricolam ex inſanabili elephantiaſi laboraſſe. Hæc tamen Iudici confeſſa ſe non putaſſe id effecturum diabolum: quo

argumento vincimus non à puluere, ſed à diabolo hæc omnia effici, qui voluntati hominum ipſo vtentium ita ſe accommodat, vt ſi quis aduerſarium ſuum curet per ſocium tolli. Verumtamen hoc agit Satanas, vt ipſum ad id efficiendum precentur ſerui, vt manum operi admoueant, hominem attingant, de pilo aut vnguibus illius habeant, certosue ſumant pulueres ab ipſo, includendos eſſe homini, aut fornicibus ſubdendos aut compitis. Sin autem pactio cum Satana non interuenerit, fruſtra omnes pulueres, characteres, & Sagarum voces homo adhibuerit, neque virum neq; pecudem afficiet morte. Quamuis autem Deo permittẽte poſſit diabolus morti animalia tradere, vult tamen in Magorum cauſa vt ipſi ſuum conſenſum adiungant manumque ad opus adhibeant. Exempli cauſa, ait Sprangerus quæſtionem à ſe de Saga fuiſſe habitam, quę tres & viginti equos mercatoris Ratiſbonenſis affecit morte: dixit illa foſſam tantummodo à ſe factam eſſe, in eam pulueres à diabolo ſub limẽ ianuæ iniectos eſſe: ſic illa manum admouerat. Similiter qui cereas inimicorum faciunt imagines & defigunt eas, poſtquam ſe ipſi vouentes Satanæ Deo renuntiauerint, & horrenda quæ aſſolent fecerint ſacrificia, itaque ſi Deus ſiuerit inimicos afficiunt morte (etſi hoc non ſæpe accidit, nam vix è centenis binos forte offendas quibus iſta nocuerint, vt ex Magorum confeſſionibus eſt manifeſtum) in eis homicidium eſt à diabolo effe-

ctum,

tum, ab ipſis exoratum. Sic Enguerrandi Magnii iudicium hac potiſſimum cauſa niti legimus, & alterius in Alenconiorum vrbe tempore Franciſci I. regis, cuius factum probatum i iudicio fuit, & copioſe in Nauarrenæ Reginæ heptamero, neque tanquam fabula, ſed elut hiſtoria vera cum forenſibus geſtis omnias exponitur. Anno M. D. LXXIV. generos vir quidam (vt in iudicio eius quemadmoım excuſum eſt legimus) qui Lutetiæ fuit decollatus, imaginem ceream capite & corde anſfixo & characteres alios habere comperſ eſt: quæ fortaſſe non poſtrema cauſa fuerit ır addiceretur morti. Et quod recentius eſt, ptembr. menſe vltimo M. D. LXXVIII. Letus Angliæ & Galli multi per Galliam nunuerunt tres imagines cereas deprehenſas eſſe ſimo cum inſcriptis Reginæ Angliæ & alionominibus quas imagines Curio pagi Iſtinɔnii ad dimidium milliare Londino diſtantis ɔiſſe dicebatur. Sed necdum iudicium fuerat nſtitutum aut probata res, cum nuntius fuit Galliam perlatus. Ex iſtis autem omnibus toricis narrationibus nulla exſtat memoraor quam illa Duffi Regis Scoticæ, quæ in ɔtica hiſtoria legitur. Huic enim morbus itur accidiſſe, quo ita premebatur vt quambelle ederet, biberet, ac corpore conſtituєſſet, tamen nocte ſomnum caperę non ſet, ſed alterius doloris expers areſceret toq; noctem in ſudorẽ ſolutus contabeſceret. Boet. lib. 2.

Tandem vero cum rumor increbreſceret Sagas ad Regem Scotiæ eneccandum à Morauis conductas eſſe (Morauos autem Scotiæ incolas intelligo, olim Scotorum hoſtes, & iamdiu Scotorum regno adunatos) Legati in Morauiam miſſi ſunt in Forenſem vicum, vbi ceream imaginem nomine Regis vocatam Sagæ torrebant & certo liquore perfundebant. Certior de hac re, Douenaldus Præfectus loco à Legatis factus in re præſente deprehendit eas, quæ rem confeſſæ viuæque crematæ ſunt, eodemq; momento Rex Scotiæ reſtitutus valetudini, prout dies fuerat obſeruatus. Sic videtur Meleager paulatim crematus eſſe cum Althea Saga torrem fatalem incendiſſet: hæc enim deliria eſſe viderentur, niſi iam olim iſtæ imagines fuiſſent vſurpatæ. Plato libro 11. de legibus narrationem hanc confirmat de imaginibus cereis quas faciebant Magi. Neque vero magnopere mirari oportet qui potuerint iſta innoteſcere: Magi enim per conuentus ſuos rerum à ſe geſtarum rationes reddunt, vt ante oſtendimus, ac eorum etiam omnium, quæ vbiuis terrarum fiunt, vt Aureliis ex Cleryano Magorum conuentu retectum eſt. Apud Sprangerum quoque legimus Pumberum quemdam Magum Lendemburgi in Germania exſtitiſſe, quem docuerat Satanas Crucifixum ſagittis ante paſchali die Veneris configere, qua ratione adhibitis nefandis quibuſdam verbis iaculans in aerem ternos homines quos vidiſſet cognouiſ-

ſetque

etque poterat quotidie occidere, quamuis in arcem munitiſſimam abditos, modo certum deliberatumque conſilium occidendi eos habuiſſet. Eum vero tandem ruſtici in fruſta laniauerunt ſine iuridica cognitione vlla, poſtquam homicidia plurima perpetraſſet: hæc geſta anno M. cccc. xx. cum adhuc Germani Crucifixum colerent. Etenim æquæ prope impietatis eſt eum quem pro Deo habeas ac Deum ipſum offendere, quia fit in contemptum Dei, qui cor animumque tanquam actionum bonarum malarumque (vt ait Aquinas) fundamentum introſpicit. Omnino conſtat (vt loquamur proprie) Deum offendi non poſſe, & quemadmodum qui cœlum ſputis appetunt, cœlum non conſpuunt, ſed ſeipſos reuertente ſputo inquinant, ita offenſionem quæ Deo putatur afferri in afferentis caput recidere. Illud itaque Magorum genus qui Sagittarii dicebantur non amplius in Germania exſtat, ex quo Sagittarii Crucifixum neque Deum eſſe neque diuinitatis quicquam in ſe habere crediderunt: quod ante religionem mutatam crediderant. Iure porro dubitari poſſit, cur Magi memoria noſtra non poſſint ea πανηγυρήματα factaq; præſtare mirifica, quæ Simon ille Magus, Apollonius Tyanæus, Circe, Medea, & alii inſignes Magi præſtiterunt? Sed duplex mihi quidem videtur eſſe ratio: vna, quam in iudicio quodam Sanliſiano legi, quod iſta geruntur pro ratione pacti cum Satana initi, puta ſi quis ei miniſtra-

re optime horrendaque malefacta velit committere: altera, quod Deus tantas vires in populos ſui cognitione præditos non tribuit Satanæ, quantas in Ethnicos tribuerat. Diximus libro primo de diuinis, naturalibus, humaniſque modis, iiſque licitis ad prænoſcendas & præcipiendas res futuras: Secundo de modis illicitis & Dei lege vetitis egimus. Iam dicamus quibus modis liceat magicas ſortes anteuertere, & mala cum ſunt cognita medicari.

IOANNIS BODINI

DÆMONOMANIÆ MAGORVM

Liber Tertius.

CAPVT I.

De modis licitis ad magicas ſortes præuertendas.

SORTILEGIA nouos morbos non eſſe docent hiſtoriæ, ſed vt hodie multa ſint, olim centuplo frequentiora exſtitiſſe. Etenim in lege Dei, quæ ante ter mille centum quinquaginta annos ferme fuit promulgata, Chaldæam legimus, Ægyptum, Palæſtinam ex eo laborauiſſe: & minorẽ Aſiam, Græciam, Italiamque vixdum parte dimidia habitatas hoc modo abundauiſſe ex hiſtoriis priſcis cognoſcimus. Interdicta cernimus atroceſque pœnas Lege Dei in Magos imperatas, horrendaque ſcelera ex quibus ad exterminandos Cananæos exarſit Dei furor: quod non propter idololatrias cæteraue peccata quæ cum aliis populis tum fuerunt communia, ſed propter ſortilegia abominanda in Lege diſertis verbis fa- Deut. 18.

ctum fuiſſe dicitur. Videmus ante & poſt Troianum bellum (fuit autem quaſi poſt ducentos annos à Dei lege promulgata) crudeliſſima Medeę ſortilegia, Circes Proteique transformationes, & Necromantias Theſſalicas: etiamq; Romulum apud Liuium, Dionyſium Halicarnaſſeum, & Plutarchum legimus procelloſo turbine ſublatum eſſe, & pleroſque alios quos ante annotauimus. Et (quod amplius mireris) quos ſpiritu abripiebant dæmones (vt ante diximus) aut ſpiritu & corpore ſimul, quos diabolus obſidebat, & per quos loquebatur, ii pro diuinis ab imperita plebe habebantur. Videmus & Hippocratẽ libro de morbo ſacro abominari Magos, Platonem inter Ethnicos animaduertimus optimã legem contra Magos ferre libro 11. de legibus, cum Magos, qui carminibus, verbis, ligaturis, cereiſq; imaginibus incãtauerint, faſcinauerint, aut homines pecudesve necauerint, morte iubet affici. Ex eo tempore omnes Philoſophi vno ore damnauerunt Magiam, & cremari libros curauerunt, vt videre eſt in l. cæterę, famil. herciſcundæ, ff. Iamblichus, Porphyrius, Proclus, Academici, aliique Ethnici philoſophi conſentiũt Magos & malignos ſpiritus (vt diximus) fugiendos eſſe: itaq; ſortilegi cum ſortilegiis fuerunt damnati & iudiciis infeſti primum Tyberio imperãte, vt apud Tacitum legitur, poſt Domitiano longe acrius & diligentius quæſtionem de eis habente, tum etiam Diocletiano; ſed omnium ſeueriſſime,
cum

cum Imperatores fidei Chriſti ſeſe adiunxerunt. Tunc euerſa ſunt templa & oracula, ſacrificia gentium totaque aruſpicina illicita pronuntiata & auguralis ſcientia, earumque interdictus vſus, indicta in aruſpices mortis pœna, deportationis in eos, qui augures & aruſpices conſulerent; etſi non tanta apud Chriſtianos cenſebatur augurum improbitas, quanta Magorum, qui malefici dicebantur, & viui tunc temporis ex Lege tradebantur igni; poſtea vero aruſpices ad pœnam iſtam, Magi vero ad beſtias fuerunt damnati. Videmus itaque, non ſolum ex quo Lex Dei & religio Chriſtiana fuerunt datæ, cœpiſſe homines ab eo quod colebatur abhorrere, verum etiam ante promulgatam Legem ſortes magicas & diuinationes horrori fuiſſe gentibus. Vlpianus enim, licet fuerit Ethnicus & infenſiſſimus Chriſtianorum hoſtis, qui libros ſeptem compoſuit de Chriſtianorum ſuppliciis, magicas tamen ſortes omnemque diuinationem, quam illicitam dicunt, exhorruit, vt ipſe declarat, dicens: Si quis Aſtrologus, vel qui aliquam illicitam diuinationem pollicetur conſultus aliquem furem dixiſſet, qui non erat, iniuriarum cum eo agi non poteſt: ſed conſtitutiones eum tenent iam contra diuinos factæ. Et quamuis Saga quædam, nomine Martha, Marii temporibus certiſſimam in hoſtes victoriam iis modis, quos ſe tenere aiebat, pollicetur, eam tamen Senatus (vt in Dione legimus) noluit adhiberi. Perſæ quoque hac peſte inquinatiſſimi

Lib.2. de malefic. C.

L. nemo aruſpicem, eo. C.

L. nemo aruſpex, eod. C.

L. multi, eod. C.

L. item apud Labeo. §. ſi quis aſtrolo. de iniur. ff.

ſuppliciis tandem atrociſſimis vtentes in Magos, capita eorum (vt narrat Plutarchus) inter duos lapides cliſerunt. Sed legis diuinæ promulgatio vires Satanæ plurimum eneruauit: & quicunque populi manſerunt diu infideles, aut adhuc permanent, ii grauiſſime fuerunt infeſtati à ſpiritibus malignis, & adhuc dies noctesque infeſtantur: vt fit in Noruegia, Finlandia, Pilapia & aliis regionibus ad Boream ſitis, & in occidentalibus inſulis, vt in Olai Magni Indorumq; hiſtoria legitur. Inprimis vero in Breſiliæ regione, & conterminis illius, vbi adhuc ſacrificantur homines eduntur que: Mirum eſt, (inquit hiſtoria) quantum ab omni malignorum ſpirituum genere infeſtentur. Germania quoque, antequam Paganiſmum ex ea Carolus Magnus ſuſtuliſſet, circumfluebat Magis, vt ex Salicis legibus, capitibusque de Carolo Magno, & ex Cęſaris Commentariis conſtat. Denique ſi quis diligenter caput XLI. Iobi expenderit & allegorias diſcuſſerit earum proprietatum, quæ de Behemoth & Leuiathane prædicantur, (hæc enim omnes de hoſtibus humani generis, corporis & animi interpretati ſunt) is res multas abditas comperiet ad proprietatem malignorum ſpirituum pertinentes. Primum vires Behemoth dicuntur in lumbis, ventre & cauda poſitæ, ad cupiditatem beſtialemq; partem denotandam, vt priſci Hebræi dixerunt, Satanæ in voluptates brutas poteſtatem eſſe. Deinde dicitur facere, vt Deus ipſum gladio ſuo, id eſt, verbo cæ-

bo cædat: tum in paluſtribus volutari, vitiis puta & impuritate, in qua deliciatur Satanas: præterea montes ipſi ſuppeditare eſcam, quibus in Scriptura Principes arrogantes & ſuperbi homines deſignantur, vt iſtos reuera Satanas plerumq; aucupatur: item ſub opacis arboribus & in ſalictis exultare; opacæ autem arbores in Scriptura hypocritas ſignificant ſola pietatis contentos vmbra, ſalices infrugiferos. Verumtamen dicitur idem viſu obtuſo eſſe, vt oſtendatur, non ineſſe Satanæ oraculis veram prophetiam: quamobrem Propheta Baleham populo Dei benedicens inquit: Beatum populum cui non ſunt Magi & incantatores, ſed cui Deus cum opus eſt res abditas viſionibus reuelat certiſſime. Poſtremo beſtia hæc dicitur facile naſo infibulari poſſe, vt diſcamus, nihil à Satana eſſe metuendum. De Leuiathane vero, qui non contentus corporibus animas aggreditur: An cum eo paciſceris, inquit Dominus, vt ſemper taris eo? quod quidem ad eos ſpectat, qui familiares ſpiritus ſibi mancipatos putant. Quod item dicitur, Principes ſuperbos & elatos homines Satanas appetere, iam olim exploratum t, & videmus memoria noſtra eos Principes, ui Deum deſerunt, ſe Magorum opera manpandos miſere & rapiendos Satanæ exponere, ac multos quidem extare, quos veterator il- decceperit, ſciens, quales Principes tales cis. Si enim Magiam Princeps coluerit, primum deliciæ Principis aulici, deinde vero popula-

pulares eodem, ac proinde in omnem impietatem pertrahuntur. Neronem quinque annos Principem bonum fuiſſe ait Sueton. itaque dicebat Troian. procul diſtare omnes Principes à Neronis quinquennio: ſed ex quo ſe rebus magicis addixit, idem autor eſt, famoſiorem Magum neminem exſtitiſſe, turpiſſimam fuiſſe illius vitam, & miſeriorem finem, quam vllius ea tempeſtate Principis. Nam Plinius res magicas permultas narrans & vires, quæ de illis prædicantur, ait: Quæ omnia ætate noſtra Princeps Nero vana falſaque comperit; primum imperare diis concupiuit. Nemo vnquam vlli artium validius fauit. Deinde, Immenſum & indubitatum eſt exemplum falſæ artis, quam dereliquit Nero: & paulo poſt, Nam homines immolare etiam gratiſſimum illi fuit, de Magia & ſortilegio loquens. At nunquam Satanas ſuos abire ſine merita mercede ſinit, nec deſinit eos in omnem ſæuitiam, inceſtas libidines & parricidia impellere, vt in Nerone fecit. Hunc enim Magi & diaboli docebant multas cædes, atrocia facinora & parricidia committere, vt ſecurior in ſua dignitate viueret: vt hodie quoque Principibus autores ſunt Magi, vt cædes & crudelitatem curent, & improbitati cuiuis dent veniam. Verumtamen à Principibus ipſorum conſultoribus plerumque caſtigantur Magi, ſiue metuentibus vt plus effutiant, ſiue explorantibus, an veræ ſint eorum diuinationes. Sic Domitianus cum Aſcletarionem Magum, qui Imperatorem

torem breui occiſum iri prædixerat, ſciſcitatus eſſet, qui ipſum Aſcletarionem maneret exitus, & is affirmauiſſet, fore, vt breui laceraretur à canibus, Imperator eum interfici ſine mora iuſſit, & poſt funus diſcerpſerunt eum canes repentino caſu, quo Domitianus fuit commotus vehementiſſime. Prudentior ille Tyberii, quem Tyberius in altum lubricumque præcipitium ducens rogauit, an tempus quo ipſi moriendum erat cognoſceret; ille reſpõdit, ſe in maiore quam vnquam antea verſari diſcrimine: hunc enim, teſte Suetonio, ſi ſecus reſpondiſſet, Tyberius inſtituerat dare præcipitem. Vtcunque ſe res habeat, diem mortis ſuæ & genus à Magis ſæpe videmus fuiſſe prædictum atque confirmatum. Extant huius rei exempla innumera: ſed nullum aut recentius noui aut propinquius quam Nouiodunenſis Magi, cui intercceſſerat cum Nouiodunenſi Epiſcopo ex Hangeſtana domo familiaritas: hic quo die fore prædixerat Satanas vt occideretur, ſe in donum recepit Epiſcopi, indicans ei fore vt eodem die occidatur: cum autem prandiſſet ad menſam Epiſcopi, aliquis tandem ſuperuenit um conuentum cupiens: iubetur ille aſcendere, aſcendit, & colloquendo inter duas ianuas ccidit Magum. Hanc hiſtoriam accepi à D. Ludouico Caſtellano Legato Nouiodunenſi, & multi alii confirmarunt. Quamobrem vt ma- . hæc vitari poſſint, legem Dei ſæpe oportet prædicari, metum eius ſummis, mediis, infimis

incul-

inculcari, & ante omnia fidem in eum imprimi: nam ſi Dei maximi, terribilis, & omnipotentis nomen bona fide ab homine timente Dei pronunciatum, Diabolorum & Magorum propellit turbas, (vt ſæpenumero vſuueniſſe ante demonſtrauimus) quanto magis eum ſpes erit procul fugiturum, ſi prædicari, legi, promulgari, & ſermonem haberi de laudibus operibuſq; Dei audiuerit? Hic ergo maximus, hic pulcherrimus, hic facillimus omnino modus eiiciendi è Republica Magos, artes magicas, maleficia, & malignos ſpiritus: tantiſper enim dum hic blaſphemia, illic ἀθεότης obtinet, nulla plane ſpes oſtenditur malignos ſpiritus, Magos, peſtem, bella, famemque depellendi. Non quo Magi omnino poſſint eiici, quin ſubſidant ſemper ex iis quidam, vt bufones & angues in terra, in ædibus aranei, erucæ & muſcæ in aere, quæ corruptione generatæ venenum è terra & ex aere corruptionem attrahunt: ſed bene culta terra, purgatus aer, putatæ arbores non ita his malis infeſtæ ſunt, quæ ſi multiplicari ſiueris, non attrahunt ſed gignunt corruptionem, & inficiunt omnia. Sic beatus eſt populus, cui ſapientes moderatores, boni magiſtratus, & boni paſtores præſunt, qui bene inſtituunt ipſum: non ſunt in eo populo maligni ſpiritus diu habituri ſedem. Verum optime cauendum eſt, qui illuſionem eſſe prædicant, quicquid de Magis fertur, vt doctor ille Magus prædicabat, quem ante perſtrinximus, prout ſe à diabolo in hoc argumen-

gumen-

umento informatum fuiſſe confeſſus eſt. Quemadmodum autem peſtilentiam, bella, faiem, malignorum ſpirituum miniſterio (vt qui xecutores ſunt iuſtitiæ eius) immittit Deus: ſic iam Magorum opera vtitur, maxime vero im Dei nomen blaſphematur, vt hodie ſumia impunitate licentiaque blaſphematur paſm, & impia blaſphemandi ars ex profeſſo ab iis quoque puerulis exercetur. Atqui ſcelera nnia, parricidia, inceſtus, veneficia, cædes, adteria, neque tam magna ſunt, neque tantis dia ſuppliciis ex conſtante Theologorum onium conſenſu, ac ſunt blaſphemiæ. Cætera im maleficia in homines primo committunr, vt ait Samuel, blaſphemiæ vero honori Dei recte aduerſantur & pertinent ad contemum eius: qua loquendi formula blaſphemi feabutuntur. Cum autem iſta impietas regnan Carolo Nono obtinuiſſet vt cum maxime, ex Henricus III. aduenicns ſanctiſſimum etum contra blaſphemos promulgauit: ſed glecta illius executio eſt in maximam Dei ntumeliam, & continuata blaſphemis impuas, quorum pleriſque non videtur ſatis audiſſime Deum abnegaſſe, niſi ſe optimo ani facere adiecerint: nonnulli etiam inter blaſemandum Poetarum numeros aucupantur, Campanus ille Trecẽſis, cui nomen fuit Burio. Hic die Veneris antepaſchali anno 1569. ſphemans fuit comprehenſus, ſententiaq; in ata, vt labium eius candẽte ferro finderetur, hono-

honorariam pœnitentiam profiteretur,& mulctam 500.librarum ſolueret, prouocauit ad curiam, & è vinculis euaſit: verum iterum poſt dies 7. captus & in vincula retractus eſt. Placuit Curiæ prius iudicium improbare & in hanc formam corrigere, vt induſiatus honorariam profiteretur pœnitentiam, lingua candente ferro perfoderetur,& laqueo finiret vitam. Ex eo tempore ne in decies quidem centenis millibus ſupplicium vnus perpeſſus eſt: etſi lex Dei

Leuit.24.

præcipit, vt quiſquis contumelioſe Deum nominauerit,lapidibus obruatur,crudeliſſimo (ait Moſes Maymonis) mortis genere. Hanc impietatem placuit attingere,vt quæ in hoc regno graſſatur latiſſime,& impunita permanet.In rebus omnibus gerendis olim maiores dixerunt, ſi Deo placet, confectis dixerunt, laudetur Deus: ſaluere aut valere iubentes, Seruet te Deus, pro eo quod χαῖρε dixerunt Græci, id eſt, lætare, Hebræi vero שלםלך, pax tibi, quod ſalutationis genus apud Aſiaticos & Afros obtinet, qui Turcico & Arabico ſermone ex Hebræo corruptione ducto pronunciant *Schalamalec*.Itali & Hiſpani oſculantur manus:ſed omnium optima iudicio meo, & maximi momenti eſt conſuetudo noſtra, prout tribus aut quatuor exemplis demonſtrauimus eos,qui imprudentes in ſabbatha ab vxoribus perducti dixerunt, Deus mi, quid hoc rei eſt? vniuerſum malignorum ſpirituum Magorumque cœtum abegiſſe. Ante omnes autem nequiſſima eſt blaſ-

Lib.3. More nebocim.

phe-

phemia, cum Deus inuocatur ad ſortilegium: quod nunquam Magi faciunt, niſi aut rebus creatis adiungentes eum, aut ad ſcelus implorantes, aut Poetas imitati, qui in rebus turpibus pro interiectione pathetica Dei nomine abutuntur blaſphemia in Dei nomen contumelioſiſſima. Atque hic vniuerſe modus eſt præuertendis ſortilegiis: ſigillatim vero cuiuſq; munus eſt, vt familiam doceat orare Deum mane & veſperi, ante cibum benedicere, à cibo gratias agere, & horam vnam aut alteram in legenda Scriptura ſacra die certo hebdomadis præſente familia tota conſumere. Priſcus erat Regum noſtrorum mos, quem S. Ludouicus à puero optime obſeruauit, vt Rex è lecto ſurgens in genua procideret veniam peccatorum poſtulans, Deo gratias agens de nocturna ſui cuſtodia, & orans, vt porro in ſancta hac cuſtodia pergat: hoc facto, ex Bibliis, dum ſe veſtiebat Rex, legebatur. Hæc ſi ineatur ratio, maximum certe generatim Reipub. & ſigillatim familiæ cuiq; momentum eſt allatura. Semper enim populus ſequitur affectionem Principis, etiam exſecranda quæq; periuria & blaſphemias eius imitatur: cuiuſmodi fuit Princeps, qui ad iuramenta ſingula nomen diaboli adhibebat. Sceleratiſſ. multorum conſuetudinem, accerſi & iurari diabolum: quos propterea nonnunquam diabolus adhuc vitæ plenos ſpirantesque tollit, vt anno 1551. in Germania Wildſtudienſi agro mulierem, quæ indeſinenter iurabat diabolum, toto Wierus lib. de præſtigiis.

populo ſpectante ſuſtulit: ſimiliterq; hoſpitem crumenam hoſpitis qui ad ſe diuerterat furatum, & ſe in iure dedentem diabolo ſi res ita eſſet, aſſumpſit diabolus, neq; ab eo tempore viſus eſt. De puero aliud narrat Fernelius repente ſublato, cum diabolum accerſeret. Hæc de familiis, vt non ſolum oppidorum portæ, ſed ædium quoq; ſingularum Magis & ſortibus eorum occludantur. Alterum quoque remedium eſt, puta vt neq; à Satana neq; à Sagis vlla ratione metuatur. Vix enim expeditior modus eſt, quo ſe homo dedat poteſtati Satanæ, quam ſi eũ metuerit: nam etiam Deo fit iniuria, cum diabolus metuitur: ideoq; in Lege Dei diſertis verbis cauetur ſæpius, ne à diis gentium, qui neque bono poſſunt neque malo afficere, metuatur quicquam. Itaque non raro compertum eſt & quotidie cernimus non poſſe ei nocere Sagam, qui accuſat ipſam, aut proculcat pedibus, cum Sagam eſſe nouerit. Alium præterea modum confitentur Sagæ, cum aiunt, hominem in pauperes munificum non poſſe à magicis ſortibus offendi, quamuis aliis in rebus vitioſum. Scribit Wierus Sagarum protector libro quarto capite decimo, Wertanas moniales in Hornenſi Comitatu amplius tres annos à malignis ſpiritibus fuiſſe vexatas, atq; hanc occaſionem inter alias fuiſſe obſeruatam, quod libram ſalis Sagæ cuidam vetulæ (quam Sagam neſciebant eſſe) hac lege commodauerant, vt libras tres poſt duos menſes redderet, quod effecit Saga: tum micas

Lib. de abditis rerum cauſ.

ſalis

ſalis à monialibus in monaſterio inuentas eſſe, & ipſas eodem momento à ſpiritibus malignis obſeſſas. Neque tamen hæc ſola fuit occaſio, ſed cum de vitiis permultis famoſæ eſſent, hoc præterea fuiſſe compertum, eas loco erogandæ eleemoſynæ fœnus pauperibus imperaſſe. Atque hæc cauſa eſt, cur Magi, quibus à Satana aut malefaciendi, occidendi, & veneno homines pecoraq; tollendi impoſita eſt neceſſitas, aut dira indeſinenter patiendi, ſi inimicis quos vlciſcantur caruerint, mendicant eleemoſynam, & ſi qui facultate præditus denegauerit, periclitatur ab eis, ſi Magum eſſe neſciuerit. Non enim amplius Magus in quemquam poteſt, quam in eum, qui ſtipem erogat homini, quem Magum eſſe nouerit. Quin etiam cauendum eſt, ne iis detur, quæ vulgi ſermone Sagæ feruntur eſſe: qui autem Magos eſſe ignorans ſtipem non dederit, is offendi periclitabitur, vt perſæpe compertum eſt. Si cum in magnis conuentibus eſſem Pictauii anno M. D. LXVII. inter vicarios Procuratoris generalis meas partes agens, accepi duos Magos ſquallidos egentesq; ad prędiuitem domum ſtipem poſtulauiſſe: ea recuſata iniecerunt ſortes, & domeſtici omnes in rabiem acti obiuerunt furioſi: non quod hanc ob cauſam Deus illos poteſtati Satanæ Magorumque adminiſtrorum eius illos tradiderit, ſed quia (vt erant improbi & immiſericordes erga egentes) Deus non ceperat de ipſis miſericordiam. Scriptura enim eleemoſynam appel-

lat צדקה, id eſt, iuſtitiam, & pro eo quod eſt, date eleemoſynam, ait, date iuſtitiam, quia hæc pręcæteris ex improbo iuſtum facit: quo pertinet illud Scripturæ, Eleemoſyna liberat à morte. Tobię 12. & alibi, hilarem datorem diligit Deus, & Pſalmo 111. Diſperſit, dedit pauperibus, iuſtitia eius manet in æternum, vbi vox צדקתו ſignificat eleemoſynam, quam LXX. iuſtitiam ſunt interpretati: hoc conſilio Daniel ſuadebat Regi Nabuchodonozori, vt animam ſuam redimeret eleemoſynis, & alibi dicitur, non tam cito frigida ignem extinguere, quam peccata extinguit eleemoſyna: his denique documentis Scriptura plena eſt. Hoc igitur fortaſſe inter maxima & pulcherrima arcana fuerit obſeruandum, quibus Satanæ Magisq; omnibus poteſtas nocendi adimitur: neque id ſolum à viris bonis, quorum certa eſt cuſtodia, ſed ab improbis quoque & gentibus Deum ignorantibus, vt
Actor. 10. in Actis Apoſtolorum Cornelius fuiſſe dicitur. Verumtamen certiſſimus omnium præſtantiſſimusque modus eſt, vt fidem in Deum habeamus, & de eo velut de celſa & inuicta arce confirmemur: hoc (inquit Philo) maximum & acceptiſſimum eſt Deo ſacrificium, ex quo Abraham tot benedictionibus fuit cumulatus, qui credidit Deo, & ad iuſtitiam imputatum eſt ei. Omnes itaque Magi, qui curationes & excantationes pollicentur, hoc primum ab eo quem curaturi ſunt poſtulant, vt certo credat, ſe curaturos eſſe, fidemque ſibi habeant. Frequentiſſimum

mum hoc quidem, ſed iniquiſſima tamen idololatria eſt, cum fides ad Creatorem pertinens in rem creatam habeatur. Satanas etiam ſua medicamenta omnia & vires confert, vt eum, qui ſibi aut rebus creatis fidit, reſtituat: Quod Galenus de medicatione Homerica, & Ogerius Ferrerius, Tholoſanus Medicus, vir doctus, admirantes aiunt, quo plus fidei habetur verbis & ligaturis, eo citius valetudinem inſtaurari. Sprangerus tamen de Sagis quæſtionem habens hoc in iis demum accepit obtinere morbis, qui ex ſortilegiis acciderunt, neque Magos à naturalibus morbis poſſe amplius liberare, quam poſſint Medici ſortibus exoluere. Fuit Lutetiæ veteramentarius ſutor Magus, qui ſolum attingens manu febri quartana liberabat: ſed is minime curabatur, qui nolebat credere, ſe curari poſſe. Alterum vidi Mirebellenſem in Andino agro, qui ſic curabat dolorem dentium, & videns D. Carolum Carſium, Lingonenſem Epiſcopum Parem Galliæ ex quartana laborare dixit hominem ſibi notum eſſe, à quo certiſſime curari poſſet. Poſtridie hominem adduxit, qui manum attingens illius petiit nomen ſibi indicari: cognito illius nomine dixit Epiſcopo, fidem habeto in me te curatum eſſe. Eram autem in cubiculo illius. Cumque ego & Faber Medicus doctiſſimus audito hoc nouo ſancto miraculis affluente ſubriſiſſemus: Non (inquit ille) ſi qui volet, ſponſione cum ipſo certabo hunc curatum eſſe. Homine profecto, dixi Epiſcopo,

hanc Magorum rationem eſſe, vt fidem hominum pellicientes à fide in Deum auocent ipſos, ne quicquid boni aut mali ſibi euenerit ad laudem illius referant. Sed non deſtitit Epiſcopus totum biennium ex ſua febri laborare. Ille autem videns ſubinde febrim accedere, dixit erubeſcendo, ſe tantum feciſſe cauſa Epiſcopi, quantum vllius hominis: ſed quid illud eſſet non exponebat. Sunt qui ab omni vetuſtate obſeruauerint, malignos ſpiritus in maleficia certo tempore magis incumbere, maxime vero de nocte potius quam interdiu apparere, idque ea nocte, quæ inter diem Veneris & Sabbathi interuenit, potius quam vlla alia, vt ex veteribus Lauaterus libro 1. cap. 8. annotauit: quod ego quidem non animaduerteram: ſed poſtea obſeruaui, (vt idem autor annotat) legentes Grimorium quibus apparet Satanas, ea nocte inter Veneris Sabbathique diem legere: itemque in libro qui cum priuilegio typis mandatus eſt diabolicum documentum legi ad offendendum certis carminibus (quæ hic non placet adſcribere neque autoris nomen digni incendio) aut occidendum furem: atque hoc die Sabbathi ante ortum Solis faciendum eſſe dicitur. In multis quoque iudiciis comperi plurimum die Sabbathi ſortes maleficas iniectas eſſe. Cuius rei perquirens rationem, in Hebræis Abraham Aben Heſræ Cõmentariis in quartũ caput Decalogi Deũ inducta capitali pœna legi mãdauiſſe, vt ceſſatione ſacra dies Sabbathi ſanctificetur & be-

Geneſ. 2. Exod. 12. Deuter. 5. Ezech. 22. & 33.

& benedicatur præ omnibus; deinde affirmat, Deum ſpiritibus malignis dediſſe facultatem caſtigandi & nocendi quarta ſeptimaque nocte: proinde ſummopere cauendum eſſe, ne quod opus fiat die Sabbathi. Sed Aſtrologicam rationem plus miror ab eo adductam, Martem & Saturnum, quos Aſtrologi dicunt maleficos, duobus illis diebus præualere. Quod ſi ita eſt, tertiam & ſeptimam potius fuiſſet dicturus, niſi in numeris fuerit erratum: nam noctem die priorem eſſe omnes conſentiunt, (vt dictum eſt, Factum eſt veſpere & mane dies vnus) eamque noctem, quæ inter diem Veneris & Sabbathi eſt poſita, noctem eſſe Sabbathi, vbi Saturnus Planeta ſummus imponit primę noctis horæ & diei ſequenti nomen, qui Planeta Hebræis dicitur Sabthai, id eſt, quieſcens, à Sabbathi, quietis appellatione. Et lege Dei quoque pręcipitur, feſtum quietis diem ſtatim ab occaſu Solis celebrari. Quibus ex rebus fuit concludendum, eam tertiam eſſe noctem, quæ inter diem Lunæ & Martis interuenit, quæ inter diem Veneris Sabbathique, ſeptimam. Itaq; vidi acta forenſia, in quibus dixerunt Magi, ſe nocte inter diem Lunæ & Martis intercedente conueniſſe. Sic fuit Logmanus Potezanarum conuentus, in quo Sagęſe cum diabolis ſaltantes elatis ſurſum ſcopis fatebantur dixiſſe, har har, Sabbath Sabbath: ſic in altero conuentu apud Biturigas. Sed an Magorum cœtus die quoq; Sabbathi habeātur, nondum didici. Vt autem die potius tertio

Secretum & teſſeram vocat inter Deum & hominem.

Leuit. 23.
Exod. 21.

quam quarto nocendi & caſtigandi improbos facultatem ſpiritibus malignis à Deo tribui oſtendamus, in Leuitico ſcribitur, Sacerdotes in ſua conſecratione purificari die tertio oportere, vt ſanctificentur ſeptimo: item Num. 19. & 31. qui non fuerit purificatus die tertio, eum ſeptimo non ſanctificatum iri. Adde quod Planeta Martis incipit poſt occaſum Solis hora prima à die Lunæ deſinente, vt etiam Saturnus poſt occaſum Solis hora prima noctis Sabbathi à veſpera diei Veneris deſinentis. Si enim à Planeta omnium digniſſimo Sole principium fiat, & prima hora inſtituatur creati mundi à die (vt appellatur) Solis, ſubductis horis 24. Luna hora prima ſequentis noctis die Lunæ obtinebit, & Mars nocte ſequentis Martis. Et iiſdem Commentariis in Decalogum accepi, Deum benedictiones ſuas eo præſertim die impertiri, quem notauit antiquitas amœnum fere ac ſerenum eſſe: vnde illud vulgo dictum, quod inter prouerbia popularia Iobertus Medicus retulit, nunquam diem Sabbathi præteriiſſe, quin Sol fuerit conſpicuus, quam ad rem ego non adieci animum. Neq; vero ſciſcitari oportet curioſe cur diei 7. potius quam aliis Deus benedixerit eumque ſanctificauerit. Sed quemadmodum Iudæi ferientur die Sabbathi, & Mahometiſtæ Veneris, ita nos Chriſtiani legem & priſcas Eccleſ. conſtitutiones ſequuti ſanctificamus ac potius debemus ſanctificare diem Dominicum: qui tamen omni corruptio-

nis

nis dementiæque genere quod homines comminiſci queunt inquinatur maxima in Deum contumelia, qui nihil tam ſeuere imperauit quam vt quiete ſancta dies quietis celebretur, idque indicta capitali pœna. Iam vero dicamus poſſint ne Magi efficere (quod plerique putãt) vt homines incolumes, alacres, diuites, potentes, victores, & honorati ſint, ſuiſq; voluptatibus perfruantur.

CAPVT II.

An ſit penes Magos valetudinem incolumium hominum confirmare, & ægrotos inſtaurare.

NON debet cuiquam videri mirum quod multi in orbe terrarum ſunt Magi, cum eis qui ſe vouerint & cultui ipſius addixerint magnifice promittat Satanas, ſe eos diuites, potentes, & honoratos effecturum, & optata omnia daturum perfruenda. Quamuis enim prudentes viri fraudem vno momento retegãt, & Magorum bona pars ſit egentiſſima, rudis, & imperita, atque ab omnibus etiam condemnatur niſi bonis, honoribus, opibuſque affluant: ſunt tamen quidam adeo miſeri, vt ipſi ſibi certo deliberatoque conſilio retia Satanæ induant, hi curioſa mẽte, alii vt magnificorum promiſſorum eius faciant periculum, præſumẽtes ſe inde cum primum volent euaſuros: ex quo autem illis fuerunt implicati, vix decimus quiſque forte ſe poteſt expedire, & eorum plerique vbi ſe addi-

Digitized by Google

xerunt Satanæ deſerto Deo, exploratis fraudibus illius contemnunt quidem, ſed non eo magis renuntiant Satanæ & in gratiam cum Deo redeunt. Quos homines lege optima tranquilleque à Satana poſſideri non eſt dubium, licet ab eis cerni omnino nequeat. Et quoniam ſecundum animam nihil eſt præſtantius corporis valetudine, ægrotantes multi conſuluerũt diabolum an poſſent reualeſcere, vt fecit Rex Ochozias, cuius legatis Elias factus obuiam dixit, abite renuntiate Domino veſtro eſſe in cœlo Deum quem oportet conſuli, & ipſum quia Bahalis oraculum conſuluit moriturum. Alii doloribus preſſi diabolo ſe addixerunt ad recuperandam valetudinem, vt Pariſienſis quidam cauſidicus, à me ἀνώνυμος, qui accuſatus anno M. D. LXXI. dixit ſe cum ægrotaret grauiſſime, diabolo ſeipſum permiſiſſe valetudinis ergo, & cautionem ſuo ſanguine exaratã ſubſcripſiſſe: quæ excuſatio ad illud tempus, ſeu vera ſeu falſa fuerit, admiſſa eſt. Alii ſe non committũt diabolo, ſed Magis ſe audent curãdos committere, quorum vocem (ait Chryſoſtom. in lib. de fato cap. 7.) vt peſtiferam oportet fugere. Sunt autem in Hiſpania Magi artem medendi profitentes, quos illi *Salutadores* vocant: & fuit apud Andes vetula quædam Itala morbos curans anno M. D. LXXIII. quæ cum ab interdicto Iudicis, ne morbos curaret amplius, Curiam Parlamenti appellaſſet, diſerte pariter ac docte ipſius cauſa à D. Ioanne Baltruo cauſidico Parlamenti Ma-

tratiam

tratiam domino collega & ciue meo fuit perorata: ſed modos quibus curabat probatum eſt à natura abhorrere, vt felis cerebro quod venenatum eſt, capite corui, & aliis conſimilibus: quæ res plane euincunt non præſtantis olei aut ſalutaris vnguenti viribus (quod multi viri boni & pauperum amantes faciunt) ſed modis præter naturam aut carminibus curationes fuiſſe factas. Scribit Iodocus Darmudanus in Praxi crim. cap. 37. Brugis in Flandria exſtitiſſe Magam in opinione maximę ſanctimoniæ, quod morbos curaret innumeros: ſed illa hoc curabat primum vt crederetur ſe poſſe ſanare, deinde ieiunia indicebat, mādabatq; dici aliquoties Pater noſter, aut Compoſtellas ad S. Iacobum aut ad S. Arnoldum iri: tandem vero multarum ſortium magicarum euicta meritoq; ſupplicio affecta eſt. Sed Hebræus Philo in lib. de ſpecialibus legibus morbos ſortilegiis immiſſos remediis naturalib⁹ poſſe curari negat, quod ex Magorum confeſſionibus Quæſitor Sprangerus ſe ait cognouiſſe, & Barbara Doræa Sanliſiana agnouit, quæ ex decreto Curiæ an. 1574. cremata eſt. Magos quidem poſſe exiſtimo interdum à maleficio morboue ſoluere, quem Magi alii aut ipſi quoq; immiſerint: ſed neque omnes, neque ſemper poſſūt: nam etiā in iure faſſi ſunt ex more oportere, vt in alterū traducant ſortes, alioquin non poſſe ipſos effugere quin ſortes illæ in ipſos recidāt: A morbis autē qui aliter quā ſortibus accidunt, fatentur Magi ſe nemini remediū

afferre

afferre poſſe. Cognituros autem an ſortilegium ſit Sprangerus ſcribit Magos facere periculum, indendo plumbum liquatum in vas aquæ plenum quod ægroto imponitur. Verumtamen idem autor eſt maleficia exſtare his importata, quæ illi delere nequeant, ac ne ipſi quidem maleficiorum autores: cuius rei documentum eſt certiſſimum in Ioanna Haruilleria, quæ viua (vt ante diximus) fuit igni tradita. Hæc enim ſortem à ſe iniectam confeſſa eſt, vt hominem qui filiam pulſauerat ipſius enecaret, alterum vero ſupergreſſum ſorti repente in lumbis ſenſiſſe malum & toto corpore: cum autem (prout ipſa iamque famoſa erat iſtius artis nomine) homini fuiſſet dictum non aliunde malum ei obueniſſe, tum ſe promiſiſſe facturam, vt reualeſceret, & cuſtodiam eius recepiſſe: ad eum finem precibus à diabolo contendiſſe, & multis modis (quos deſcribi nihil attinet) de curatione eius laborauiſſe, quam fieri non poſſe Satanas reſponderit: dicenti itaque ſibi ne ergo amplius veniret ad ſe, diabolum reſpondiſſe non venturum eſſe ſe: paulo poſt ægrotum obiiſſe, & Magam ſe abdidiſſe, ſed vt abdita fuerit inuenta eſt. Ex his conficitur non eſſe in Magorum poteſtate vt eos ſemper curent qui ægrotant ex maleficiis, cum eos ſemper curare nequeāt in quos ſortem coniecerint. Secundo ſi hominem ſorti infeſtum Magi curauerint, teneri dicuntur ſortis in alterum transferendæ: quod ex multorum Magorum confeſſionibus eſt vulgatiſſimum.

Sic

Sic Aruernam quemdam Magum captiuum Lutetiæ vidi anno milleſimo quingenteſimo ſeptuageſimo nono, equos & homines interdum curantem, apud quem permagnus liber inuentus eſt pilis equorum, boum, & aliarum beſtiarum coloris cuiuſque plenus. Hic ſi quando ſortem in equum iniecerat conſulebatur, & de pilo equi illius habens ita curabat illum, vt ſortem alteri traderet, ſed pecuniam non accipiebat, ſi acciperet non curaturum eſſe affirmabat: itaque peruertere ſago ex pannunculis mille ſufferto amictus ambulabat. Sed cum ſemel in equum nobilis cuiuſdam viri conieciſſet ſortes, rogatus curauit traductis in ſeruum eiuſdē viri ſortibus: accidentibus iterum ad curandum ſeruum reſpondit ex nobili cognoſcendum eſſe vtrum mallet, ſeruumne an equum amittere: qua in re anxio hærente nobili & ad deliberandum cunctante interiit ſeruus, & fuit comprehenſus Magus. Illud autem obſeruandum eſt à diabolo ſemper in commutationibus captari lucrum: itaque ſi ſortem equo adimat in meliorem equum transmiſſurus eſt eam: ſi mulierem à morbo liberet, recidet in virum morbus: in adoleſcentem, ſi ſenem. Quod ſi ſortem alio Magus non transferat, de vita periclitabitur: denique ſi diabolus corpus ſanauerit, occidit animā. Huius rei duo exempla afferam. Vnum à Domino Furnerio Aurelienſi Conſiliario audiui de Hulino Paruo Aurelienſi Materiario. Hic ſorte magica affectus lethaliter accerſi curauit

rauit hominem qui omnes morbos depulſurum ſe pollicebatur, ſuſpectum magicæ artis vt ſanaret ipſum: is autem reſpondit ſe non poſſe ſanitatem homini reſtituere, niſi morbum filió ipſius tum adhuc lactenti transdaret. Conſenſit parens in parricidium filii, rem obſeruandam vt eo melius Satanæ malitia videatur. Nutrix re cognita aufugit cum puero, dum Magus patrem ſanaturus attingebat. Sanato ex tactu patre, puerum Magus afferri poſtulat: quo non inuento, repente exclamauit, Actum eſt de me, puer vbinam eſt? & vixdum abiens pedem ianua extulerat cũ eum diabolus interemit ſubito, & cadauer eius tam fuit atrum quã ſi quis de induſtria colore atro infeciſſet. Audiui etiam in iudicio Sagę apud Nãnetas, quæ ſortilegii in vicinam iacti accuſabatur, imperauiſſe Iudices vt mulierẽ ſorte affectam attingeret, quod à Germaniæ Iudicibus etiam in Camera Imperiali fit ſæpiſſime, recuſauit, & ſe cogi videns, exclamauit, actum eſt de me. Simul atq; mulierem affectam ſorte contigit, hæc reualuit, mortuaque Saga corruit: cadauer igni damnatum. Hiſtoriam ab vno Iudicum accepi, qui iudicio interfuit. Tholoſæ quoque audiui Burdegalenſem quendam ſtudioſum amico ſuo grauiſſime ex quartana laboranti dixiſſe vt febrim vni ſuorũ inimicorum traderet: reſpondente illo ſibi neminem inimicũ eſſe, dixiſſe, da igitur ſeruo tuo: tãdem cum hoc illi religio eſſet facere, Magum dixiſſe, da mihi eam, tum annuente ægroto

Magum febri oppreſſum obiiſſe, & ægrotum reuixiſſe. Hoc autem minime nouum & inauditum eſt: nam apud Gregorium Turonenſem lib. 6. ca. 35. legimus Childeberti Regis vxorem, vt filiolum ſuum ex maleficio audiuit obiiſſe, muliebri rabie ingentem Sagarum numerum iuſſiſſe comprehendi, cremari, & rotis imponi: quæ Regis filium à ſe enectum fuiſſe agnouerunt, vt Mummonem magnum Magiſtrũ ſeruarent incolumem. Captus itaq; Mummo & equuleo impoſitus certas pinguedines ſibi potionesq; à Sagis datas fuiſſe dixit ad conciliandum (vt putauit) Principum gratiam, & carnificem qui torquebat ipſum indicare iuſſit Regi, nullum à ſe dolorem percipi. Tunc imperauit Rex eum diſtendi trochleis, ſtyloſq; ferreos vnguibus pedum & manuum interſeri: prout eſt in Oriente ratio torquendi, qua ſine membrorũ fractura dolor fit intolerabilis. Poſt dies aliquot ad ſuos Burdegalenſes deportatus obiit. Hoc placuit annotare vt oſtendamus Satanam lucrum facere commutationibus, cum Sagæ Regis puerum quem parentes adorabant pro Mummonis incolumitate à ſe enectum dixerint. Fere fit autem, vt quod impenſius amatur citius amittatur, iuſto iudicio Dei caſtigãtis eos qui res amatas pro diis habuerint, & plus in eos Satanas quam in alios poſſit. Morbum autem naturali modo, non maleficio obtingentem confirmatur non poſſe à Magis tolli. Exemplum Quæſitor Sprangerus affert: cum de Sagis Inſpru-

Inſprugenſibus in Germania cognoſceret, figulum Magum exſtitiſſe, qui pauperem viciniam ſuam videns affligi grauiſſime, vt ſi inteſtina ipſius gladiis indeſinenter peterentur, experiar (inquit) an ſorte affecta ſis & ſanabo te. Tum liquatum plumbum diſco infudit aquæ pleno & mulieri ægrotæ impoſito, & certis vocibus enunciatis, quas reticere placet, imagines quaſdam percepit indurato plumbo, ex quibus agnouit ſorte affectam eſſe mulierem. Hoc facto, abducit virum illius mulieris, & reſpicientes vterque ſub limen ianuæ imaginem ceream palmarem inuenerunt, cui acus duæ ad duo latera hærebant fixæ, cum aliis pulueribus, granis, ſerpentumque oſſibus, quæ omnia obiecit igni: mulier vero, cum pignori dediſſet animam ſuam Satanæ & Magis, quos pro incolumitate ſua adiuerat, fuit reſtituta. Idem autor eſt Magum hunc cum Saga quæ maleficium vicinæ intulerat familiaritatem ſupra æquum & bonum coluiſſe: itaque potuiſſe Magum ex ea rem totam cognoſcere. Verumtamen an illius mali quod ex maleficio venit, alio deriuari ſortem ſemper oporteat, nō poſſum ſtatuere: Satanam quidem ea eſſe malitia puto, vt bonum non patiatur fieri niſi grauius ſit euenturum malum: puta à Mago comperto & cognito petatur incolumitas, cum precibus eius communicetur, ſuperſtitio aliqua ſeruetur, dicantur verba, amuleta portentur, aut committantur alia quæ ſine idololatria committi nequeunt, eoq; ſpe-
ctant

ctant omnia vt homo à fide, quæ in Deum ſolum habenda eſt, abducatur. Nam indubitatum mihi videtur axioma iſtud, nunquam Satanam benefacere niſi vt grauius ex eo redundet malum: adeo naturæ Dei aduerſatur, qui nullum malum permittit fieri, niſi vt maius conſequatur bonum. Scribit Hippoc. lib. de morbo ſacro, ſuo tempore fuiſſe Magos qui pollicebantur ſe ab eo morbo certis precibus & ſacrificiis curaturos, & ſibi comparabant opinionem ſanctimoniæ: ſed eos ait deteſtabiles & improbos eſſe, Deumque ab iſtis blaſphemari qui morbos iſtis à Diis immitti doceant. Etſi Hippocrates aperte confiteri nolens nonnullos homines à Dęmonibus occupari, comitalem morbum eſſe dixit: cum poſteri omnes agnouerint epilepticorum alios eſſe qui remediis curantur naturalibus, alios vero à Dæmonibus obſeſſos curari Magorum opera momento vno, aut cõuentione facta cum Satana, aut ſacrificiis generibuſque certis idololatriæ à Satana imperatis. Magos itaq; ſtatuimus ope Satanę nocere poſſe non omnibus, ſed iis ſolum quos Deus permittit ſecreto iudicio ſuo ſiue bonos ſiue malos, his caſtigandis, illis explorandis, vt electos ſuos quos ſtabiles conſtanteſque viderit augeat benedictionibus. Monſtraturi autem Sagas maledictis ſuis execrationibus & nefandis ſacrificiis vindictæ diuinæ adminiſtras eſſe, cum manum ſuam volũtatemque commodauerunt Satanæ, hiſtoriam admirabilem quæ iam mana-

uit in vulgus & recentis memoriæ exponemus. In Ducatu Cliuenſi ad Eltanum vicum via publica verberabantur equites pediteſque, & ſubuertebantur plauſtra, nec tamen aliud præter manum videbatur, quam vocabant *Ekerken.* Tandem vero cum Saga quædam Sibylla Dinſcops nomine in illo tractu habitans comprehenſa & cremata fuiſſet, nihil perceptum eſt. Hoc anno M. D. xxxv. geſtum. Ex his ergo concludimus, Sagas vtentes ſua arte plurimum mali ope Satanæ poſſe efficere, Deo iuſte permittente, & tanquam carnifices ad ſuum opus adhibente (ſemper enim ſapientia & iuſtitia Dei bene illud facit quod homo facit male) Verum illud videri quoque non poſſe Magos aliis morbis liberare quam quos maleficio ſuo intulerint, nec vnquam eos tollere quin lædant animam, aut aliud malum perpetrent. Poſtea dicemus an iſtos adire liceat ad conſequendam valetudinem. Sed illud videamus primum an fauorem adipiſci ſuo facto poſſint, exoptatam illam à deformibus mulierculis pulchritudinem, voluptates, honores, & diuitias, quorum cauſa plerique ſeſe in miſerrimos caſus præcipitant.

CAP.

CAPVT III.

An Magi arte ſuâ gratiam hominum, pulchritudinem, voluptates, honores, diuitias & ſcientias comparare poſſint, & fertilitatem dare.

NIHIL tantopere miſeros in præcipitem & lubricam perditionis viam attrahit, vt ſe voueant Satanæ, quam hæc opinio improbiſſima, dari à diabolo pauperibus diuitias; afflictis voluptates, infirmis vires, formam deformibus, ſcientiam ignorantibus, honorem abiectis & fauorem gratiamque procerum: etſi hoc contra eſt compertiſſimum (vt ſupra oſtendimus) homines miſeriores Magis, egẽtiores, plus exoſos, imperitiores, aut plus infeſtos malis nuſquam exiſtere. Reginam Olympiadem magni Alexandri matrem Plutarchus narrat de viro ſuo Philippo Rege Macedoniæ audiẽtem, eum inſano amore nobilis cuiuſdam adoleſcentulæ grauiſſime conflagrare, illius conſpectum cupiuiſſe: cumq; mirandam illius formam, venuſtatem, & elegantiam contemplata eſſet (vt erat obſtupefacta) nihil mali importaſſe, ſed in hæc verba erupiſſe: Hæc illa eſt forma & gratia quæ virum meum faſcinauit, & Deos quoque faſcinare poſſet. Certe quæcunq; pulchra conſpiciuntur in toto hoc mundo & ſingulis partibus illius, documenta ſunt totidem ac velut radii diuinæ pulchritudinis, nec aliunde quam à Deo pulchritudo obuenit. At nunquam Saga comperta eſt quę carminibus alioue pacto ſic fucare

faciem ſuam potuerit, vt viſa ſit ſpecioſior, ſed cõtra vulgo dici ſolet, deformis vt Saga: & Cardanus quoque non poſtremus Magorum habitus nunquam Sagam à ſe teſtatur fuiſſe viſam niſi deformem, quod facile crediderim. Nam etiam non negauit Cardanus ſibi patrem fuiſſe Magum, & ſe cum voluit agi ecſtaſin, qua ratione ſuperior fuit parente artifex: addit præterea fœtere malignos ſpiritus, & locum quem frequentauerint: qua ex re factum arbitror vt veteribus *fœtentes*, & Vaſconibus *fetilleres* Magæ dicerentur à fœtore, quem illæ (opinor) ex cõſortio diabolorum contrahunt, ſuſpenſorum fortaſſe corpora aut eiuſmodi alia ad Venereas & corporales actiones mutuantium: Vierius item fœtere dæmoniacos annotauit: & Hippocrates (qui tamen dæmoniacos ex morbo ſacro putauit laborare) eos fœtere dicit: quibus ex rebus iudicari poteſt mulieres, quæ ſpirant ſuauius à natura quam viri, conſortio Satanæ præter naturam horrentes, tetras, deformes, putidaſq; effici. De expetita autem Sagarum amatorumque voluptate ſupra demonſtrauimus, pleraſq; captas, euictas, & confeſſas Magas dixiſſe Satanam rem ſecum habuiſſe, nec ſine dolore, quia perfrigidum neſcio quod ſemen ab eo ſuſciperent ſibi (vt aiebant) ingratum: & confeſſiones earum annotauimus. Sprangerus ſcribit quæſtionem à ſe de Sagis quam plurimis habitam, quæ omnes nec rogatæ fatebantur ſe cum Satana Venerem expertas eſſe. Eas, ſi darentur melio-

Lib. de ſubtilit 20.

meliora, hæſuras iſtis amatoribus non eſt credibile, qui dies & noctes infeſtant ipſas, niſi in ſeruitute iſtius domini perſtiterint. Quod ad gratiam hominum quam iſti ambiunt, vitari iſtos & in odio capitali eſſe vident omnes. Triſcalanum Cenomannum memini artificio ſuo, quod præſente Rege exercuit, animum Regis perculiſſe: nam orbes catenæ aureæ è longinquo eductos (vt videbatur) in manum ſuam acciebat, ſed catena tamen poſtea integra comperta eſt. Rex itaque ſtatim eum exire iuſſit, neque ex eo tempore ſuſtinuit eum aſpicere, adeo vt pro eo quod gratiam putabat promereri, iudicium fuerit conſtitutum, & ipſe artis magicæ à Præfecto prætorio condemnatus, vt ante diximus. Honores autem & dignitates quod attinet, videmus non alios homines contemni magis & abominationi eſſe: & apud Samuelem legimus (quod Hebræi optime annotarunt) dixiſſe Deum, honorantem me honorabo, & cõtemnentem me exponam contemptui. Non hominis vox ſed Dei eſt illa, omnibus mundi demonſtrationibus certior. O ſi ambitioſi homines iſtud arcanum agnoſcerent: quantopere efferrēt gloriam Dei vt laudem æternam compararent: quantum ſibi à dedecore importando in Deum metuerent, ne porro exponerentur contemptui atque ludibrio. Neronem ait Suetonius Magorum facile principem exſtitiſſe omnis religionis contemptorem: an vero quiſquam tam contemptus, tam abiectus, tam cru-

1. Sam. 2.
Lib. Pirke aboth.

deliter exagitatus eſt? Quem Deus non ſolum florente ætate de honoris culmine deturbauit, in quo antequam Magus fieret eum collocauerat, verum etiam fecit vt ab omnibus amicis, cuſtodibus, & domeſticis deſertus ac damnatus baculis nudus ad mortem vſque cæderetur, & ad necem tam ſæuam vitandam ipſe ſibi violentas manus inferre cogeretur. Verum qui contemptus, quod dedecus, quæ turpitudo Magis horrenda cogitari poteſt, quam illa Magorum, qui Satanam hirci fœtentis ſpecie coguntur adorare, eaque parte oſculari quæ nec ſcribi nec dici honeſte poteſt? Quod mihi quidem omnino incredibile videretur, niſi id legiſſem in confeſſionibus Magorum addictorum morti, & conuictionibus innumeris. Hic vero dixerit quiſpiam inde à Syluestre ſecundo ad Gregorium ſeptimũ incluſiue Papas omnes fuiſſe Magos, vt in Nauclero Platinaque legimus. Reſpondeo Benonem Cardinalem, qui Papas Magos annotauit, quinque ſolum comperiſſe, Syluestrem ſecundum, Benedictum nonum, Ioannem vigeſimum & vigeſimum primum, Gregoriumque ſeptimum. Quinetiã ex iſtis omnibus Auguſtinus Onophrius Papæ cubicularius (qui è Vaticano actiſque veteribus hiſtoriam Paparum compoſuit diligentiſſime) duos refert ſolummodo, Syluestrem ſecundum, & Benedictum nonum: quorum hic quidem ſede (ad quam duorum Paparum, qui patrui erant, gratia peruenerat) poſtea eiectus eſt: ille vero (cui

prius

prius fuit Gilberto nomen) Floriacenſis monachus fuit ad Ligerim, qui tam nauiter operam dedit literis, vt Roberti Regis Francorum, Lotharii Ducis, & Othonis tertii Cæſaris Pædagogus effectus ſit: quorum opera, non autem Satanæ (quod iſti miſeri arbitrantur Magi) ad faſtigium Papale euectus eſt. Reſipuit vero Sylueſter tandem, & deceſſurus de vita poſtulauit linguam ſibi & manus abſcindi, quæ diabolis ſacrificauerant: ſe vero non ante diabolo fuiſſe addictum confeſſus eſt quam Rhemorum fuiſſet Archiepiſcopus. Quæ cum ita ſint, omnem poteſtatem, honorem dignitatemq; à Deo venire concludimus, veramque illam voluptatem ſecuritatem & tranquillitatem animi quam Deus ſuis fidelibus tribuit: cuius voluptatis ne minimam quidem ſcintillam ſpiritus à Satana poſſeſſi perceperunt, adeo crudeliter aſſidueque ipſorum animæ tyrannide illius opprimuntur. Quod autem diuitias attinet, omnibus notum eſt atque certiſſimum magnos in terræ ſinu theſauros eſſe abditos, eorumque ſedes Satanæ eſſe cognitas: ſed nunquam Magus extitit qui arte iſta aureum vnum comparauerit, vt fatentur omnes: Imo quicunq; diuites ſe addicunt rebus magicis vt diuitiis augeantur, fere in paupertatem abeunt, egentes vero tota vita paupertatem perferunt. Bona enim dicuntur in Scriptura benedictiones, quia dantur à Deo: vt Iacob munus de gregibus, quos ſibi Deus iuſte dederat, Eſau fratri offerẽs, Accipe, inquit,

de benedictione quam mihi dedit Dominus. At cur theſauros humi conditos ſuis mancipiis non impertitur Satanas? cur fame ſinit emori? cur panem mendicari miſere? Certe nec aliter vult Deus, nec diabolus poteſt; qui alioqui (vt videtur) in ſuas partes plurimos fuiſſet pertracturus. Ogerius Ferrerius Medicus doctiſſimus, cum Tholoſæ eſſem, elegantes ædes & bono loco ad Burſam ſitas minimo conduxit anno M. D. LVIII. quia malignus ſpiritus inquilinos earum infeſtabat, quod ipſe non amplius curabat quam Athenodorus philoſophus, qui deſertam Athenis domum incoliſque propter ſpiritum vacuam auſus eſt habitare. Sed cum illud audiuiſſet quod nunquam crediderat, non poſſe tuto adiri cellam, nec quietem interdum capi: monitus Luſitanum quemdam ſtudioſum in vrbe eſſe qui res occultas in vngue pueruli videndas exhibebat, fecit vt ſtudioſus ille ſua arte vteretur: puella vero conſulta dixit mulierem à ſe videri ornatam accuratiſſime pretioſiſſimis catenis & auro, quæ ad columnam quãdam manu geſtabat tædam: itaque Luſitanus reſpondit Medico vt in cella ad columnam humi curaret fodi, theſaurum ab ipſo inuentum iri. Gaudens Medicus fodi iuſſit: ſed cum theſaurum inuentum prope cogitaret, exſurgens turbo exſtinxit lucem, & ſpiraculo cellæ exiens, ad 14. pedes pinnarum fregit in propinquis ædibus, quarum pars in prothyrũ corruit, pars in cellæ ſpiraculum, pars in mulierẽ ferentem

Plin. iun. in epiſt.

tem aquam, cuius hydria effracta eſt. Nihil poſtea à ſpiritu auditum vnquam. Luſitanus poſtridie factus de re tota certior, theſaurum dixit à ſpiritu exportatum eſſe, mirari ſeſe, quod Medicum non offenderit, qui poſt biduum mihi narrauit hiſtoriam. Hæc die 15. Decembris Anno M. D. LVIII. geſta ſunt claro & ſereno cœlo, vt eſſe ſolet diebus Halcyoniis: & nos eodem tempore deiectas domus propinquæ pinnas prothyrumque ad tabernam fractum inuiſimus. Putauerunt Hebræi priſci, qui theſauros præſertim male partos in terra defodiunt, eos damnationem iuſtamque ſuæ impietatis pœnam ad ſuos theſauros ſuſtinere, & carere conſpectu Dei, ac propterea in Eccleſiaſtico maledictionem exſtare contra eos, qui in ruina theſauros addunt. Affert Melanchthon hiſtoriam perſimilem, homines decem Magdeburgi ruina turris oppreſſos eſſe, cum ad theſauros, quos docuerat Satanas, reperiendos effoderent. Georgius Agricola in libro de Spiritibus ſubterraneis ſcribit, Annebergæ in ea fodina, quæ dicitur Corona roſæ, ſpiritum ſpecie equi duodecim homines occidiſſe, & feciſſe, vt fodina plena argenti cederet, quam Magi ope Satanæ repererant. A quodam Lugdunenſi accepi, qui poſtea in æde S. Mariæ virginis Lutetiæ Capellanus fuit, ſe cum ſociis magica arte Arcolii prope Lutetiam theſaurum retexiſſe: ſed cum ciſtam, in qua erat conditus, habere cogitarent, eam fuiſſe exportatam turbine, in ipſum vero

muri labem corruiſſe, ex qua toto vitæ ſpatio claudicaturus eſt. Et ſacerdos Noribergenſis nuper cum ope Satanæ theſaurum inueniſſet,& iamiam ſcrinium aperturus eſſet, ruina domus extinctus eſt. Non eſt autem nouum theſauros magicis artibus perquiri: nam etiam Lex ait, theſauros eorum non eſſe, qui puniendis ſacrificiis aut alia quauis arte prohibita ſcrutantur, & ob eandem cauſam literas permiſſionemque vetat à Principe exorari ad effodiendum alienum agrum. Ex Lugdunenſi quoque pragmatico (quem etſi magna voce in frequentia magna recitauit,nominare nolim)audiui ipſum de nocte cum ſociis abiuiſſe, vt enunciatis coniurationibus theſaurum perueſtigarent: cumque cœpiſſent fodere, velut hominis, qui rotæ impoſitus in propinquo fuerat, vocem audiuiſſe, horribiliter inclamantem,ad fures:ſic in fugam fuiſſe verſos,malignos vero ſpiritus eodem momento perſequentes cæcidiſſe ipſos ad eam vſque domum vnde prodierant, & tanto ſtrepitu eam ingreſſos eſſe, vt tonare hoſpes cogitauerit: atque ex eo tempore iurauit, ſe theſauros nunquam perueſtigaturum eſſe. Ita malignos ſpiritus videmus nolle, ac potius Deum non ferre, vt his rationibus diteſcat quiſquam. Hebræi dicunt, eos, qui ſuo ipſorum amore furentes de vita inuiti cedunt, infernum ſuum (vt ita dicamus) in ſepulchro pati cadauerũq; ſuorum ambitu, vt per æternam Dei iuſtitiam in eo ipſo quo offenderunt pœnas luant. Flatores etiam Chy-

L. vnica, de **theſau. C.**

Chymici plerique animaduertentes ſe ad lapidem philoſophalem (quem vocant) peruenire non poſſe, familiares ſpiritus ſolent conſulere. Sed ex Conſtantino (qui inter peritiſſimos Pyrotechniæ & artis metallicæ in Gallia numeratur, eſtque in toto regno celeberrimus) audiui ſocios ipſius, cum perdiu flantibus nulla ſpes ſpeciesve boni oſtenderetur, conſilium à diabolo petiuiſſe, rectene facerent, & rem optatam confecturi eſſent: illum vero vnico verbo reſpondiſſe, *trauaillez*, laborate: hoc exhilaratos flatores perrexiſſe & flauiſſe adeo ſtrenue, vt omnia in nihilum multiplicauerint, etiamque porro flaturos fuiſſe, niſi Conſtantinus dixiſſet ipſis, hunc eſſe morem Satanæ, vt ambigua reſponſa edat, illud autem verbum *laborate* innuere, abiiciendam eſſe Alchymiam, & in laborem aliquem ac honeſtam artem vtilis ad vitam ſcientiæ incumbendum: hominis pure dementis eſſe, ſi quis cogitauerit tam breui temporis ſpatio aurum effingere, in quo efficiendo natura annos amplius mille ſolet conſumere. Itaque illis hominibus, qui ſcientias arte diabolica ſtudent comparare, ſimiliter oportet dici, *trauaillez*, laborate, ſiue (vt maiores noſtri pronunciabant) *treſueillez*, vt in verſu Lucilii: *Noctes vigilate ſerenas*: & orandus Deus, vt labori noſtro (quod rei totius eſt caput) ſucceſſum felicem tribuat. Quod in principio Sapientiæ Salomo admonet, ſingulos inuitans, arcanumq; maximum & germanum ſapientiæ acquirendæ modum

dum explicans, nempe vt ex animo petatur à Deo, in ipſum habeatur fides, ac non tentetur Dominus: quamobrem orationem adiicit, quam apud Deum habuerat. Moſes quoque Maymonides hanc demonſtrationem ſtatuit eſſe certiſſimam, nunquam hominem ſapientiam Dei coniunctam ſcientia virtutibusque moralibus (vt ait Salomo cap. 8. Sapientiæ) adepturum eſſe, niſi ſe ἀνυποκείτως abiiciat humilietque coram Deo. Nos autem ſupra oſtendimus, Magos eſſe omnium hominum imperitiſſimos, qui rabie furiiſque plurimum in morte agitantur, nec vllo tempore plus mente capti ſunt, quam cum à Satana poſſidentur. Si quis autem cum Auguſtino dixerit: Satanam ſcientiſſimum eſſe, eo quod vixerit diutiſſime, (vt certe diaboli quæcunque hic geruntur explorant & recognoſcunt ſingula, noruntque ſanctorum vitam ad minima peccata vſque non ſolum obſeruare, ſed etiam calumniari) vt demus à diabolis teneri vires plantarum, metallorum, lapidum, animalium, motumque & facultatem aſtrorum, omnino tamen eorum finis eſt & conſilium propoſitum, vt homines in errore fonte malorum omnium & ignorantia ſumma educentur: quamobrem ſeruos ſuos aut mendaciis paſcit ſemper, aut ambiguis vocibus. Hic tyrannorum modus, vt in ſumma ignorantia & cæcitate alant populares, ne apertis oculis rationem videant, qua ſe ipſi explicent à dominatu eiuſmodi. Quas ob res ſi hæc ita ſe habent, (vt pro-

Sapient. 8.

Sapient. 9.

profectò ſe habent) ſi, inquam, diabolus neque ditare poteſt, neque theſauros abditos, neque hominum gratiam, neque voluptatum fructum, neque ſcientiam præſtare, ſed vltionem ſolum inimicorum, nec tamen omnium, efficere: quod malum, obſecro, grauius dici poteſt, quam pro tantilla remuneratione in hac vita incerta hominem ſeſe mancipare Satanæ, & damnationem æternam in vita altera comparare? Antequam finem huius capitis facio, recentem hiſtoriam & memorabilem hoc loco placet apponere. Fuit Bleſis, inſignis Magus, natione Allobrox, menſe Ian. ann. 1577. qui nomen Comitis ſibi arrogabat, licet neque ſeruum neque ancillam haberet comitem. Hic libellum ſupplicem (qui in priuatum conſilium relatus eſt) exhibuit Regi, promittens ſe effecturum, vt terra fructus centenos ederet, (cum tamen optimus ager Galliæ non plus duodenis afferat) oblitis ſeminibus oleo quod erat demonſtraturus, hac lege, vt Rex ipſi decimam traderet, alteram ſibi haberet, quæ domanio Regis (vt vocant) ita accenſeretur, vt nunquam alienari poſſet. Idem ſe Arithmeticam perbreui ſpatio docturum pollicebatur. Ego tum illic conuentibus maximis interfui. Poſtulatum in priuato conſilio acceptum ad Curias cum literis publicis fuit tranſmiſſum, vt res promulgaretur atq; in acta referretur. Exemplum Laodunum attuli, & exhibui multis. Curia Pariſienſis non maiores quam cæteræ Curiæ rem totam æſtimauit.

At

At potius, iudicio meo, fuit comprehendendus Magus, & de eo ex iure cognoſcendum: fuit enim re vera Magus, vt Phiſezius conſilii regii Secretarius vnus ex delegatis aperuit, quem ille rationem cognoſcendi chartas luſorias etiam non viſas docere voluerit: nam rogatus parietem verſus obuertebat ſe nebulo, & cum diabolo muſſitabat, vt chartarum puncta exponeret. Non eſt autem omittendum iſtud, Satanam ſua compendia quæſiuiſſe ex fertilitate & abundantia, quæ Anno M. D. LXXVIII. obtigit; (nam ex toto decennio vberior annus non exſtitit) vt fidem in Deum fertilitatis & ſterilitatis autorem hominibus adimeret. Quo argumento etiam adducor, vt credam, diabolos ex præuiſis procellis & ſterilitate poſſe iiſdem artibus perſuadere Magis, procellas famemque per ipſos aduocari. Quapropter inquit Ouidius:

Carmina læſa Ceres ſterilem vaneſcit in herbam:
Illicibus glandes, cantataq; vitibus vua
Decidit, & nullo poma mouente fluunt.

Dixerit quiſpiam, at forent diuites, qui ludo primæ & fluxus (vt vocant) ludunt, ſi ea, quæ in chartis luſoriis latent, peruiderent. Reſpondeo, quicunque ſcripſerunt & quæſtionem de Magis habuerunt, hoc indubitatum eſſe axioma tradunt, non poſſe Magos augeri vnico aureo ex artibus & agyrmatis omnibus, quæ à Satana didicerunt: imò plerumque ex confeſſione ipſorum compertum eſſe in crumena gra-

men,

men, cum plenam auri & argenti manum à Satana accepti eo intuliſſet. Riſum quidem Magi, nec omnes tamen, commouent & ſpectatores efficiunt attonitos, vt Triſcalanus ille Magus de Curione quodam præſentibus parochis dixit, Videte iſtum hypocritam, qui fingens ſe breuiarium ferre fert chartas luſorias. Tum Curio volens oſtendere vt ferret breuiarium; viſus eſt ſibi habere chartas luſorias,& quicunq; aderant chartas ſibi videre viſi ſunt,adeo vt Curio breuiarium ſuum abiecerit & pudibundus abiuerit. Superuenientes vero paulo poſt alii breuiarium collegerunt nudatum illa chartarum ſimilitudine:qua ex re fuit manifeſtũ,multis in rebus Satanam illudere, nec tamen ſingulorũ oculos perſtringere. Nam qui priori actioni non interfuerant, cum præſtigias Magus adſtantium oculis offudiſſet, merum videbãt breuiarium; cum alii contra ſpeciem chartarum cernerent:quemadmodum etiam accidit, vt viro bono timenti Dei & fidem in eum habenti Magus non poſſit fraudem in diſcernẽdis punctis facere, aut præſẽti illudere. Poſtremo autem vt oſtendamus, quem exitum ſperare Magi teneantur, exitum ſolum Magorum qui vnquam exſtiterunt principum oportet obſeruari:vt Simonis Magi,quem elatum in aere pręcipitauit Satanas, Neronis & Maxentii, qui duo ſummi Magi inter Cęſares,ille damnatus interfecit, hic demerſit ſeſe. Iezabel Regina inſignis Maga à canibus vorata eſt. Methodis maximus

ſui

ſui temporis Magus in Noruegia diſcerptus à populo, vt ſcribit Olaus: Matiſconenſis Comes à Satana ſpectante populo exportatus, Raziorum Baro crematus, vt alii quoque innumeri viui perierunt igne. Ex his itaque ſtatuitur, Satanam per ſe nihil magnum præſtare, permittente vero Domino nocere, offendere, cædere, & homines ac pecudes enecare poſſe: denique ſolam vindictam, idque in certos homines, penes ipſum eſſe: quemadmodum ſupra de Pragmatico quodam (vt vocant) annotauimus, cuius veſtigiis diabolus inſiſtebat, & ab omni quiete animum auertebat: cum diſerte apud me fuiſſe confeſſum, neque ſcientiam rei vllius ſibi à diabolo datam, neque aurei vnius acceſſionem factam, ſed animum ſolum ad vltionem inflammatum. Iam vero dicamus, poſſintne Magi omnibus promiſcue, & his amplius quam aliis afferre damnum: nam hoc argumentum, ſententia mea, nondum fuit ſatis illuſtratum ad iuſtam ipſius intelligentiam.

CAPVT IV.

An his plus quam illis Magi nocere poſſint.

MVLTAS quidem Theologi quæſtiones nectunt, ſed tres ante alias extant in Magorum cauſa. Prima, cur ſua arte ditari non poſſint Magi: Secunda, cur Principes Magis quos habent comites non vtantur ad cædendos & fundendos hoſtes: Tertia, cur iis nocere nequeant, qui ipſos perſequuntur. Primam proxime

me præcedente capite expoſuimus. Secundam quod attinet, Theologi dicunt, Angelos, quos Deus elegit ad regum regnorumque conſeruationem, conatus maleficorum abrumpere, & victorias per Deum eſſe, qui magnus Deus Sebaoth vel exercituum appellatur, non ob eam poteſtatem ſolum, qua in aſtra & cœleſtes Angelos vtitur, (hos enim Scriptura vocat exercitus) ſed etiam in Principum copias. Imo tantum abeſt, vt Principes opera Magorum abutentes ſuperiores hoſtibus eſſe poſſint, vt illud veteres contra pro indubitato annotauerint: Ex duobus Principibus inter ſe dimicantibus eum cadere, qui Magos adhibet, & qui diabolum de ſua ſuorumque dignitate conſulit, eum cum ſuis periturum miſere, videt enim Deus & vindicaturus eſt. Neque dicendum, vt ille interpres Pſalmi primi:

Cumque viri nunquam Domini ſit cura ſceleſti.

ſed ita potius ſententia mea:

Cumque viro nunquam Domino ſit cura ſceleſto,
Impia mens, greſſusq; atq; improba facta peribunt.

Cui tranſlationi optime cum Pſalmo 34. conuenit, vbi ait Pſaltes:

Clara Deus ſemper defigit lumina cœlo
In ſcelus, vt nomen tollat ab orbe mali.

Sexcenta quidem poſſemus exempla adducere, ſed duo in præſentia triave ſuffecerint. A Cn. Pompeio Magno ſtabant Romanum imperium, Principes & Reges quique potentiſſimi cum legionibus triginta aduerſus Cæſarianas

legiones quinque aut ſex, eo anguſtiæ adductas vt interirent fame, & mari infeſto atque oppidis circumcluſæ eſſent, quando prælium conſertum eſt: verumtamen placuit Pompeio ante accerſi Magos, & Arcas illa Erichtho peritiſſima illius ætatis Saga (vt apud Lucanum legimus) ad ipſum adducta eſt. Funeſtum vero illius qui ſtatim obuenit exitum nemo neſcit, cum idem ſemper victor in Europa, Aſia, Africa, & in mari præcipue mediterraneo prius exſtitiſſet. Ariouiſtus Imperator Theutonum, quorum copiæ ex quadringentis ferme hominum millibus erant conſtitutæ, Sagas Germaniæ conſuluit, (nam eis ſemper Germania abundauit) & à Cæſare funditus euerſus eſt, qui ridebat Sagas. Neronem, Domitianum taceo, & alios innumeros, quibus hanc ob cauſam exitus obuenit infeliciſſimus. Nequeo ampliſſimum ſeculi noſtri Principem ſilentio inuoluere, qui cum expetiuiſſet modis illicitis videre caſtra hoſtium, exitumque prælii ex Mago cognoſcere, anceps à Satana oraculum reportauit, quo fretus miſere fuſus eſt. A certo etiam homine didici, cum paruulus eiuſdem puer decumberet grauiſſime, Magum de morbi euentu conſultum eſſe: qui reſpondit, magiſtros peritiores è Germania accerſendos eſſe, vt euentus cognoſcatur: nam inter diabolos & Magos alios aliis aptiores ad eam rem eſſe: paulo poſt aduentaſſe Magos, ſed vtcunque ſpem boni facerent, puerum tamen obiiſſe. Omnes denique qui Magis vſi ſunt, non

eo

eo minus calamitoſe perierunt. Quod ſi Magis eorumque domino facultas eſſet omnibus nocendi promiſcue, ludibundi profecto Reges aut cereis imaginibus aut ſagittis in aera miſſis, aut ſimplice verbo, aut vento gladiis ſui hoſtes conficerent. Contra vero omnes docti totius vetuſtatis experientia vno ore tradunt, non eſſe penes Principem, licet ex toto terrarum orbe Magos adhibuerit, vt Principes exteros aut hoſtes ſuos, ſiue bonos, ſiue malos, ſic afficiat morte. Amplius dicam, hominibus ipſos perſequentibus nocere non poſſunt Magi. Ita Sprangerus & Niderus, qui Sagas innumeras iuſſerunt concremari, teſtantur vno conſenſu, Sagas nocere non poſſe iudicibus vel improbiſſimis: & interrogatas de hac re dixiſſe, omnia quidem à ſe fuiſſe tentata, vt Iudicibus afferrent mortem; ſed nihil effeciſſe. Sunt apud me quæſtiones propoſitæ Ioannæ Hertulleriæ, vt qui iudicio illius interfui, quarum 6. cap. fatetur illa, ex quo tempore venit in manus Iudicum, nihil in ipſam diabolum potuiſſe, neque ad liberandum ipſam è vinculis, neque ad vitam ipſius conſeruandam. Sprangerus tamen & Danæus ſcribunt, diabolum in colloquio & communicatione cum Magis pergere, & conſilium dare, vt obmuteſcant coram iudice, adeoque manus & pedes numelis eximere. Quod de Apollonio Tyanæo legeram apud Philoſtratum Principe Magorum ſua ætate habito, cum Romæ in carcere ſpectantibus aliis

Auguſtin. lib. 1?. de ciuit. Dei.
Thom. in ſecunda ſecundę q. 95. art. 5. & tit. de mira.

captiuis cippum artubus exuiſſe, ac propterea mandaſſe Domitianum Cæſarem, vt omni ex parte raderetur, (vt hodie facit Germania) & in iudicium adduceretur nudus: Sed non poteram ſatis videre, qui Magum diabolus cippo exuere poſſet, nec carcere poſſet eximere, niſi D. Ioannes Martinus vices Præfecti Laodunenſis agens confirmaſſet, dum quæſtio de Saga S. Probæ (quæ viua ex iudicio illius concremata eſt) haberetur, quærenti ſibi cur non euaderet, reſpondiſſe illam, ſe è cippo quidem, at non è carcere exire poſſe: eodemque tempore, cum aliorſum ipſe reſpiceret, ipſam ſibi manicas exuiſſe, quod nulla ars humana potuiſſet. Quapropter Danæus ſcribit in dialogo, Sagam in vinculis relinqui non oportere ſolam, ne cum diabolo communicet, aut ſilentii faſcinum accipiat à Satana, quo faſcino permulti Magi homicidiorum aliorumque criminum accuſati ne quid faterentur abuſi ſunt. Execrandi huius faſcini exemplum legi excuſum typis cum priuilegio: ſed hoc loco non placet apponere, ne cui occaſio præberi vel minima videatur hoc argumento noſtro abutendi. Mirabilius vero illud, non poſſe Magos, quocunque tandem dolore opprimantur, lachrymam vnicam oculis emittere: quo ſigno Germani Iudices, velut præſumptione certiſſima, mulierem Sagam eſſe arguunt. Nam procliues ad lachrymandum eſſe mulieres nemo neſcit: verumtamen Sagas compertum eſt nunquam lachrymari,

mari, vtcunque oculos ſputis conentur madefacere. Ante omnia vero mirabile eſt, quod Sprangerus Quæſitor annotauit, Sagam, licet captiuam, Iudicis animum ad miſericordiam poſſe inflectere, ſi prior oculos potuerit in Iudicem defigere. Idemq; autor eſt, nihil tantopere Sagas, de quibus ipſe cognoſcebat, à cuſtodibus in carcere flagitaſſe, quam vt ſuos iudices ante congreſſum videre poſſent: itaque omnes iudices, qui priores viſi à Sagis fuerant, quamuis iam ante plurimas longe minorum criminum affines condemnauiſſent, tum repente à condemnatione earum abhorruiſſe. Conſtantiſſimus autem eſt conſenſus omnium, Magos adminiſtris iuris nocere non poſſe: quamquam lictores multi pone adorſi attollunt è terra Sagas, alii vero intrepide ad intimas vſque ipſarum ſpecus perſequuntur. Arcanum Dei mirabile, & à iudicibus optime recolendum, ipſos non aduerſus humanas poteſtates ſolum, ſed etiam contra ſpirituum malignorum vires à Deo protegi. Ac propterea in Lege dicitur: Cum iudicabitis, ne Deut. 1. metuatis ab yllo: nam iudicium eſt Dei. Et Ioſaphat Rex Iudæ commendans Iudicibus officium ſuum, Videte, ait, quid ſitis facturi, & mementote à vobis exerceri iudicium Dei. Et in Orientis partibus actores ſine viatorum opera prehendentes oram veſtimenti eorum, quibuſcum iure experturi ſunt, dicere ſolent, adeamus iuſtitiam Dei. Hebræi veteres affirmabant, Angelos Dei intereſſe iudiciis, & Franciſcus Alua-

rezius ſcribit, Iudices in Æthyopia inſidentes ſubſelliis relinquere vacuas in editiore loco cathedras 12. & dicere, has ſedes Angelorum eſſe. Dixerit fortaſſe quiſpiam, captiuas Sagas in ecſtaſin rapi, (vt ante oſtendimus) exortesq; ſenſus fieri poſſe: ego vero non poſſe confirmo, cum ſupplicium non poſſint effugere. Exemplum vnum adhibebo. Fuit Cazareis ad Tholoſam Saga, quæ benedicto pane altari oblato ad ſubmergendum ſe abiit: cumque retracta eſſet, benedictum panem faſſa eſt ſe veneno infeciſſe: canibus proiicitur panis, moriuntur illi. Hæc in vinculis ecſtaſin horas amplius ſex paſſa eſt omnis ſenſus expers, deinde exſurgens clamauit ſe valde defeſſam eſſe, & nuntios à multis locis retulit cum certis indiciis. Cum autem damnata illa prope eſſet, vt iudicatum fieret, diabolum aduocauit dicens, cum ſpopondiſſe tam vehementes futuros imbres, vt non eſſet ignem expertura: ſed ea nihilo magis defenſa eſt ab ignis violentia. Itaque non eſt cur metuant iudices à conficiendis libere ſagarum iudiciis: prout ſunt qui fugiunt trepidi, & Magos non audent in os reſpicere. Quamquam ne decimam quidem eorum quos vellent morte aſſiciunt Magi: vt Niderus ſcribit, Magum quemdam in confeſſionibus dixiſſe, rogatum quidem ſe fuiſſe vt inimicum occideret, ſed omnibus diabolicis facultatibus conſumptis Satanam dixiſſe, homini iſti nocere non poſſe. Videmus itaque, ne improbos quidem à Magis offendi

ſendi poſſe, niſi Deus permiſerit: ecqui igitur ei nocere poſſint. Pſal.91.

Qui ſedet in latebris & celſi numinis vmbra,
Arx & perſugium, ſtatuit mens conſcia recti,
Et ſpes certa Deus: hoc vno freta quieſcit, &c.
Nil metuens vnquam, terrores nocte ruentes
Vt frendant, ſtridant volitantes luce ſagittæ,
Lethiferum tenebris vt peſtis virus oberret.
Vt clara de luce lues mortalia tundat
Corpora, mille ruant dextris & mille ſiniſtris
Tela, nec attingent vnquam minitantia mortẽ, &c.
Cum tibi perſugium Deus eſt tectumq́; receptus,
Non te mica mali attinget, non vulnera tectum:
Angelicas etenim præcepit ſtare cohortes,
Sollicitaq́; vijs te ſemper mente tueri.

Hebræorũ Theologus Salomo, pro his vocibus, *peſtis, virus & lues*, voces דבר & חטב interpretans, voce *Deber* tradit ſignificari dęmonem, qui offendit noctu: cum vero, qui interdiu poteſt offendere, *Cheteb*. Verumtamen dies & noctes ſpeculatur Satanas, æque interdiu ac noctu offendit: licet eum Veteres omnes conſentiant plus de nocte poſſe, quemadmodum in Ægypto primogenita hominum pecudumque noctu è medio ſuſtulit. Hoc innuit Pſalmus 104. cum leo & agreſtes ferę dicuntur nocte ad p̄dam ex antris procedere, & die illuceſcente latebras repetere: & Zoroaſtes prouerbio ſuo, Ne exito cum præterit carnifex. Non quod ab affligendis electis ſuis abſtineat Deus, affligit enim ſæpenumero: ſed hoc fructuoſum eſt ipſis, vtile

& honorificum, prout de Iobo diximus, nec vnquam fidem in ſe habentes deſerit: quemadmodum dicebat Iob, vt morte me afficiat Deus, ſemper tamen ſperabo in ipſo: & Salomo in libro Sapientiæ agens de improbis, qui occidunt bonos, vt videant, ſitne eos ſeruaturus Deus, iuſtos ait pauculo dolore ex hoc mundo liberatos vita æterna perfrui. Hæc annotare viſum eſt, quia Moyſes Maymonis afflictionem niſi ex peccato negat accidere, pœnamque niſi ex culpa: quam ſententiam Baldad & Eliphaz in libro Iobi defenderunt, Deus improbauit iudicio & facto, (qui Iobum illum, quem virum rectum & integrum eſſe prædicauerat, affecit malis) & ipſe Eliphaz in libro Iobi damnauit, quod prope intelligi omnino neceſſe eſt. Sunt quidem raræ afflictiones iuſtorum; nam quotuſquiſque eſt Iobo ſimilis? quis iuſtus poſſit appellari? atque hæ afflictiones amoris virgæ appellantur. Nam etſi docet Ambroſius, Deum peccata in hoc mundo impunita non plane relinquere, ne quis aut Deum non eſſe aut fauere improbis putauerit, neque omnium pœnas exigere, ne quis poſt hanc vitam non credat eſſe alteram: hæc tamen ratio Hebræis non ſatisfacit, qui axioma iſtud certiſſimum & indubitatum eſſe volunt, afflictionum quæ bonis accidunt vſum eſſe, vt probetur ipſorum conſtantia, felicitasque geminetur & benedictio, aut etiam vt in hoc mundo purgentur ab iis peccatis, quæ vel ſanctiſſimus quiſque ſolet committere, vt

Lib. 3. more nebocim.

Lib. Pirke aboth.

poſt

poſt hanc vitam felicitate perfecta frui poſſint: quod autem voluptates improbis & diuitias interdum largitur Deus, id boni præmium eſſe quod in hac vita fecerint (nemo enim eſt tam improbus quin Deus perficiat ex ipſo gloriam ſuam,&ipſe aliquid faciat boni) vt poſt hanc vitam luant pœnas meritas: atque eo pacto & offenſæ puniantur, & benefacta recipiant mercedem iuſtam: hoc illud ampliſſimum ſacræ Scripturæ documentum eſſe, cum dicitur Deus iuſtitiam, iudicium, & miſericordiam exercere. Iuſtitiam, cum veram mercedem tribuit bonis operibus: Iudicium, cum diſcernit pœnam ex iuſto maleficii merito: & miſericordiam, cum præmium virtute maius aut pœnam minorem peccato infert. Bonorum igitur afflictionem ipſis in bonum permagnum cedere certo certius eſſe ſtatuimus, improborum vero præmia in ruinam grauiſſimam: quod Stoici vno verbo dixerunt, nihil boni poſſe improbis accidere, nihil mali bonis. Interdum enim ad honores improbus tollitur ad eum duntaxat finem, vt gloriæ Dei (quod ait Salomo) in die vindictæ ſeruiat. Nunc poſtquam de modis licitis ad prę-uertenda & impedienda maleficia Magorum diximus, agedum videamus de modis illicitis, qui anticipandis maleficiis, aut ſi illata fuerint amoliendis adhibentur.

CAPVT V.

De modis illicitis qui ad præuertenda maleficia adhibentur, morboſque & faſcinationes auertendas.

HÆc quæſtio difficillima eſt omnium quæ in hanc cauſam afferri poſſunt, de qua nondum inter Theologos, Canoniſtas, & Iuriſconſultos conuenit. Horum enim eſt ſententia, licere maleficia ſuperſtitioſis modis depellere: ſic Canoniſtæ ſentiunt, nominatim vero Hoſtienſis, Panormitanus, Goffredus Humbertinus, & alii nonnulli etiam Theologi, vt Scotus ſubtilis Theologus libro quarto diſtinctione triceſimaquarta, ſuperſtitionis eſſe dicēs ſi quis ſtatuat non eſſe maleficium ſuperſtitione depellendum. Cæteri vero Theologi ac periſſimi, ad idololatriā & apoſtaſiam tradunt pertinere, ſi quis diabolorum & Magorum vtatur ope ad impediendā depellendaue maleficia (ſic deciditur hæc quæſtio lib. 2. ſententiarum diſtinct. 7. ſic Aquinas in eandem diſtinctionem, ſic Bonauētura, Petrus Albertus, & Durandus) ſiue maleficium per Magi operam tollatur maleficio, ſiue is qui non eſt Magus ſuperſtitioſis modis eximat à maleficio & illud in alterum transferat, ſiue expreſſe aut tacite diabolus inuocetur: omneſque honeſtam mortem antepomendam ſentiunt. Atque hæc quidem ſanctiſſima opinio eſt, altera damnanda & Lege Dei vetita, vt poſtea demonſtrabimus. Itaque D. Baſilius

L. eorum de malefic. C. Raymundus de villa noua ſcripſit remedia cōtra maleficia.

Digitized by Google

filius in Pſalmum 45. eos deteſtatur vehementiſſime, qui Satanam vel Magos adeunt, & iſtis præſtigiis valetudinis ergo abutuntur: & Chryſoſtomus homil. 8. in epiſtolam ad Coloſſenſes, Citius, inquit, mors homini Chriſtiano ſubeunda, quam vita ligaturis redimenda. Sed hæc breuius ſecant Theologi quam ſit opus, iudicio meo. Nam ſumma tantum attingunt artium magicarum capita, cum tamen omnes viæ præcludendis malis, peſti, bello, fami, morbo, calamitatibus, ſiue vniuerſe ſiue ex parte coniunctę ſuperſtitioni pro illicitis habendæ ſint. Superſtitionem dico, quia naturales & diuini modi quos ad præuertenda pellendaque mala nos docuit Deus, ſunt fueruntq; ſemper conceſſi atque laudabiles. Quoniam vero in Iobo legimus nullam eſſe in terris potentiam quam formidet Satanas, ſuperſtitioſum eſt ſuper liminari ianuæ appendi ſquillam ad impediendum faſcinum: ſed res creatę cum precibus ſanctis adhiberi poſſunt, vt Deus qui ſolus eſt in mundo omnipotens exoretur: quemadmodum legimus Angelum hepate piſcis & ſuffimentis vti, precibuſque malignum ſpiritum depellere, qui ſeptem illius puellæ viros quam Tobias duxit occiderat. Et quamuis ſalem perhorreſcant diaboli velut æternitatis ſymbolum, & Deus ſalem omnibus ſacrificiis imperet adhiberi, vt populum fortaſſe auocet ne diabolis ſacrificet: quicunque tamen ſalem circumferunt non propterea ſunt exortes inſidiarum Satanæ, niſi fidem

Tobię 5.

Leuit. 2.

fidem in Deum habuerint: alioqui ſalem ferri aut politum dactyli nucleũ (quod eſt apud Plinium lib.13.cap. 4.) vt ſine precibus impediantur aut abigantur maligni ſpiritus, illud eſt idololatriæ. Latini quæ ad amoliendum & præuertendum malum pertinent, amuleta vocant: quę ad medicandum depellẽdumque, remedia. Verum & horum amuletorum & περιβασκανίων administrum, autorem & inuentorem Satanã eſſe demonſtremus, itemque remediorum quibus ſortes & maleficia depelluntur: veteres ac Romani ipſi puerorum collo ſolebant pudendi membri ſpeciem appendere, quam appellabant faſcinum, vt eſſet (prout aiebant) præfiſcine, & ſortilegia auerteret, idque ex electro maxime, q. Plin. innuit lib.36.ca.3. turpem omnino modum & diabolicum animis ad libidinem inflammandis. Cumque ab Hiſpanis Occidentales inſulæ ſubigerentur, compertum eſt Pæderaſtiæ imaginem, Pædiconis inquam, & Cinædi, ab Inſulanis ſuſpẽſam collo geſtari pro amuleto, turpiſſimo inſtituto. Etenim circumfluebant gentes illæ Sodomia, turpiſſimis & deteſtandis ſceleribus, magiciſque artibus omnis generis: ideoque omnes fere ſunt ab Hiſpano profligati. Hoc diabolicum inuentum eſſe nemo ſanus infitiabitur. Alia quoque amuleta exſtant non æque turpia quidem illa, ſed æque illicita, vt cum illigatæ ſcripturæ chartulæque geſtantur εἰς περιφύλαξιν, de quibus Auguſtinus libro de doctrina Chriſtiana, Ad hoc genus, inquit, pertinent

tinent ligaturæ.execrabiliumremediorum, ſiue votis ſiue quibuſuis aliis rebus ſuſpendendis & ligandis: quibus quandoadhibetur fides, illicita eſt idololatria. Barbara Dorea (quæ decreto Curiæ ſententiam Præfecti S. Chriſtophoro ad Sanliſium confirmante cremata fuit decimonono Ianuarii Anno M. D. LXXVII.) fatebatur ſe iis quos faſcinauerat medicinam feciſſe diſſiſſa columba, & ægroti ſtomacho impoſita cum his verbis, In nomine Patris, filii, & Spiritus ſancti, D.S. Antonii, & D. S. Michaelis Angeli curari poſſis ab hoc malo, & mandauiſſe vt nouem diebus miſſam in templo illius vici curarent celebrari. Nemo tam catholicus eſt cui hæc ratio non probetur ſummopere: Ego vero (licet per ſe bona verba eſſent) confirmo id blaſphemum eſſe contra maieſtatem Dei, cum à Satana aut Mago diſcipulo Satanæ fuerit traditum: præterea officium eſſe omnium, vt orationes iſtas à Satana profectas perhorreſcant: hæc enim remedium ſe fatebatur à Satana didiciſſe, vt apparet ex quæſtionibus illius, quarum exemplum miſit ad me generoſus Dominus Pipemontenſis. Similiter cum nuptæ annulus accipitur ad nodationem ſoluendam, & per eum fit illud quod horreo dicere, res illicita eſt: nam in hac re vir auerſus à Deo auxilium eſſe ſtatuit, nec dubium eſt quin diabolus ad eam manum porrigat. Sunt etiam qui nuptias eodem ritu repetunt quo ante celebrauerant, cum alligati ſunt, atque hoc pacto exſoluuntur. In Germania

nia quoque ſunt homines qui in olla feruefaciunt lac illius vaccæ quam Saga exhauſerit, & certis vocibus (quas reticere placuit) enuntiatis ollam ictibus baculi feriunt, eodemq; momẽto dicunt diabolum Sagam dorſo tot ictibus petiturum eſſe: & hoc illicitum. Sic enim mos conſilio Satanæ geritur, qui eam quæ Saga non eſt hac via ad idẽ facinus allicit, dum rem animaduertit adeo mirabilem. De antidotis Apuleii ad ſpeciem aſini amittendam idem iudicium, recentes roſas, aniſum, aut folia laurina ex aqua fontana comedi oportere. Sprangerus ipſe in hoc errore eſt, hominem in beſtiam transformatum, ſi aqua peremni lauetur, figuram recipere. Naamanem quidem Syrum Eliſæus curans ſepties iuſſit in Iordane profluente lauari: at eum non aqua purgauit, ſed Dei gratia. Non diſſimili remedio cognituri Germani quæ Saga impotentem equum & languentem effecerit, ad certas ædes vſque trahunt alterius equi viſcera, in non ianua ſed cella ingreſſi aut ſpecu ſubterranea, viſcera illa conſumunt igne. Tum malefica quæ commiſit malum, dolorem colicum in inteſtinis ſentiens ad ædes contendit recta vbi cremantur viſcera, vt prunum candentem poſtulet, & dolor illius deſinat. Quod ſi non aperiantur fores, ædes offunduntur tenebris, tonitru perſonant horrendo, ruinamque minitantur niſi qui intus ſunt aperiant: quod Sprangerus ſcribit in Germania obſeruatum, & à ſe viſum. A D. Antonio Lonanio generali Regis

Legato

Legato apud Ribemontenſes accepi fuiſſe Magum, qui cribro Magũm alterũ pronũtiatis quibuſdam vocibus retexerit. Proferebãtur nomina omnium qui in ſuſpicione erant, cumq; viri illius nomen cui culpa inerat efferretur, indeſinenter mouebatur cribrũ, & Magus affinis culpæ eodem aduentabat: quod vbi cõpertum eſt, fuit damnat⁹ Magus. At illius quoq; Κοσκινομάντεος conſtituendum erat iudicium. Hæc omnia ex arte ſunt diabolica, vt quicunq; iſthæc viderint miracula audacius ad perueſtigãdas omnes Magiæ artes prouehãtur: nam Magum iam nouit Satanas eſſe ſuũ, venatur alios. Memini aliquando mihi narrare D. Bordinum generalem procuratorem regis, cum totum ipſius pecus in villa apud Meldẽſes moreretur, fuiſſe vxori dictum beſtiam quandam occidendam eſſe, quam hic nõ placet exponere, eamq; pedibus ſurſum verſus ſub limine ſtabuli ſuſpẽdere oportere enunciãdo certas voces quas hic apponi non eſt opus: hoc facto, nullam ex pecudibus ſuis periiſſe. Qua in re hoc lucri faciebat Satanas, quod ſacrificiũ fiebat ad placandum ipſum deteſtãda idololatria. Sprangerus ait vt Sagæ templum ingreſſę prohibeantur egredi, moris in Germania eſſe vt puerorũ aliquot calcei axũgia ſuilla oblinantur: hoc facto, dũ in ęde morãtur pueri, non poſſe Sagas ſine illorum venia excedere: idemq; certis verbis quæ hic reticebo ſcribit pſtari poſſe. Nonne vero, dixerit quiſpiam, optimũ inſtitutum eſt Magos, qui pœnas luunt maleficiorũ, reue-

reuelari? fateor illud quidem, etiam fures latroneſque reuelari optimum: ſed nunquam faciendum malum (inquit Paulus) vt eueniat bonum: idque in rebus magicis minime omnium. Atqui hac in re duplex Satanæ fit acceſſio, tum quod Sagæ ab eorum locorum acceſſu auertuntur vbi Dei verbum audituræ eſſent, tum quod his techniis iuuentus ad diabolum de rerum occultarum veritate conſulendum pertrahitur. Plurima antidota cuiuſmodi ſunt hæc ridiculaque amuleta in Plinio legimus, vt nouas nuptas cum viris primum congreſſuras poſtes lupino adipe ſolitas perungere, ne quid mali medicamenti inferretur. Sic Libro 37. cap. 9. Sapphirum albam ſi Lunæ nomen ac ſolis ſcribatur in iis, atque ita ſuſpendantur è collo capillis cynocephali, reſiſtere veneficiis & adeſſe reges adituris: ſed Cynocephalos, qui nuſquam exſtant, oportet inueniri: & cap. ſequente eiuſdem libri, Antipathen coctam in lacte contra effaſcinationes auxiliari, ſed eam nigram nec träslucentem, in quo altera fraus eſt ineptiſſima. Antirrhinon quoque herbam perunctos venuſtiores efficere, nec vllo malo medicamento lædi poſſe aut veneno qui eam in brachiali habeat: Euplea perunctos commendatioris eſſe famæ. Artemiſiam aduerſus mala medicaměta prodeſſe: omnes fabulas certiſſimas. Sed non mediocriter miratus ſum qua ſpecie Chriſtiani Cęſares legibus promulgauerint licere iſtis ſuperſtitionibus tempeſtates & morbos propellere, cum

Lib. 28. ca. 19.

Lib. 25. ca. 10.

cum Romani eos capitali ſupplicio affecerint qui furem ſolum magicis artibus retexerant, dum adhuc à fide Chriſti alieni eſſent, nec fidem iſtis artibus haberi voluerint. Extat l. item apud Labeonem. §. ſi quis aſtrologus, de iniuriis ff. Hoc etiam inſuper addimus, nefas eſſe in liminibus ianuarum perquiri ad tollendum cereas imagines, ſemina, oſſaue quæ appoſuerint Magi hominibus, vt putant, & pecoribus enecandis (In hoc enim incumbit Satanas vt credatur has ab ipſo vires indi ceræ atque pulueribus) ſed Deum ſolummodo adiri oportere, & pro certo haberi quod in Cantico Moſi dato dicitur, ab eo ſolo mortem & morbos immitti, neque malum aut afflictionem vllam niſi ab ipſo obtingere. Cum itaque hoc malo Satanas abutatur & delectetur plurimum, ſapienter eos Sorbona damnat hæreſeos qui ab iſtis pulueribus venire putãt maleficium: & D. Hieronymus de vita S. Hilarionis agens narrat Satanam in puella dæmoniaca quam obſidebat loquutũ eſſe, dicendo ſe non exiturum niſi lamina ærea quã amator puellæ ſubdiderat ianuæ auferretur: hoc noluiſſe Hilarionem facere, & precibus apud Deum puellam liberauiſſe. Alii per flammam tranſmittunt puerulos præſeruãdos à malo, & traducunt igne, quam Amorrhæorum abominationem notauit Scriptura ſacra: & huic perſimilem ſtolidioribus mulierculis imperant Sagæ, vt liberos inter duas cruces geſtent, ſic eos beatos fore: quod nos in ſupplicationibus

vidimus. Oportet igitur ad Deum ſolum confugere: ac propterea Sorbona definiuit hæreſin eſſe plane, ſi quis maleficia maleficiis depulerit: idque in determinatione facta die 19. Septembris M.CCC. XCVIII. vbi non illud dicitur, non poſſe Satanam & adminiſtros ipſius maleficium maleficio pellere, ſed hoc impietatis eſſe ſi quis remedia iſta quæſiuerit. Nam ſi corporis malum Satanas curauerit, ſemper animæ infligit vulnus. Exemplum producam, quod Ioannes Martinus vices Præfecti Laodunenſis agens mihi expoſuit: non enim aliunde veritas melius cognoſci poteſt quam ex Iudicibus in hac cauſa verſatis, & frequentibus quæſtionibus habitis certiſſimam adeptis exercitationem. Cum igitur ille de Saga S. Probæ in iure cogniturus eſſet (hæc autem cæmentarium tanta affecerat inualetudine, vt ipſius caput inter crura fere propenderet incuruo corpore, quod malum ipſe à Saga ſibi ſuſpicabatur importatum) vt cõſideratus iudex, Sagæ renuntiari iuſſit ipſam non alia ratione poſſe vitæ ſuæ conſulere quam ſi cæmentarium ſanauerit. Faſciculum itaque à filia ſua domo afferri iubet, diabolum inuocat, directo in terram vultu carmina quædam coram omnibus muſſitat, & faſciculum tradẽs cæmentario lauari eum in balneo præcipit, & illud quod faſciculo incluſum erat in balneum indere cum his verbis, abi per diabolum, hunc ait, non alium eſſe reualeſcendi modum. His factis curatus fuit cæmentarius. Verumtamen ante-

quam

quam ea inderentur balneo volentes nonnulli cognoſcere quid in faſciculo eſſet (quod illa fieri vetuerat) tres paruulos in eo lacertos deprehenderunt: Cæmentarius verò dum in balneo eſſet, quaſi tres grandes carpiones ſentiebat in eo: cum exceſſit ex eo, quamuis perueſtigarentur diligentiſſime, nec carpio nec lacertus inuentus eſt. Saga viua fuit concremata & permanſit ἀμεταμέλητος. Hic vero manifeſta eſt idololatria blaſphemiaque pariter, quando res vlla in nomine diaboli & cum inuocatione illius perficitur. Aſtutiores & improbiores alii, nec ita impudentes Magi, qui loquuntur ſanĉte & ieiunia indicunt hominibus, vt nobilis ille Nortmannus fecit anno M.D.LXX I. Aliud legimus in horto Antonii de Turquamedia libr. 3. de Mago quodam, qui homini ruſtico quem videbat à cane rabido fuiſſe morſum dixit, ſe eſſe *Salutador*, ſeruatorem, *pero que no perdais la vita*, vt (inquit) non amittas vitam: cumque ter illius naſum ad miſſionem vſque ſanguinis pupugiſſet, ille ſanatus eſt. Videmus vt iſte impoſtor ſe ſeruatorem dicat, qua blaſphemia fides in Deum non minus abominanda voce eripitur quam ſi inuocetur Satanas. Deus autem apud Eſaiam, ego ſum, inquit, maximus Deus æternus immittens vitam & mortem, ſanitatem & morbum: neq; alibi quam in me vno eſt ſalus. Dum hæc à me conſcriberentur: Carolus Martinus Præfectus Laodunenſis factus certior mulierem pauperem in valle (id ſubur-

bii Laodunenſis nomen) fuiſſe à Saga vicina faſcinatam, miſertuſque illius, necem interminatus eſt Sagæ niſi morbum vicinæ adimeret. Metuens illa promiſit ſe curaturam: itaque ad pedes cubilis venit, vultum in terram demittit, manus iungit, diabolum maximum magna voce appellat, ſubinde preces renouat voces incognitas aliquot repetens, & fruſtum panis ægrotæ tradit, quæ eodem momento cœpit reualeſcere. Hoc facto Præfectus reuertens domum ſtatuebat eam comprehendere, & igni quamprimum tradere: ſed illa in his partibus ex eo tempore non fuit conſpecta. Quo in facto illud eſt euidens, diabolum æque ab ægrota atque à ſaga inuocatum & adoratum eſſe: præſtat autem mori millies quam deteſtandum remedium corpus ſeruans animamque occidens experiri. Geſtum quoque ſagæ vultum applicantis in terram animaduertimus ritum imitari Prophetarum veterum, Moſis, Ioſuæ, Eliæ, de ira Dei ſedanda laborantium, omnium autem ſceleratiſſimæ Sagæ & ſumme execrabiles in foſſulas quas fecerunt capita inferunt, vt teſtificentur Satanam à ſe, non Deum inuocari, & clara voce aduocant Satanam. Quo ſpectat illud Apuleii de Pamphila Saga Lariſſana in horribiles ſuas coniurationes incumbente, cum ait, Deuotionibus in ſcrobem procuratis. Aliis neque inuocare libet, neque diabolicis inuocationibus intereſſe, at non dubitant adire Magos vt valetudinem conſequantur. Exemplum recens produce-

ducemus, acceptum à Præſide Vitriaci Franci honorato viro, qui ad conuentus maximos Bleſis fuerat allegatus anno milleſimo quingenteſimo ſeptuageſimoſeptimo. Cum indigeremus opera illius vt alii alios in communi onere iuuaremus, inſtiti acerrime ne ante loco excederet quam Ordines dimiſſi eſſent: reſpondit ſibi amicum eſſe quemdam qui ad mortem decumberet, ab eo ſe accerſi & hæredem inſtitutum eſſe: hunc inde ab annis quinque aut ſex ægrotum fuiſſe & membris fractum: ideoque parentem admonitum in Flandria eſſe hominem à quo filius curari poſſit eo ſtatim abiuiſſe: Magum parenti morbum filii quem nunquam viderat explicaſſe, & in Luſitaniam vſque ad Magum alterum (cuius indicauit nomen) in comitatu regio verſantem ablegaſſe. Hoc ferētem æquo animo patrem in Luſitaniam abiuiſſe, vbi Magus parenti, antequam ſolum hiſceret, Amice, inquit, filius tuus breui ſanabitur, abi in Galliam, inuenies Nouiodunum verſus ad vigeſimũ milliare à domo tua quemdam M. Benedictum (ſunt autem multi hoc nomine) hic filium tuum curaturus eſt. Miratum itaque parentem peregrinationem tantam ſuſceptam eſſe, vt perueſtigaret procul quod prope aderat, ſumpſiſſe animum, & ad M. Benedictum iuiſſe: hunc autem parenti dixiſſe, plurimum laboris conſumpſiſti in Flandriam Luſitaniamque proficiſcens, vt reſtituatur filius tuus, abi, iube ipſum venire ad

ferret) ad ſe adduci iuſſit. Hic apud regem & frequentem procerum coronam confeſſus eſt modum quo exportantur Magi, ſaltationes, ſacrificia Satanæ oblata, nefarios concubitus cum diabolis virilem & muliebrem formam habentibus: addebat à ſingulis pulueres acceptos eſſe quibus homines, pecora, fructuſque enecarent. Hæc illius dicta ſingulis mirantibus Gaſpar Collignius Galliæ Amiralius (nam hic forte intererat) dixit adoleſcentem in Pictonum agro ante aliquot menſes fuiſſe comprehenſum, de nobilibus duobus enectis accuſatum; hunc fuiſſe confeſſum vt ſeruus eorum fuerit, eoſque viderit pulueribus in domos ſegeteſque iniectis dicentes hæc verba, Maledictio in iſtos fructus, in domum, in regionem iſtam: ſe itaq; hos pulueres nactum cepiſſe & in cubile inieciſſe vbi duo illi nobiles recumbebant, ſic vtrunque mortuũ in cubili fuiſſe compertum, ſed tumentes & atros valde. Puerũ Iudices abſoluerunt. Tum audiens Triſſcalanus iſtud permulta etiam narrauit eiuſmodi. Credibile eſt autem ſi Rex (cuius alioqui corpus optima fuit cõpage & conſtitutione) hunc Magorum principem & alios aſſeclas iuſſiſſet concremari, Deum pro iſtis iudiciis fuiſſe ipſi diuturniorem vitam & beatiorem cõceſſurum. Nam Dei verbum ſibi ſemper conſtat, qui virũ morte dignum abſoluerit, hunc in ſeipſum meritam illius pœnam refundere: vt Propheta regi Achabo dixit ipſum, quia gratiam viro

morte

morte digno fecerat, moriturum. Id vero inauditum eſt ab omni ſeculo, Magis gratiam indulgeri. Factum quidem dicetur iſtud, vt ab illo indicarentur conſcii: ſed omnes nihilominus effugerunt. Verum vt eo vnde diſceſſerat reuertatur oratio, Sprangerus (qui Sagas innumeras adiudicauit morti, earumque ſecreta peruidit) maleficiorum ſcribit alia eſſe incurabilia, alia curari non aliter poſſe, quam ſi in alterum ſors tranſmittatur: alios curare in eum reiecta ſorte qui prior iniecerit, alios ab vnico ſanare morbo, alios à pluribus, alios non curare niſi ad miliaria 2. in ambitum domus ſuæ, idque homines certos, alios nunquam ſortem niſi ex illius conſenſu qui immiſit eximere. Ipſi autem ex Magis ſciſcitanti cauſam, reſpondiſſe, pro ratione contractus cum Satana initi conuentionumq; ab iis expreſſarum, qui ſeſe mancipant fieri omnia. Atque hoc in Germania tam fuit frequens illius tempore, (vt omnibus ſeculis fuerat) vt idem ſcribat, dominum vici Richtighaffen in Conſtantienſi agro canonem ab iis exegiſſe, qui effaſcinationis cauſa Sagam vici ſui accedebant: ſic conueniebat optime & reciproca erat obligatione inter dominum illius vici & Satanam: imperitum autem vulgus deludebatur à diabolo, cum loco Dei, quem (vt magnus ille Elias aiebat Regi Ochoziæ) debuerant accedere, adirent diabolum conſulturi. Idem autor eſt, multos nobiles viros nundinationem iſtam in Germania factitaſſe, cuius tamen reos

CAPVT V.

De modis illicitis qui ad prauertenda maleficia adhibentur, morboſque & faſcinationes auertendas.

HÆc quæſtio difficillima eſt omnium quæ in hanc cauſam afferri poſſunt, de qua nondum inter Theologos, Canoniſtas, & Iuriſconſultos conuenit. Horum enim eſt ſententia, licere maleficia ſuperſtitioſis modis depellere: ſic Canoniſtæ ſentiunt, nominatim vero Hoſtienſis, Panormitanus, Goffredus Humbertinus, & alii nonnulli etiam Theologi, vt Scotus ſubtilis Theologus libro quarto diſtinctione triceſimaquarta, ſuperſtitionis eſſe dicēs ſi quis ſtatuat non eſſe maleficium ſuperſtitione depellendum. Cæteri vero Theologi ac peritiſſimi, ad idololatriā & apoſtaſiam tradunt pertinere, ſi quis diabolorum & Magorum vtatur ope ad impediendā depellendaue maleficia (ſic deciditur hæc quæſtio lib. 2. ſententiarum diſtinct. 7. ſic Aquinas in eandem diſtinctionem, ſic Bonauētura, Petrus Albertus, & Durandus) ſiue maleficium per Magi operam tollatur maleficio, ſiue is qui non eſt Magus ſuperſtitioſis modis eximat à maleficio & illud in alterum transferat, ſiue expreſſe aut tacite diabolus inuocetur: omneſque honeſtam mortem anteponendam ſentiunt. Atque hæc quidem ſanctiſſima opinio eſt, altera damnanda & Lege Dei vetitā, vt poſtea demonſtrabimus. Itaque D. Baſilius

L. eorum de malefic. C. Raymundus de villa noua ſcripſit remedia cōtra maleficia.

ſilius in Pſalmum 45. eos deteſtatur vehementiſſime, qui Satanam vel Magos adeunt, & iſtis præſtigiis valetudinis ergo abutuntur: & Chryſoſtomus homil. 8. in epiſtolam ad Coloſſenſes, Citius, inquit, mors homini Chriſtiano ſubeunda, quam vita ligaturis redimenda. Sed hæc breuius ſecant Theologi quam ſit opus, iudicio meo. Nam ſumma tantum attingunt artium magicarum capita, cum tamen omnes viæ præcludendis malis, peſti, bello, fami, morbo, calamitatibus, ſiue vniuerſe ſiue ex parte coniunctę ſuperſtitioni pro illicitis habendæ ſint. Superſtitionem dico, quia naturales & diuini modi quos ad præuertenda pellendaque mala nos docuit Deus, ſunt fueruntq; ſemper conceſſi atque laudabiles. Quoniam vero in Iobo legimus nullam eſſe in terris potentiam quam formidet Satanas, ſuperſtitioſum eſt ſuper liminari ianuæ appendi ſquillam ad impediendum faſcinum: ſed res creatę cum precibus ſanctis adhiberi poſſunt, vt Deus qui ſolus eſt in mundo omnipotens exoretur: quemadmodum legimus Angelum hepate piſcis & ſuffimentis vti, precibuſque malignum ſpiritum depellere, qui ſeptem illius puellæ viros quam Tobias duxit occiderat. Et quamuis ſalem perhorreſcant diaboli velut æternitatis ſymbolum, & Deus ſalem omnibus ſacrificiis imperet adhiberi, vt populum fortaſſe auocet ne diabolis ſacrificet: quicunque tamen ſalem circumferunt non propterea ſunt exortes inſidiarum Satanæ, niſi fidem

Tobię 8.
Leuit. 2.

fidem in Deum habuerint: alioqui ſalem ferri aut politum dactyli nucleũ (quod eſt apud Plinium lib. 13. cap. 4.) vt ſine precibus impediantur aut abigantur maligni ſpiritus, illud eſt idololatriæ. Latini quæ ad amoliendum & præuertendum malum pertinent, amuleta vocant: quę ad medicandum depellẽdumque, remedia. Verum & horum amuletorum & περιβαστανίων administrum, autorem & inuentorem Satanã eſſe demonſtremus, itemque remediorum quibus ſortes & maleficia depelluntur: veteres ac Romani ipſi puerorum collo ſolebant pudendi membri ſpeciem appendere, quam appellabant faſcinum, vt eſſet (prout aiebant) præfiſcine, & ſortilegia auerteret, idque ex electro maxime, q; Plin. innuit lib. 36. ca. 3. turpem omnino modum & diabolicum animis ad libidinem inflammandis. Cumque ab Hiſpanis Occidentales inſulæ ſubigerentur, compertum eſt Pæderaſtiæ imaginem, Pædiconis inquam, & Cinædi, ab Inſulanis ſuſpẽſam collo geſtari pro amuleto, turpiſſimo inſtituto. Etenim circumfluebant gentes illæ Sodomia, turpiſſimis & deteſtandis ſceleribus, magicíſque artibus omnis generis: idcoque omnes fere ſunt ab Hiſpano profligati. Hoc diabolicum inuentum eſſe nemo ſanus infitiabitur. Alia quoque amuleta exſtant non æque turpia quidem illa, ſed æque illicita, vt cum illigatæ ſcripturæ chartulæque geſtantur *εἰς περιφύλαξιν*, de quibus Auguſtinus libro de doctrina Chriſtiana, Ad hoc genus, inquit, pertinent

tinent ligaturæ execrabilium remediorum, ſiue votis ſiue quibuſuis aliis rebus ſuſpendendis & ligandis: quibus quando adhibetur fides, illicita eſt idololatria. Barbara Dorea (quæ decreto Curiæ ſententiam Præfecti S. Chriſtophoro ad Sanliſium confirmante cremata fuit decimonono Ianuarii Anno M. D. LXXVII.) fatebatur ſe iis quos faſcinauerat medicinam feciſſe diſſiſſa columba, & ægroti ſtomacho impoſita cum his verbis, In nomine Patris, filii, & Spiritus ſancti, D. S. Antonii, & D. S. Michaelis Angeli curari poſſis ab hoc malo, & mandauiſſe vt nouem diebus miſſam in templo illius vici curarent celebrari. Nemo tam catholicus eſt cui hæc ratio non probetur ſummopere: Ego vero (licet per ſe bona verba eſſent) confirmo id blaſphemum eſſe contra maieſtatem Dei, cum à Satana aut Mago diſcipulo Satanæ fuerit traditum: præterea officium eſſe omnium, vt orationes iſtas à Satana profectas perhorreſcant: hæc enim remedium ſe fatebatur à Satana didiciſſe, vt apparet ex quæſtionibus illius, quarum exemplum miſit ad me generoſus Dominus Pipemontenſis. Similiter cum nuptæ annulus accipitur ad nodationem ſoluendam, & per eum fit illud quod horreo dicere, res illicita eſt: nam in hac re vir auerſus à Deo auxilium eſſe ſtatuit, nec dubium eſt quin diabolus ad eam manum porrigat. Sunt etiam qui nuptias eodem ritu repetunt quo ante celebrauerant, cum alligati ſunt, atque hoc pacto exſoluuntur. In Germania

nia quoque ſunt homines qui in olla feruefaciunt lac illius vaccæ quam Saga exhauſerit, & certis vocibus (quas reticere placuit) enuntiatis ollam ictibus baculi feriunt, eodemq; momẽto dicunt diabolum Sagam dorſo tot ictibus petiturum eſſe: & hoc illicitum. Sic enim mos conſilio Satanæ geritur, qui eam quæ Saga non eſt hac via ad idẽ facinus allicit, dum rem animaduertit adeo mirabilem. De antidotis Apuleii ad ſpeciem aſini amittendam idem iudicium, recentes roſas, aniſum, aut folia laurina ex aqua fontana comedi oportere. Sprangerus ipſe in hoc errore eſt, hominem in beſtiam transformatum, ſi aqua peremni lauetur, figuram recipere. Naamanem quidem Syrum Eliſæus curans ſepties iuſſit in Iordane profluente lauari: at eum non aqua purgauit, ſed Dei gratia. Non diſſimili remedio cognituri Germani quæ Saga impotentem equum & languentem effecerit, ad certas ædes vſque trahunt alterius equi viſcera, in non ianua ſed cella ingreſſi aut ſpecu ſubterranea, viſcera illa conſumunt igne. Tum malefica quæ commiſit malum, dolorem colicum in inteſtinis ſentiens ad ædes contendit recta vbi cremantur viſcera, vt prunum candentem poſtulet, & dolor illius deſinat. Quod ſi non aperiantur fores, ædes offunduntur tenebris, tonitru perſonant horrendo, ruinamque minitantur niſi qui intus ſunt aperiant: quod Sprangerus ſcribit in Germania obſeruatum, & à ſe viſum. A D. Antonio Lonanio generali Regis

Legato

Legato apud Ribemontenſes accepi fuiſſe Magum,qui cribroMagũm alterũ pronũtiatis quibuſdam vocibus retexerit. Proferebãtur nomina omnium qui in ſuſpicione erant, cumq; viri illius nomen cui culpa inerat efferretur, indeſinenter mouebatur cribrũ,& Magus affinis culpæ eodem aduentabat: quod vbi cõpertum eſt, fuit damnat⁹ Magus. At illius quoq; Κοσκινομάντεως conſtituendum erat iudicium. Hæc omnia ex arte ſunt diabolica, vt quicunq; iſthæc viderint miracula audacius ad perueſtigãdas omnes Magiæ artes prouehãtur: nam Magum iam nouit Satanas eſſe ſuũ, venatur alios. Memini aliquando mihi narrare D. Bordinum generalem procuratorem regis, cum totum ipſius pecus in villa apud Meldẽſes moreretur, fuiſſe vxori dictum beſtiam quandam occidendam eſſe, quam hic nõ placet exponere, eamq; pedibus ſurſum verſus ſub limine ſtabuli ſuſpẽdere oportere enunciãdo certas voces quas hic apponi non eſt opus: hoc facto, nullam ex pecudibus ſuis periiſſe. Qua in re hoc lucri faciebat Satanas, quod ſacrificiũ fiebat ad placandum ipſum deteſtãda idololatria. Sprangerus ait vt Sagæ templum ingreſſę prohibeantur egredi, moris in Germania eſſe vt puerorũ aliquot calcei axũgia ſuilla oblinantur: hoc facto, dũ in ęde morãtur pueri, non poſſe Sagas ſine illorum venia excedere: idemq; certis verbis quæ hic reticebo ſcribit pſtari poſſe. Nonne vero, dixerit quiſpiam, optimũ inſtitutum eſt Magos, qui pœnas luunt maleficiorũ, reue-

reuelari? fateor illud quidem, etiam fures latroneſque reuelari optimum: ſed nunquam faciendum malum (inquit Paulus) vt eueniat bonum: idque in rebus magicis minime omnium. Atqui hac in re duplex Satanæ fit acceſſio, tum quod Sagæ ab eorum locorum acceſſu auertuntur vbi Dei verbum audituræ eſſent, tum quod his technis iuuentus ad diabolum de rerum occultarum veritate conſulendum pertrahitur. Plurima antidota cuiuſmodi ſunt hæc ridiculaque amuleta in Plinio legimus, vt nouas nuptas cum viris primum congreſſuras poſtes lupino adipe ſolitas perungere, ne quid mali medicamenti inferretur. Sic Libro 37. cap. 9. Sapphirum albam ſi Lunæ nomen ac ſolis ſcribatur in iis, atque ita ſuſpendantur è collo capillis cynocephali, reſiſtere veneficiis & adeſſe reges adituris: ſed Cynocephalos, qui nuſquam exſtant, oportet inueniri: & cap. ſequente eiuſdem libri, Antipathen coctam in lacte contra effaſcinationes auxiliari, ſed eam nigram nec träslucentem, in quo altera fraus eſt ineptiſſima. Antirrhinon quoque herbam perunctos venuſtiores efficere, nec vllo malo medicamento lædi poſſe aut veneno qui eam in brachiali habeat: Euplea perunctos commendatioris eſſe famæ. Artemiſiam aduerſus mala medicaměta prodeſſe: omnes fabulas certiſſimas. Sed non mediocriter miratus ſum qua ſpecie Chriſtiani Cæſares legibus promulgauerint licere iſtis ſuperſtitionibus tempeſtates & morbos propellere,

Lib. 28. ca. 19.

Lib. 25. ca. 10.

cum

cum Romani eos capitali ſupplicio affecerint qui furem ſolum magicis artibus retexerant, dum adhuc à fide Chriſti alieni eſſent, nec fidem iſtis artibus haberi voluerint. Extat l. item apud Labeonem. §. ſi quis aſtrologus, de iniuriis ff. Hoc etiam inſuper addimus, nefas eſſe in liminibus ianuarum perquiri ad tollendum cereas imagines, ſemina, oſſaue quæ appoſuerint Magi hominibus, vt putant, & pecoribus enecandis (In hoc enim incumbit Satanas vt credatur has ab ipſo vires indi ceræ atque pulueribus) ſed Deum ſolummodo adiri oportere, & pro certo haberi quod in Cantico Moſi dato dicitur, ab eo ſolo mortem & morbos immitti, neque malum aut afflictionem vllam niſi ab ipſo obtingere. Cum itaque hoc malo Satanas abutatur & delectetur plurimum, ſapienter eos Sorbona damnat hæreſeos qui ab iſtis pulueribus venire putāt maleficium: & D. Hieronymus de vita S. Hilarionis agens narrat Satanam in puella dæmoniaca quam obſidebat loquutū eſſe, dicendo ſe non exiturum niſi lamina ærea quā amator puellæ ſubdiderat ianuæ auferretur: hoc noluiſſe Hilarionem facere, & precibus apud Deum puellam liberauiſſe. Alii per flammam tranſmittunt puerulos præſeruādos à malo, & traducunt igne, quam Amorrhæorum abominationem notauit Scriptura ſacra: & huic perſimilem ſtolidioribus mulierculis imperant Sagæ, vt liberos inter duas cruces geſtent, ſic eos beatos fore: quod nos in ſupplicationibus

vidimus. Oportet igitur ad Deum ſolum confugere: ac propterea Sorbona definiuit hæreſin eſſe plane, ſi quis maleficia maleficiis depulerit: idque in determinatione facta die 19. Septembris M. CCC. XCVIII. vbi non illud dicitur, non poſſe Satanam & adminiſtros ipſius maleficium maleficio pellere, ſed hoc impietatis eſſe ſi quis remedia iſta quæſiuerit. Nam ſi corporis malum Satanas curauerit, ſemper animæ infligit vulnus. Exemplum producam, quod Ioannes Martinus vices Præfecti Laodunenſis agens mihi expoſuit: non enim aliunde veritas melius cognoſci poteſt quam ex Iudicibus in hac cauſa verſatis, & frequentibus quæſtionibus habitis certiſſimam adeptis exercitationem. Cum igitur ille de Saga S. Probæ in iure cogniturus eſſet (hæc autem cæmentarium tanta affecerat inualetudine, vt ipſius caput inter crura fere propenderet incuruo corpore, quod malum ipſe à Saga ſibi ſuſpicabatur importatum) vt cõſideratus iudex, Sagæ renuntiari iuſſit ipſam non alia ratione poſſe vitæ ſuæ conſulere quam ſi cæmentarium ſanauerit. Faſciculum itaque à filia ſua domo afferri iubet, diabolum inuocat, directo in terram vultu carmina quædam coram omnibus muſſitat, & faſciculum tradẽs cæmentario lauari eum in balneo præcipit, & illud quod faſciculo incluſum erat in balneum indere cum his verbis, abi per diabolum, hunc ait, non alium eſſe reualeſcendi modum. His factis curatus fuit cæmentarius. Verumtamen ante-
quam

quam ea inderentur balneo volentes nonnulli cognoſcere quid in faſciculo eſſet (quod illa fieri vetuerat) tres paruulos in eo lacertos deprehenderunt: Cæmentarius vero dum in balneo eſſet, quaſi tres grandes carpiones ſentiebat in eo: cum exceſſit ex eo, quamuis perueſtigarentur diligentiſſime, nec carpio nec lacertus inuentus eſt. Saga viua fuit concremata & permanſit ἀμεταμέλητος. Hic vero manifeſta eſt idololatria blaſphemiaque pariter, quando res vlla in nomine diaboli & cum inuocatione illius perficitur. Aſtutiores & improbiores alii, nec ita impudentes Magi, qui loquuntur ſancte & ieiunia indicunt hominibus, vt nobilis ille Nortmannus fecit anno M.D.LXXI. Aliud legimus in horto Antonii de Turquamedia libr. 3. de Mago quodam, qui homini ruſtico quem videbat à cane rabido fuiſſe morſum dixit, ſe eſſe *Salutador*, ſeruatorem, *pero que no perdais la vita*, vt (inquit) non amittas vitam: cumque ter illius naſum ad miſſionem vſque ſanguinis pupugiſſet, ille ſanatus eſt. Videmus vt iſte impoſtor ſe ſeruatorem dicat, qua blaſphemia fides in Deum non minus abominanda voce eripitur quam ſi inuocetur Satanas. Deus autem apud Eſaiam, ego ſum, inquit, maximus Deus æternus immittens vitam & mortem, ſanitatem & morbum: neq; alibi quam in me vno eſt ſalus. Dum hæc à me conſcriberentur: Carolus Martinus Præfectus Laodunenſis factus certior mulierem pauperem in valle (id ſuburbii Lao-

bii Laodunenſis nomen) fuiſſe à Saga vicina faſcinatam, miſertuſque illius, necem interminatus eſt Sagæ niſi morbum vicinæ adimeret. Metuens illa promiſit ſe curaturam: itaque ad pedes cubilis venit, vultum in terram demittit, manus iungit, diabolum maximum magna voce appellat, ſubinde preces renouat voces incognitas aliquot repetens, & fruſtum panis ægrotæ tradit, quæ eodem momento cœpit reualeſcere. Hoc facto Præfectus reuertens domum ſtatuebat eam comprehendere, & igni quamprimum tradere: ſed illa in his partibus ex eo tempore non fuit conſpecta. Quo in facto illud eſt euidens, diabolum æque ab ægrota atque à ſaga inuocatum & adoratum eſſe: præſtat autem mori millies quam deteſtandum remedium corpus ſeruans animamque occidens experiri. Geſtum quoque ſagæ vultum applicantis in terram animaduertimus ritum imitari Prophetarum veterum, Moſis, Ioſuæ, Eliæ, de ira Dei ſedanda laborantium, omnium autem ſceleratiſſimæ Sagæ & ſumme execrabiles in foſſulas quas fecerunt capita inferunt, vt teſtificentur Satanam à ſe, non Deum inuocari, & clara voce aduocant Satanam. Quo ſpectat illud Apuleii de Pamphila Saga Lariſſana in horribiles ſuas coniurationes incumbente, cum ait, Deuotionibus in ſcrobem procuratis. Aliis neque inuocare libet, neque diabolicis inuocationibus intereſſe, at non dubitant adire Magos vt valetudinem conſequantur. Exemplum recens produce-

ducemus, acceptum à Præſide Vitriaci Franci honorato viro, qui ad conuentus maximos Bleſis fuerat allegatus anno milleſimo quingenteſimo ſeptuageſimoſeptimo. Cum indigeremus opera illius vt alii alios in communi onere iuuaremus, inſtiti acerrime ne ante loco excederet quam Ordines dimiſſi eſſent: reſpondit ſibi amicum eſſe quemdam qui ad mortem decumberet, ab eo ſe accerſi & hæredem inſtitutum eſſe: hunc inde ab annis quinque aut ſex ægrotum fuiſſe & membris fractum: ideoque parentem admonitum in Flandria eſſe hominem à quo filius curari poſſit eo ſtatim abiuiſſe: Magum parenti morbum filii quem nunquam viderat explicaſſe, & in Luſitaniam vſque ad Magum alterum (cuius indicauit nomen) in comitatu regio verſantem ablegaſſe. Hoc ferétem æquo animo patrem in Luſitaniam abiuiſſe, vbi Magus parenti, antequam ſolum hiſceret, Amice, inquit, filius tuus breui ſanabitur, abi in Galliam, inuenies Nouiodunum verſus ad vigeſimũ milliare à domo tua quemdam M. Benedictum (ſunt autem multi hoc nomine) hic filium tuum curaturus eſt. Miratum itaque parentem peregrinationem tantam ſuſceptam eſſe, vt perueſtigaret procul quod prope aderat, ſumpſiſſe animum, & ad M. Benedictum iuiſſe: hunc autem parenti dixiſſe, plurimum laboris conſumpſiſti in Flandriam Luſitaniamque proficiſcens, vt reſtituatur filius tuus, abi, iube ipſum venire ad

 me

me, ego is ſum qui curabo eum: ad hæc parentem reſpondiſſe iam ex annis amplius quinque eum lecto non exiuiſſe, ac ne tantillum quidem mouendi facultatem ineſſe ei: tandem vero maxima moleſtia ægrotum eo fuiſſe perductum, & ex parte quidem fuiſſe ſubleuatum: verumtamen non diu bene habuiſſe. Non debet autem videri mirum ſi aliquando imperiti remedia hæc conquirunt, cum publice permiſſa ſint certarum legum ſpecie & deprauatis Canoniſtarum opinionibus, quæ ex diametro cum lege Dei, ſed non nouo inſtituto, pugnant. Etenim apud Suidam legimus inde à Minois temporibus homines exſtitiſſe, qui verbis & ſacrificiis curabant morbos, & apud Homerum à profluuio ſanguinis Autolycum liberari verbis. Scribit etiam Hippocrates libro de morbo ſacro, multos fuiſſe planos qui ſe pollicebantur comitialem morbum curaturos poteſtate (vt inquiebant) dæmonum, infodiendo humi ſortem expiationis aut in mare immittendo, horum pleroſque nebulones eſſe: tandem itaque hæc verba ſubiicit, Sed Deus, qui ſceleratiſſima quæque purgat, noſtra eſt liberatio. Ethnici huius hominis (vt appellamus) verba placuit apponere, vt nos doceat quantopere teneamur hæc impietatis genera perhorreſcere. Eodem argumento Iacob. Sprangerus Magorum Quæſitor ſcribit Epiſcopum à ſe in Germania viſum, qui aduerſa vtens valetudine ex

Saga

Saga vetula cognouit ſe ex maleficio ægrotare, nec aliam valetudinis recuperandæ viam eſſe quam vt eadem Saga ſortilegio pereat, quæ ſortem in ipſum coniecerat. Miratum Epiſcopum celeribus equis miſiſſe Romam ad Nicolaum V. Papam vt veniam indulgeret huius curationis adhibendæ: Papam qui Epiſcopum deamabat vnice, indulſiſſe hac clauſula diſpenſationi adiecta, *vt ex duobus malis fugiatur maius*: Sagam diplomate allato dixiſſe, cum Papæ & Epiſcopo placeat ſe illud effecturam: Sic media nocte reſtitutum fuiſſe Epiſcopum, Sagam vero quæ eum faſcinauerat in morbum ex quo obiit incidiſſe. Sic à Satana videmus procuratum vt Papa, Epiſcopus, & Saga in eodem facto homicidæ eſſent, quibus ſimul perſuaſit vt ſibi ſeruirent & obſequerentur mandatis ſuis. Interea vero Saga illa quæ vita defuncta eſt nunquam voluit reſipiſcere, ſed ad recuperandam valetudinem ſe indeſinenter Satanæ commendauit. Hic vero horrendum videre eſt & ineuitabile iudicium Dei inimicos ſuos (quod ait in Ieremia) per inimicos vlciſcentis; Magi enim plerumque retegunt maleficia, & alii necem aliis inferunt: quandoquidem non curat Satanas quo pacto efficiat conſilia ſua, modo genus humanum perdat, cōficiēs corpus, animāue, aut vtrumq; ſimul. Huius rei exemplum accidit in Pictonū agro anno M. D. LXXI. Carol. IX. Rex à prandio Triſcalanū (cui veniam indulſerat vt affines criminis deferret)

 ferret)

& honorificum, prout de Iobo diximus, nec vnquam fidem in ſe habentes deſerit: quemadmodum dicebat Iob, vt morte me afficiat Deus, ſemper tamen ſperabo in ipſo: & Salomo in libro Sapientiæ agens de improbis, qui occidunt bonos, vt videant, ſitne eos ſeruaturus Deus, iuſtos ait pauculo dolore ex hoc mundo liberatos vita æterna perfrui. Hæc annotare viſum eſt, quia Moyſes Maymonis afflictionem niſi ex peccato negat accidere, pœnamque niſi ex culpa; quam ſententiam Baldad & Eliphaz in libro Iobi defenderunt, Deus improbauit iudicio & facto, (qui Iobum illum, quem virum rectum & integrum eſſe prædicauerat, affecit malis) & ipſe Eliphaz in libro Iobi damnauit, quod prope intelligi omnino neceſſe eſt. Sunt quidem raræ afflictiones iuſtorum; nam quotuſquiſque eſt Iobo ſimilis? quis iuſtus poſſit appellari? atque hæ afflictiones amoris virgæ appellantur. Nam etſi docet Ambroſius, Deum peccata in hoc mundo impunita non plane relinquere, ne quis aut Deum non eſſe aut fauere improbis putauerit, neque omnium pœnas exigere, ne quis poſt hanc vitam non credat eſſe alteram: hæc tamen ratio Hebræis non ſatisfacit, qui axioma iſtud certiſſimum & indubitatum eſſe volunt, afflictionum quæ bonis accidunt vſum eſſe, vt probetur ipſorum conſtantia, felicitasque geminetur & benedictio, aut etiam vt in hoc mundo purgentur ab iis peccatis, quæ vel ſanctiſſimus quiſque ſolet committere, vt

Lib. 3. more nebocim.

Lib. Pirke aboth.

poſt

poſt hanc vitam felicitate perfecta frui poſſint: quod autem voluptates improbis & diuitias interdum largitur Deus, id boni præmium eſſe quod in hac vita fecerint (nemo enim eſt tam improbus quin Deus perficiat ex ipſo gloriam ſuam,&ipſe aliquid faciat boni) vt poſt hanc vitam luant pœnas meritas: atque eo pacto & offenſæ puniantur, & benefacta recipiant mercedem iuſtam: hoc illud ampliſſimum ſacræ Scripturæ documentum eſſe, cum dicitur Deus iuſtitiam, iudicium, & miſericordiam exercere. Iuſtitiam, cum veram mercedem tribuit bonis operibus: Iudicium, cum diſcernit pœnam ex iuſto maleficii merito: & miſericordiam, cum præmium virtute maius aut pœnam minorem peccato infert. Bonorum igitur afflictionem ipſis in bonum permagnum cedere certo certius eſſe ſtatuimus, improborum vero præmia in ruinam grauiſſimam: quod Stoici vno verbo dixerunt, nihil boni poſſe improbis accidere, nihil mali bonis. Interdum enim ad honores improbus tollitur ad eum duntaxat finem, vt gloriæ Dei (quod ait Salomo) in die vindictæ ſeruiat. Nunc poſtquam de modis licitis ad præuertenda & impedienda maleficia Magorum diximus, agedum videamus de modis illicitis, qui anticipandis maleficiis, aut ſi illata fuerint amoliendis adhibentur.

X 5 CAP.

ſſilius in Pſalmum 45. eos deteſtatur vehementiſſime, qui Satanam vel Magos adeunt, & iſtis præſtigiis valetudinis ergo abutuntur: & Chryſoſtomus homil. 8. in epiſtolam ad Coloſſenſes, Citius, inquit, mors homini Chriſtiano ſubeunda, quam vita ligaturis redimenda. Sed hæc breuius ſecant Theologi quam ſit opus, iudicio meo. Nam ſumma tantum attingunt artium magicarum capita, cum tamen omnes viæ præcludendis malis, peſti, bello, fami, morbo, calamitatibus, ſiue vniuerſe ſiue ex parte coniunctę ſuperſtitioni pro illicitis habendæ ſint. Superſtitionem dico, quia naturales & diuini modi quos ad præuertenda pellendaque mala nos docuit Deus, ſunt fueruntq; ſemper conceſſi atque laudabiles. Quoniam vero in Iobo legimus nullam eſſe in terris potentiam quam formidet Satanas, ſuperſtitioſum eſt ſuper liminari ianuæ appendi ſquillam ad impediendum faſcinum: ſed res creatę cum precibus ſanctis adhiberi poſſunt, vt Deus qui ſolus eſt in mundo omnipotens exoretur; quemadmodum legimus Angelum hepate piſcis & ſuffimentis vti, precibuſque malignum ſpiritum depellere, qui ſeptem illius puellæ viros quam Tobias duxit occiderat. Et quamuis ſalem perhorreſcant diaboli velut æternitatis ſymbolum, & Deus ſalem omnibus ſacrificiis imperet adhiberi, vt populum fortaſſe auocet ne diabolis ſacrificet: quicunque tamen ſalem circumferunt non propterea ſunt exortes inſidiarum Satanæ, niſi fidem

Tobię 8.
Leuit. 2.

fidem in Deum habuerint: alioqui ſalem ferri aut politum dactyli nucleū (quod eſt apud Plinium lib.13.cap. 4.) vt ſine precibus impediantur aut abigantur maligni ſpiritus, illud eſt idololatriæ. Latini quæ ad amoliendum & præuertendum malum pertinent, amuleta vocant: quę ad medicandum depellēdumque, remedia. Verum & horum amuletorum & *προβασκανίων* administrum, autorem & inuentorem Satanā eſſe demonſtremus, itemque remediorum quibus ſortes & maleficia depelluntur: veteres ac Romani ipſi puerorum collo ſolebant pudendi membri ſpeciem appendere, quam appellabant faſcinum, vt eſſet (prout aiebant) præfiſcine, & ſortilegia auerteret, idque ex electro maxime, q. Plin. innuit lib.36.ca.3. turpem omnino modum & diabolicum animis ad libidinem inflammandis. Cumque ab Hiſpanis Occidentales inſulæ ſubigerentur, compertum eſt Pæderaſtiæ imaginem, Pædiconis inquam, & Cinædi, ab Inſulanis ſuſpēſam collo geſtari pro amuleto, turpiſſimo inſtituto. Etenim circumfluebant gentes illæ Sodomia, turpiſſimis & deteſtandis ſceleribus, magicisque artibus omnis generis: ideoque omnes fere ſunt ab Hiſpano profligati. Hoc diabolicum inuentum eſſe nemo ſanus infitiabitur. Alia quoque amuleta exſtant non æque turpia quidem illa, ſed æque illicita, vt cum illigatæ ſcripturæ chartulæque geſtantur *εἰς προφύλαξιν*, de quibus Auguſtinus libro de doctrina Chriſtiana, Ad hoc genus, inquit, pertinent

tinent ligaturæ execrabilium remediorum, ſiue votis ſiue quibuſuis aliis rebus ſuſpendendis & ligandis: quibus quando adhibetur fides, illicita eſt idololatria. Barbara Dorea (quæ decreto Curiæ ſententiam Præfecti S. Chriſtophoro ad Sanliſium confirmante cremata fuit decimonono Ianuarii Anno M. D. LXXVII.) fatebatur ſe iis quos faſcinauerat medicinam feciſſe diffiſſa columba, & ægroti ſtomacho impoſita cum his verbis, In nomine Patris, filii, & Spiritus ſancti, D. S. Antonii, & D. S. Michaelis Angeli curari poſſis ab hoc malo, & mandauiſſe vt nouem diebus miſſam in templo illius vici curarent celebrari. Nemo tam catholicus eſt cui hæc ratio non probetur ſummopere: Ego vero (licet per ſe bona verba eſſent) confirmo id blaſphemum eſſe contra maieſtatem Dei, cum à Satana aut Mago diſcipulo Satanæ fuerit traditum: præterea officium eſſe omnium, vt orationes iſtas à Satana profectas perhorreſcant: hæc enim remedium ſe fatebatur à Satana didiciſſe, vt apparet ex quæſtionibus illius, quarum exemplum miſit ad me generoſus Dominus Pipemontenſis. Similiter cum nuptæ annulus accipitur ad nodationem ſoluendam, & per eum fit illud quod horreo dicere, res illicita eſt: nam in hac re vir auerſus à Deo auxilium eſſe ſtatuit, nec dubium eſt quin diabolus ad eam manum porrigat. Sunt etiam qui nuptias eodem ritu repetunt quo ante celebrauerant, cum alligati ſunt, atque hoc pacto exſoluuntur. In Germania

nia quoque ſunt homines qui in olla feruefaciunt lac illius vaccæ quam Saga exhauſerit, & certis vocibus (quas reticere placuit) enuntiatis ollam ictibus baculi feriunt, eodemq; mométo dicunt diabolum Sagam dorſo tot ictibus petiturum eſſe: & hoc illicitum. Sic enim mos conſilio Satanæ geritur, qui eam quæ Saga non eſt hac via ad idẽ facinus allicit, dum rem animaduertit adeo mirabilem. De antidotis Apuleii ad ſpeciem aſini amittendam idem iudicium, recentes roſas, aniſum, aut folia laurina ex aqua fontana comedi oportere. Sprangerus ipſe in hoc errore eſt, hominem in beſtiam transformatum, ſi aqua peremni lauetur, figuram recipere. Naamanem quidem Syrum Eliſæus curans ſepties iuſſit in Iordane profluentę lauari: at eum non aqua purgauit, ſed Dei gratia. Non diſſimili remedio cognituri Germani quæ Saga impotentem equum & languentem effecerit, ad certas ædes vſque trahunt alterius equi viſcera, in non ianua ſed cella ingreſſi aut ſpecu ſubterranea, viſcera illa conſumunt igne. Tum malefica quæ commiſit malum, dolorem colicum in inteſtinis ſentiens ad ædes contendit recta vbi cremantur viſcera, vt prunum candentem poſtulet, & dolor illius deſinat. Quod ſi non aperiantur fores, ædes offunduntur tenebris, tonitru perſonant horrendo, ruinamque minitantur niſi qui intus ſunt aperiant: quod Sprangerus ſcribit in Germania obſeruatum, & à ſe viſum. A D. Antonio Lonanio generali Regis Legato

Legato apud Ribemontenſes accepi fuiſſe Magum, qui cribro Magũ alterũ pronũtiatis quibuſdam vocibus retexerit. Proferebãtur nomina omnium qui in ſuſpicione erant, cumq; viri illius nomen cui culpa inerat efferretur, indeſinenter mouebatur cribrũ, & Magus affinis culpæ eodem aduentabat: quod vbi cõpertum eſt, fuit damnat⁹ Magus. At illius quoq; Κοσκινομάντεως conſtituendum erat iudicium. Hæc omnia ex arte ſunt diabolica, vt quicunq; iſthæc viderint miracula audacius ad peruestigãdas omnes Magiæ artes prouehãtur: nam Magum iam nouit Satanas eſſe ſuũ, venatur alios. Memini aliquando mihi narrare D. Bordinum generalem procuratorem regis, cum totum ipſius pecus in villa apud Meldẽſes moreretur, fuiſſe vxori dictum beſtiam quandam occidendam eſſe, quam hic nõ placet exponere, eamq; pedibus ſurſum verſus ſub limine ſtabuli ſuſpẽdere oportere enunciãdo certas voces quas hic apponi non eſt opus: hoc facto, nullam ex pecudibus ſuis periiſſe. Qua in re hoc lucri faciebat Satanas, quod ſacrificiũ fiebat ad placandum ipſum deteſtãda idololatria. Sprangerus ait vt Sagæ templum ingreſſę prohibeantur egredi, moris in Germania eſſe vt puerorũ aliquot calcei axũgia ſuilla oblinantur: hoc facto, dũ in ęde morãtur pueri, non poſſe Sagas ſine illorum venia excedere: idemq; certis verbis quæ hic reticebo ſcribit pſtari poſſe. Nonne vero, dixerit quiſpiam, optimũ inſtitutum eſt Magos, qui pœnas luunt maleficiorũ, reuc-

reuelari? fateor illud quidem, etiam fures latroneſque reuelari optimum: ſed nunquam faciendum malum (inquit Paulus) vt eueniat bonum: idque in rebus magicis minime omnium. Atqui hac in re duplex Satanæ fit acceſſio, tum quod Sagæ ab eorum locorum acceſſu auertuntur vbi Dei verbum audituræ eſſent, tum quod his technis iuuentus ad diabolum de rerum occultarum veritate conſulendum pertrahitur. Plurima antidota cuiuſmodi ſunt hæc ridiculaque amuleta in Plinio legimus, vt nouas nuptas cum viris primum congreſſuras poſtes lupino adipe ſolitas perungere, ne quid mali medicamenti inferretur. Sic Libro 37. cap. 9. Sapphirum albam ſi Lunæ nomen ac ſolis ſcribatur in iis, atque ita ſuſpendantur è collo capillis cynocephali, reſiſtere veneficiis & adeſſe reges adituris: ſed Cynocephalos, qui nuſquam exſtant, oportet inueniri: & cap. ſequente eiuſdem libri, Antipathen coctam in lacte contra effaſcinationes auxiliari, ſed eam nigram nec träslucentem, in quo altera fraus eſt ineptiſſima. Antirrhinon quoque herbam perunctos venuſtiores efficere, nec vllo malo medicamento lædi poſſe aut veneno qui eam in brachiali habeat: Euplea perunctos commendatioris eſſe famæ. Artemiſiam aduerſus mala medicaměta prodeſſe: omnes fabulas certiſſimas. Sed non mediocriter miratus ſum qua ſpecie Chriſtiani Cęſares legibus promulgauerint licere iſtis ſuperſtitionibus tempeſtates & morbos propellere, cum

Lib. 28. ca. 19.

Lib. 25. ca. 10.

cum Romani eos capitali ſupplicio affecerint qui furem ſolum magicis artibus retexerant, dum adhuc à fide Chriſti alieni eſſent, nec fidem iſtis artibus haberi voluerint. Extat l. item apud Labeonem. §. ſi quis aſtrologus, de iniuriis ff. Hoc etiam inſuper addimus, nefas eſſe in liminibus ianuarum perquiri ad tollendum cereas imagines, ſemina, oſſaue quæ appoſuerint Magi hominibus, vt putant, & pecoribus enecandis (In hoc enim incumbit Satanas vt credatur has ab ipſo vires indi ceræ atque pulueribus) ſed Deum ſolummodo adiri oportere, & pro certo haberi quod in Cantico Moſi dato dicitur, ab eo ſolo mortem & morbos immitti, neque malum aut afflictionem vllam niſi ab ipſo obtingere. Cum itaque hoc malo Satanas abutatur & delectetur plurimum, ſapienter eos Sorbona damnat hæreſeos qui ab iſtis pulueribus venire putãt maleficium: & D. Hieronymus de vita S. Hilarionis agens narrat Satanam in puella dæmoniaca quam obſidebat loquutũ eſſe, dicendo ſe non exiturum niſi lamina ærea quã amator puellæ ſubdiderat ianuæ auferretur: hoc noluiſſe Hilarionem facere, & precibus apud Deum puellam liberauiſſe. Alii per flammam tranſmittunt puerulos præſeruãdos à malo, & traducunt igne, quam Amorrhæorum abominationem notauit Scriptura ſacra: & huic perſimilem ſtolidioribus mulierculis imperant Sagæ, vt liberos inter duas cruces geſtent, ſic eos beatos fore: quod nos in ſupplicationibus

vidimus. Oportet igitur ad Deum ſolum confugere: ac propterea Sorbona definiuit hæreſin eſſe plane, ſi quis maleficia maleficiis depulerit: idque in determinatione facta die 19. Septembris M. CCC. XCVIII. vbi non illud dicitur, non poſſe Satanam & adminiſtros ipſius maleficium maleficio pellere, ſed hoc impietatis eſſe ſi quis remedia iſta quæſiuerit. Nam ſi corporis malum Satanas curauerit, ſemper animæ infligit vulnus. Exemplum producam, quod Ioannes Martinus vices Præfecti Laodunenſis agens mihi expoſuit: non enim aliunde veritas melius cognoſci poteſt quam ex Iudicibus in hac cauſa verſatis, & frequentibus quæſtionibus habitis certiſſimam adeptis exercitationem. Cum igitur ille de Saga S. Probæ in iure cogniturus eſſet (hæc autem cæmentarium tanta affecerat inualetudine, vt ipſius caput inter crura fere propenderet incuruo corpore, quod malum ipſe à Saga ſibi ſuſpicabatur importatum) vt cõſideratus iudex, Sagæ renuntiari iuſſit ipſam non alia ratione poſſe vitæ ſuæ conſulere quam ſi cæmentarium ſanauerit. Faſciculum itaque à filia ſua domo afferri iubet, diabolum inuocat, directo in terram vultu carmina quædam coram omnibus muſſitat, & faſciculum tradẽs cæmentario lauari eum in balneo præcipit, & illud quod faſciculo incluſum erat in balneum indere cum his verbis, abi per diabolum, hunc ait, non alium eſſe reualeſcendi modum. His factis curatus fuit cæmentarius. Verumtamen ante-
quam

quam ea inderentur balneo volentes nonnulli cognoſcere quid in faſciculo eſſet (quod illa fieri vetuerat) tres paruulos in eo lacertos deprehenderunt: Cæmentarius vero dum in balneo eſſet, quaſi tres grandes carpiones ſentiebat in eo: cum exceſſit ex eo, quamuis perueſtigarentur diligentiſſime, nec carpio nec lacertus inuentus eſt. Saga viua fuit concremata & permanſit ἀμεταμέλητος. Hic vero manifeſta eſt idololatria blaſphemiaque pariter, quando res vlla in nomine diaboli & cum inuocatione illius perficitur. Aſtutiores & improbiores alii, nec ita impudentes Magi, qui loquuntur ſancte & ieiunia indicunt hominibus, vt nobilis ille Nortmannus fecit anno M.D.LXXI. Aliud legimus in horto Antonii de Turquamedia lib. 3. de Mago quodam, qui homini ruſtico quem videbat à cane rabido fuiſſe morſum dixit, ſe eſſe *Salutador*, ſeruatorem, *pero que no perdais la vita*, vt (inquit) non amittas vitam: cumque ter illius naſum ad miſſionem vſque ſanguinis pupugiſſet, ille ſanatus eſt. Videmus vt iſte impoſtor ſe ſeruatorem dicat, qua blaſphemia fides in Deum non minus abominanda voce eripitur quam ſi inuocetur Satanas. Deus autem apud Eſaiam, ego ſum, inquit, maximus Deus æternus immittens vitam & mortem, ſanitatem & morbum: neq; alibi quam in me vno eſt ſalus. Dum hæc à me conſcriberentur: Carolus Martinus Præfectus Laodunenſis factus certior mulierem pauperem in valle (id ſubur-

bii Laodunenſis nomen) fuiſſe à Saga vicina faſcinatam, miſertuſque illius, necem interminatus eſt Sagæ niſi morbum vicinæ adimeret. Metuens illa promiſit ſe curaturam: itaque ad pedes cubilis venit, vultum in terram demittit, manus iungit, diabolum maximum magna voce appellat, ſubinde preces renouat voces incognitas aliquot repetens, & fruſtum panis ægrotæ tradit, quæ eodem momento cœpit reualeſcere. Hoc facto Præfectus reuertens domum ſtatuebat eam comprehendere, & igni quamprimum tradere: ſed illa in his partibus ex eo tempore non fuit conſpecta. Quo in facto illud eſt euidens, diabolum æque ab ægrota atque à ſaga inuocatum & adoratum eſſe: præſtat autem mori millies quam deteſtandum remedium corpus ſeruans animamque occidens experiri. Geſtum quoque ſagæ vultum applicantis in terram animaduertimus ritum imitari Prophetarum veterum, Moſis, Ioſuæ, Eliæ, de ira Dei ſedanda laborantium, omnium autem ſceleratiſſimæ Sagæ & ſumme execrabiles in foſſulas quas fecerunt capita inferunt, vt teſtificentur Satanam à ſe, non Deum inuocari, & clara voce aduocant Satanam. Quo ſpectat illud Apuleii de Pamphila Saga Lariſſana in horribiles ſuas coniurationes incumbente, cum ait, Deuotionibus in ſcrobem procuratis. Aliis neque inuocare libet, neque diabolicis inuocationibus intereſſe, at non dubitant adire Magos vt valetudinem conſequantur. Exemplum recens produce-

ducemus, acceptum à Præſide Vitriaci Franci honorato viro, qui ad conuentus maximos Bleſis fuerat allegatus anno milleſimo quingenteſimo ſeptuageſimo ſeptimo. Cum indigeremus opera illius vt alii alios in communi onere iuuaremus, inſtiti acerrime ne ante loco excederet quam Ordines dimiſſi eſſent: reſpondit ſibi amicum eſſe quemdam qui ad mortem decumberet, ab eo ſe accerſi & hæredem inſtitutum eſſe: hunc inde ab annis quinque aut ſex ægrotum fuiſſe & membris fractum: ideoque parentem admonitum in Flandria eſſe hominem à quo filius curari poſſit eo ſtatim abiuiſſe: Magum parenti morbum filii quem nunquam viderat explicaſſe, & in Luſitaniam vſque ad Magum alterum (cuius indicauit nomen) in comitatu regio verſantem ablegaſſe. Hoc ferētem æquo animo patrem in Luſitaniam abiuiſſe, vbi Magus parenti, antequam ſolum hiſceret, Amice, inquit, filius tuus breui ſanabitur, abi in Galliam, inuenies Nouiodunum verſus ad vigeſimũ milliare à domo tua quemdam M. Benedictum (ſunt autem multi hoc nomine) hic filium tuum curaturus eſt. Miratum itaque parentem peregrinationem tantam ſuſceptam eſſe, vt perueſtigaret procul quod prope aderat, ſumpſiſſe animum, & ad M. Benedictum iuiſſe; hunc autem parenti dixiſſe, plurimum laboris conſumpſiſti in Flandriam Luſitaniamque proficiſcens, vt reſtituatur filius tuus, abi, iube ipſum venire ad

me, ego is ſum qui curabo eum: ad hæc parentem reſpondiſſe iam ex annis amplius quinque eum lecto non exiuiſſe, ac ne tantillum quidem mouendi facultatem ineſſe ei: tandem vero maxima moleſtia ægrotum eò fuiſſe perductum, & ex parte quidem fuiſſe ſubleuatum: verumtamen non diu bene habuiſſe. Non debet autem videri mirum ſi aliquando imperiti remedia hæc conquirunt, cum publice permiſſa ſint certarum legum ſpecie & deprauatis Canoniſtarum opinionibus, quæ ex diametro cum lege Dei, ſed non nouo inſtituto, pugnant. Etenim apud Suidam legimus inde à Minois temporibus homines exſtitiſſe, qui verbis & ſacrificiis curabant morbos, & apud Homerum à profluuio ſanguinis Autolycum liberari verbis. Scribit etiam Hippocrates libro de morbo ſacro, multos fuiſſe planos qui ſe pollicebantur comitialem morbum curaturos poteſtate (vt inquiebant) dæmonum, infodiendo humi ſortem expiationis aut in mare immittendo, horum pleroſque nebulones eſſe: tandem itaque hæc verba ſubiicit, Sed Deus, qui ſceleratiſſima quæque purgat, noſtra eſt liberatio. Ethnici huius hominis (vt appellamus) verba placuit apponere, vt nos doceat quantopere teneamur hæc impietatis genera perhorreſcere. Eodem argumento Iacob. Sprangerus Magorum Quæſitor ſcribit Epiſcopum à ſe in Germania viſum, qui aduerſa vtens valetudine ex

Saga

Saga vetula cognouit ſe ex maleficio ægrotare, nec aliam valetudinis recuperandæ viam eſſe quam vt eadem Saga ſortilegio pereat, quæ ſortem in ipſum coniecerat. Miratum Epiſcopum celeribus equis miſiſſe Romam ad Nicolaum V. Papam vt veniam indulgeret huius curationis adhibendæ: Papam qui Epiſcopum deamabat vnice, indulſiſſe hac clauſula diſpenſationi adiecta, *vt ex duobus malis fugiatur maius*: Sagam diplomate allato dixiſſe, cum Papæ & Epiſcopo placeat ſe illud effecturam: Sic media nocte reſtitutum fuiſſe Epiſcopum, Sagam vero quæ eum faſcinauerat in morbum ex quo obiit incidiſſe. Sic à Satana videmus procuratum vt Papa, Epiſcopus, & Saga in eodem facto homicidæ eſſent, quibus ſimul perſuaſit vt ſibi ſeruirent & obſequerentur mandatis ſuis. Interea vero Saga illa quæ vita defuncta eſt nunquam voluit reſipiſcere, ſed ad recuperandam valetudinem ſe indeſinenter Satanæ commendauit. Hic vero horrendum videre eſt & ineuitabile iudicium Dei inimicos ſuos (quod ait in Ieremia) per inimicos vlciſcentis: Magi enim plerumque retegunt maleficia, & alii necem aliis inferunt: quandoquidem non curat Satanas quo pacto efficiat conſilia ſua, modo genus humanum perdat, cõficiẽs corpus, animâue, aut vtrumq; ſimul. Huius rei exemplum accidit in Pictonũ agro anno M. D. LXXI. Carol. IX. Rex à prandio Triſcalanũ (cui veniam indulſerat vt affines criminis de-

ferret) ad ſe adduci iuſſit. Hic apud regem & frequentem procerum coronam confeſſus eſt modum quo exportantur Magi, ſaltationes, ſacrificia Satanæ oblata, nefarios concubitus cum diabolis virilem & muliebrem formam habentibus: addebat à ſingulis pulueres acceptos eſſe quibus homines, pecora, fructuſque enecarent. Hæc illius dicta ſingulis mirantibus Gaſpar Collignius Galliæ Amiralius (nam hic forte intererat) dixit adoleſcentem in Pictonum agro ante aliquot menſes fuiſſe comprehenſum, de nobilibus duobus enectis accuſatum; hunc fuiſſe confeſſum vt ſeruus eorum fuerit, eoſque viderit pulueribus in domos ſegeteſque iniectis dicentes hæc verba, Maledictio in iſtos fructus, in domum, in regionem iſtam: ſe itaq; hos pulueres nactum cepiſſe & in cubile inieciſſe vbi duo illi nobiles recumbebant, ſic vtrunque mortuũ in cubili fuiſſe compertum, ſed tumentes & atros valde. Puerũ Iudices abſoluerunt. Tum audiens Triſſcalanus iſtud permulta etiam narrauit eiuſmodi. Credibile eſt autem ſi Rex (cuius alioqui corpus optima fuit cõpage & conſtitutione) hunc Magorum principem & alios aſſeclas iuſſiſſet concremari, Deum pro iſtis iudiciis fuiſſe ipſi diuturniorem vitam & beatiorem cõceſſurum. Nam Dei verbum ſibi ſemper conſtat, qui virũ morte dignum abſoluerit, hunc in ſeipſum meritam illius pœnam refundere: vt Propheta regi Achabo dixit ipſum, quia gratiam viro

morte

morte digno fecerat, moriturum. Id vero inauditum eſt ab omni ſeculo, Magis gratiam indulgeri. Factum quidem dicetur iſtud, vt ab illo indicarentur conſcii: ſed omnes nihilominus effugerunt. Verum vt eo vnde diſceſſerat reuertatur oratio, Sprangerus (qui Sagas innumeras adiudicauit morti, earumque ſecreta peruidit) maleficiorum ſcribit alia eſſe incurabilia, alia curari non aliter poſſe, quam ſi in alterum ſors tranſmittatur: alios curare in eum reiecta ſorte qui prior iniecerit, alios ab vnico ſanare morbo, alios à pluribus, alios non curare niſi ad miliaria 2. in ambitum domus ſuæ, idque homines certos, alios nunquam ſortem niſi ex illius conſenſu qui immiſit eximere. Ipſi autem ex Magis ſciſcitanti cauſam, reſpondiſſe, pro ratione contractus cum Satana initi conuentionumq; ab iis expreſſarum, qui ſeſe mancipant fieri omnia. Atque hoc in Germania tam fuit frequens illius tempore, (vt omnibus ſeculis fuerat) vt idem ſcribat, dominum vici Richtighaffen in Conſtantienſi agro canonem ab iis exegiſſe, qui effaſcinationis cauſa Sagam vici ſui accedebant: ſic conueniebat optime & reciproca erat obligatione inter dominum illius vici & Satanam: imperitum autem vulgus deludebatur à diabolo, cum loco Dei, quem (vt magnus ille Elias aiebat Regi Ochoziæ) debuerant accedere, adirent diabolum conſulturi. Idem autor eſt, multos nobiles viros nundinationem iſtam in Germania factitaſſe, cuius tamen reos

fuiſſe Magos non exiſtimo. Conſtat apud omnes Rupellæ hominem lethali vulnere affectum, de cuius ſalute Chirurgi omnes deſperabant, Magi cuiuſdam opera ſic fuiſſe inſtitutum vt incederet & diebus aliquot loqueretur; nempe geſtabat illum Satanas ac non alius, vt Magis ſuis autoritatem compararet. Illud vero inprimis admirandum, quod ſcribit Petrus Mamorius, oſſa equi fracta impedimento eſſe, ne tollantur ſortes, nec magnam habet veritatis ſpeciem: nec illud ſimiliter quod ait Albertus Magnus lib. de animal. eſſe volucres ad effaſcinandum vtiles: qua ratione homines ad Ethnicorum auguria facile reuocarentur. Sed hoc totum nefas eſſe confirmo, atque hoc pacto ad idololatriam & cultum lapidum homines adduci. Certiſſimus enim eſt ſermo Dei dicentis, non eſſe poteſtatem in terra, quæ viribus Satanæ poſſit obſiſtere, vt eſt in Iobo; quo ſermone Deus propterea vtitur, vt ad ipſum ſolum ac non alium recurratur, vtque res creatæ & remedia ab ipſo inſtituta in bonis rebus adiunctis precibus (vt fecit Tobias) ac non aliter occupentur. Amplius dicit Aquinas, omnia remedia & προφυλακτικὰς medicinas, quæ veriſimili ratione malum curare, depellere aut impedire non poſſunt, pro illicitis habendas eſſe: & Auguſtinus lib. 10. de Ciuitat. Dei contra Porphyrium & Iamblichum diſſerens (qui cœleſtes virtutes rebus elementaribus conabantur attrahere) omnia remedia amuletaque aduerſus

Iob. 41. & c. ſi quis per ſortiarias. 23. q. 1. & 26. q. 7. cap. admoneant. in ſecunda ſecundæ, q. 96. artic. 2.

ſus diabolum prohibet præter orationem & pœnitentiam: & medicamenta quælibet in verbis, characteribus, ligaturis, aliiſque rebus vanis poſita Satanæ retia confirmat eſſe. Eandem quoque ſententiam textus ipſe canonis oſtendit; ne quis Scoti opinione aut Hoſtienſis fallatur, cum ait, Vana vanis contundere licet, aut ipſius gloſſæ *vana* interpretantis ea, quę non fuerint illicita: id enim fieri nunquam poteſt. Damnandus eſt itaque, velut impietatis plenus, ſuperſtitioſus ille Etrnicorum ritus, cum ſpiritus abigerent certo legumine (quod indicare non placet) in os indito & retrorſum iacto, nudis pedibus certaq; precum formula nouies repetita: ſic enim adoratur omnino Satanas, ne quid importet mali. Id priſci Latini menſe Maio per triduum faciebant placandis (vt aiebant) Lemuribus ſiue Remuribus; quam inſtitutionem à cæde Remi dicebant ortam, quod ſpiritus eo mortuo incolas loci infeſtarent. Hæc autem vana eſſe atq; illicita demonſtrant tum ea quæ ante diximus, tum ſeuerum illud interdictum legis, ne per ignē liberi traducantur. Moſes Maymonis, Hebræorum Theologorū habitus præſtantiſſimus, Amorrhæos ſcribit inter alia ſolitos per flammam recentes ex vtero fœtus tranſmittere, & credidiſſe liberos à calamitatib. plurimis vindicari: eandemq; ſuperſtitionē nutrices adhuc obſeruātes à ſe in Ægypto viſas. Quod ſi ab hac ſuperſtitione tantopere abhorret Dominus, quāta deteſtatione putandū eſt ipſum ea car-

Can. admoneant. 26. q. 7. & d. can. ſi quis per ſortiarias. 23. q. 1.

2. Reg. 22. & 23. 2. Para. 28. & 33. lib. 3. More nebo-cim.

carmina & remedia proſequi, quæ aduerſus maleficia adhibentur? De hoc argumento poteſt Moſem Maymonis lector conſulere, qui plurimas ſuperſtitiones deſcribit ab Amorrhæis frequentatas, vt ex veteribus libris didicerat: quæ ſuperſtitiones in lege Dei nec reticentur plane, nec minutatim explicantur, ne id doceri videretur, quod ſepeliri opus eſt obliuione ſempiterna. Verumtamen exempla quædam afferemus, vt neque improbi occaſionem habeant, neque Iudices ſeipſos excuſandi ignorantię nomine. Fertur hæc ſuperſtitio & videtur paſſim, quod pueri imponuntur vrſis, vt aduerſus pauores confirmentur, quod arboribus alligatur ſtramen, vt ſeruentur fructus, prout in Valeſiorum agro: hæ pernicioſæ ſuperſtitiones ſunt, quibus ſemper ineſt auerſio à Creatore, & in res creatas fides. Quamobrem Mahomed Aben Thaulon Sangiach Ægypti nuper cremari iuſſit crocodilum plumbeum portæ cuiuſdam ædis in Ægypto ſubditum, quia ſe hoc pacto incolæ à crocodilis tutos eſſe cogitabant. Hæc de illicitis modis, per quos ſortilegio occurritur: Nunc etiam videamus, an aliquis exſtet modus malignos ſpiritus ab hominibus obſeſſis depellendi.

CAPVT VI.

De ijs, qui obſidentur & vim patiuntur à malignis ſpiritibus, & an ſit modus ſpiritus iſtos depellendi.

DIXIMVS de iis, qui voluntarie tacitis aut expreſſis conuentionibus cum ſpiritibus mali-

malignis communicant: iam dicamus de obſeſſis hominibus, qui vim ab eis patiuntur, & an ſit vllus eos depellendi modus. Hic vero non diſputo, an ſint homines, quos maligni ſpiritus obſideant, quibus plenæ ſunt diuinæ atque humanæ hiſtoriæ, & Euangeliorum maxime. Sic in Actis Apoſtolorum capit.16. ancilla fuiſſe legitur adoleſcentula ſpiritum in ſe habens, quem Scriptura vocat ἐγγαςείμυθον, res occultas euentaque prædicentem multis, denaque mendacia vero vni dicto connectentem, (prout ſalutis viam à S. Petro & Paulo dixit prædicari) quæ ita lucro non mediocri augebat herum, diabolus vero homines ita perducebat, vt ſe autorem mendacii de veritate conſulerent. Monaſterii in Weſtphalia narrat Sleidanus, cum Anabaptiſtæ rerum potirentur, lege de communione bonorum promulgata, neceſſitatem ſingulis fuiſſe impoſitam, vt conferrentur in commune bona: cumque nummos ſuos diſſimularent & celarent multi, puellas duas exſtitiſſe, quæ reuelabant omnia. Certiſſimum autem eorum, quos diabolus obſidet, argumentum eſt, quod variis linguis loquuntur, quas nunquam didicerint. Huius generis ſunt pauci in Gallia, videntur tamen. Fuit ante annum puer nomine Samuel, annos duodecim natus, in pago Wanteleti ad Laodunum, filius nobilis viri Landarum domini, qui poſt menſem à matris obitu occupatus à ſpiritu, infeſtatus plurimum, colaphisque cæſus eſt: etiam in corpus illius ingrediebatur ſpiritus,

tus,& ſi quis puerum volebat ſubducere, ille retrahebat violentia. Eum exorcizari pater noluit religionis quam profitetur nomine: an fuerit ab eo tempore liberatus neſcio. Annus quoque duodecimus vel decimustertius agitur, ex quo Veruinenſis fœmina à maligno ſpiritu poſſeſſa hic Laoduni exorcizata eſt, quam hiſtoriam quia excuſis compluribus libris fuit expoſita præteribo. Iis abundant Italia atque Hiſpania, quos numellis opus eſt conſtringi: atque hi Græce, Latine, & linguis aliis, quas non didicerunt vnquam, nouerunt loqui, ac potius ſpiritus in ipſis loquitur: nam ſi quando Veruinenſis illa linguam valde protuderet, ſpiritus diſerte loquebatur. Mulierem dæmoniacam Melanchthon ſcribit à ſe in Saxonia viſam, neſcientem legere aut ſcribere, quæ Græce tamen & Latine loquebatur, & ſæuum illud Saxoniæ bellum prædixit his verbis, ἔσαι ἀνάγκη ὄπὶ τῆς γῆς, καὶ ὀργὴ ἐν τῷ λαῷ τούτῳ. Narrat Fernelius in libro de abditis rerum cauſis, ſe puerum vidiſſe dæmoniacum loquentem Græce, cum tamen literas neſciret. Hippocrates lib. de morbo ſacro comitialem morbum putauit eſſe: diſcrimen vero poſteri optime annotauerunt etiam in Græcia, cum obſeſſi auditi ſunt varias linguas & diuinationes proloqui, quod in comitialibus non poteſt percipi. Signa enim atque ſymptomata videntur differentia: & Magi ipſi, cum periculum facturi ſunt, in aurem hominis affecti dicunt, Exi dæmon, quia Ephimolei tibi præcipiunt:

cipiunt: ſtatim dæmoniacus ruit in terram quaſi λειποθυμῶν, deinde poſt tempus aliquód reſurgens nuntios veros & ignotos è longinquo aſfert, atque hoc facto à dæmone liberatur: in morbo autem comitiali ſecus. Alii vero quorum corporibus diabolus ineſt, ſunt Magi, quos ab eo vexari non animaduerteris: itemq; illi qui religione ducti & putantes benefacere, à dęmonibus ad tempus occupantur, vt fuerunt in Gręcia Pythię, quas poſſidere credebatur Deus, ac propterea ἐνθυσιασμὸς dicebatur, cum Sibyllæ aut Pythiæ, quæ in Delphica Deliave ſpecu iacuerant, ſic occupabantur & per eas diabolus (quem vocabant Deum Apollinem) reſponſa dabat, quo facto ab eis ſuperſedebat dæmon. Veri autem dæmoniaci nonnunquam certis ſuperſtitionibus liberantur, quarum Hippocrates in libro de morbo ſacro meminit: Sed non raro Magi (vt adhuc faciunt) dæmonas depellebant. In primitiua Eccleſia Chriſtiani precibus vtebantur, deinde catechumenos & energumenos coniurationibus ac exorciſmis obſtringebant, licet is, qui ſe baptiſmi cauſa ſiſtebat, matura ætate, ſapientia prudentiaq; inſtructus eſſet, nec vlla maligni ſpiritus in eo cerneretur ſpecies: qui ritus ſemper fuit obſeruatus & adhuc obſeruatur, cum infantes in ea religione, quæ dicitur catholica, baptizantur. Hic enim de iis ſolum agitur, qui Magi non ſunt, & à maligno ſpiritu obſidentur. Contra autem ex infinitis iudiciis inter Magos conuenire conſtat, ſi

quis ex profeſſo Magus, & conuentione cum diabolo expreſſa obſtrictus, in perpetuum ſeruituti eius renunciet, ipſumque pœnituerit facti ſui non inuocato Domino, eum male mulctari, vexari, & cædi, niſi Deus ſingulari gratia ipſum conſeruauerit. Hominem à nobis viſum fuiſſe ante meminimus, quem malignus ſpiritus ita perſequebatur vbique, vt eo non poſſet liberari, dormientem ſuauiſſime vellicando naſum & aures excitabat, & ſciſcitabatur, numquid ab ipſo flagitare vellet? Sprangerus complures Sagas à ſe condemnatas fuiſſe dicit, quæ ſibiipſis gratulabantur mortem, dicentes ſe à diabolo cædi, niſi morem mandatis ipſius gerant, nec alia vnquam ratione quieſcere. Virum quoque nobilem ad Vellerios Coteretanos fuiſſe notauimus, cui Hiſpanus miles ſpiritum malignum cum annulo vendiderat, cumque ille nobili, prout exſpectauerat, non obſequeretur, annulum in ignem fuiſſe à nobili coniectum, ex eo tempore à ſpiritu nobilem non requieuiſſe. Sunt etiam qui cum fuerint Magi, Deo renunciauerint, & cum Satana in fœdus iurauerint, technis eius cognitis contemnunt quidem, ſed à Satana tamen minime infeſtantur, quia ſuos eſſe nouit eoque contentus eſt. Sunt etiam alii, qui videntur ſtulti, intempeſtiue ridentes & exultantes, vt ille apud Philoſtratum, quem Apollonius Tyanæus Magorum Princeps demonſtrauit obſidari à maligno ſpiritu atque liberauit: etenim ita res habet, niſi hominis ſtultitia

ex

ex morbo naſcatur, indicio eſt, eum à maligno ſpiritu poſſideri. Sunt etiam, qui non deſipiunt quidem, ſed ita dormientes incedunt ac ſi vigilarent: ſed hic lethargus eſt, aut aliud malum cerebri, quo etiam viri ſapientiſſimi nonnunquam opprimuntur. Non tres ex iſto malo & ſine dolore laborantes vidimus, & ſe Galenus ſemel ex eo morbo fatetur laboraſſe, cùm miliaris octauam obiret dormiens, donec in lapidem incurrens corruiſſet, eoque caſu expergefieret. Verumtamen ſunt, qui ſæpe clauſis oculis de nocte ambulant, domos, templa, celſaque & inacceſſa loca conſcendunt, quo nemo peruigil, quantumuis ſaperet, aſcenſurus eſſet: quod ſi de nomine ſuo vocentur, repente concidunt. Sprangerus hominem ita corruentem à ſe viſum fuiſſe narrat Aureliis. Fuit etiam vir hoc modo agitatus nocte, quem ſocius qui cum ipſo cubabat proſequens, cum in profluentem ire animaduerteret, non proceſſit quidem vlterius, ſed ne ille procederet nomine appellauit: ſic ille repente corruit dormiens & ſubmerſus eſt. Hunc præſumptio eſt à maligno ſpiritu fuiſſe actum, verumtamen non poſſum confirmare: nam fieri poteſt, vt quis audito ſuo nomine ex improuiſo excitetur, eoque pacto corruat: vt vero inacceſſa loca conſcendat dormiens & periculoſa præcipitia, & inoffenſo pede per ſe reuertatur, non eſt probabile. Vtcunq; ſit, hominem obſeſſum & vexatum à maligno ſpiritu non abeſſe à ſalutis via credibile eſt, vt ſancti

hominesputauerunt. Itaque Paulus priore epiſtola ad Corinthios de eo loquens, qui rem cum ſocru habuerat, Expedit, inquit, hominem illum tradi Satanæ, vt ſpiritus ſaluus ſit in die iudicii: quibus verbis excommunicationem, quæ hodie quoque eſt in vſu, credibile eſt intelligi. Reſtat vt modos depellendi malignos ſpiritus ex hominibus, beſtiis, ædibusque videamus. Aſſentitur enim Thomas Aquinas, beſtiam quoque rationis expertem cogi adiuratione poſſe, velut à Satana hominibus offendendis actum, ac proinde malignos ſpiritus abigi. Quod autem modos eiiciendi dæmonas attinet, Alexander primus Papa inſtituit aquam benedictam, Notæ ſunt coniurationes, Exorcizo te N. per Deum viuum, &c. tum oratio, Deus miſericordiæ, &c. poſt execratio, Ergo maledicte diabole, &c. deinde oratio altera, poſtremo execratio, (tres enim adiurationes adhibentur) ac tum demum quæcunque ſortes maleficive pulueres in domo viri à dæmone obſeſſi deprehenſi fuerint traduntur igni: quod S. Hilarionis & Hieronymi iudicio (vt ante diximus) plane aduerſatur. Confeſſiones etiam, Sacramenta, ſtolas, aliaque adiiciunt plurima: etſi non ſæpe maligni ſpiritus his omnibus procuratis & effectis exeunt. Mulieris à maligno ſpiritu poſſeſſæ Menilii ad Dammartinum commorantis ſupra meminimus, quæ per ſpiritum inde à 18. ætatis anno ligabatur, nec alio afficiebatur malo. Hanc Picardus Doctor & complures alii exorcizauerunt Lute-

In ſecunda ſecundæ q. 90.

Lib. de ceremoniis Eccleſiæ Rom.

Lutetiæ (vt diximus) Anno 1552. ſed tentatum fruſtra. Alios vero audiui, cum diabolum vellent exorcizare, ipſos fuiſſe occupatos: prout in Actis Apoſtolorum legimus, duos fuiſſe diſcipulos, qui malignum ſpiritum ex humanis corporibus tentabant eiicere, dicentes hæc verba, Adiuro vos per Ieſum, quem Paulus prædicat, &c. reſpondens autem ſpiritus nequam dixit eis, Ieſum noui, & Paulum ſcio: vos autem qui eſtis? & ſtatim diabolus vtrumque inuaſit, eo dimiſſo quem ante vexabat. Similem hiſtoriam in primo Greg. dialogo legimus, Sacerdotem quendam, qui mulierem à diabolo occupatam animaduertebat, ſtolam accepiſſe & impoſuiſſe mulieri, ſtatimque diabolum relicta muliere in Sacerdotem irruiſſe. Ait etiam Niderus, Monachum fuiſſe Coloniæ, facetum Magum, quem opinio erat malignos ſpiritus abigere. Hic roganti diabolo quo iturus eſſet, abi, inquit, in latrinas meas: quod fecit diabolus, ſed eum nocte latrinas adeuntem ſic contudit plagis, vt proximè à morte abfuerit. Interdum vero diaboli ex Magorum mandato abeunt, vt Apollonius Tyanæus dicitur eos abegiſſe, ac potius diaboli paruiſſe illi, vt opinionem deitatis (quam affectabat) conciliarent ei: quo inſtituto diſcipulos tam multos adeptus eſt, qui portentum iſtud anteponebant Chriſto, vt Euſebius octo libros contra Philoſtratum Apollonii Euangeliſtam coactus fuerit conſcribere. Idem quoque Simon Magus fecerat: nulla enim fraus tam ſubti-

lis eſt, quam non comminiſcatur Satanas, vt detrudat homines in idololatriam: quo non euertitur, ſed ſtabilitur potentia eius. Exemplum Bohemi Sacerdotis Sprangerus Quæſitor narrat, Dachonis nomine, qui diu poſſeſſus à diabolo Romam deductus eſt: dicebat autem, ea ſibi odio capitali eſſe, quæ Satanas diligit maxime. Magdeburgi quoque fuiſſe ſacerdotem alterum, quem diabolus poſſedit annos ſeptem, qui rogatus cur Sacerdotem illum inde à tribus menſibus cœpiſſet agitare, dixit, ſe iam ante in corpore illius conſediſſe: quærenti autem exorciſtæ, vbi lateret cum hoſtiam ſacram Sacerdos ſumeret, ſuberam, ait ille, linguæ: cumque inueheretur in eum exorciſta dicens, cur non fugis à præſentia Creatoris tui? reſpondit diabolus, at dum vir bonus ſuper pontem ambulat, quid obſtat, quo minus ſub pontem illum tranſeat improbus? Hæc Sprangeri Quæſitoris verba. Queritatur etiam interdum diabolus, tanquam ſi grauiſſimo dolore premeretur, dicens ſe huius animam aut illius eſſe, vt in errore homines detineantur. Hiſtoriæ hoc argumento exſtant quamplurimæ. Petrus Mamorius in Gallia narrat Confolenti ad Viennam fluuium hiſtoriam accidiſſe in Caplandi cuiuſdam ædibus Anno M. CCCC. LVIII. diabolum, qui animam defunctæ ſe eſſe prædicabat, gemitibus, clamoribus & querimoniis omnia compleuiſſe, monentem habendas preces peregrinationesque obeundas, & res

veras

veras plurimas reuelantem: ſed dicente ei quodam, ſi tibi vis haberi fidem, dic Miſerere mei Deus ſecundum, &c. reſpondiſſe, hoc à ſe fieri non poſſe. Tunc ludificantibus ipſum iis qui adſtabant, fremebundum aufugiſſe. Idem Nicolaæ Alberiæ Veruinenſi accidiſſe narrat D. Bartholomæus Fayus, Conſiliarius Pariſienſis Curię, Satanam huic ad foſſam patris oranti apparuiſſe tanquam è ſepulchro prodeuntem, qui miſſas plurimas celebrari, certasque peregrinationes ſuſcipi iuſſit, nec propterea miſeram exagitare deſtitit: & quamuis ſeipſum prius auum illius eſſe reſpondiſſet, tandem Beelzebubum eſſe confeſſus eſt. Diximus ſæpenumero quod eſt in Iobo, non eſſe poteſtatem in terris, à qua metuat Satanas. Itaq; pernicioſa eſt Ioſephi Hiſtorici Hebræi ſententia, quam antea perſtrinximus, cum Iudæum è ſua gente ſcribit à ſe fuiſſe viſum, quo annulum indente ad naſum hominis obſeſſi fugiebat diabolus illico: ſic enim homines ad reuerentiam rerum creatarum, lapidis, annuli inflectuntur. Neq; tamen ait, adamantem in annulo fuiſſe, etſi fuerunt in hac ſententia quidam, tantas eſſe adamanti vires, vt varia ſomnia & malignos ſpiritus amoliatur, (quod obſcurus quidam Poeta dixit:

Et noctis lemures, & ſomnia vana repellit.)

ſed non definiunt, quodnam ſit illud adamantis genus. Sunt enim ſex illius genera diuerſa maxime, in quibus numeratur ſextus adamas Arabicus aceruis magnis compertus in Pyre- Plin. lib. 37. cap. 4.

næis montibus, ſic tritus viatorum pedibus vt centum pondo in loco tribus ſolum aureis venale habeatur. Hic à natura tam belle formatus & expolitus eſt, vt omnia opificum mangonia & omnes artes dignitate ſuperet, ſex angulis æqualibus, duabus extremitatibus acuminatis, figura conoïde, multis etiam colore variantibus. Apud veteres credebatur, gladiorum aciem à diabolis timeri vehementiſſime: Plato enim & complures Academici ſpiritus poſſe diuidi arbitrantur. Memini Anno M. D. LVII. malignum ſpiritum cum fulmine irruentem Tholoſæ in ſutoris ædes Pudoti nomine Salino adiacentes, vibrare lapides per ſingulas partes cubiculi, vnde tam magnus lapidũ aceruus collectus eſt, vt domina ædium ingens ſcrinium quod obſerabat claue lapidibus plenum habuerit: & quamuis ianuis feneſtriſque obditis, nihilominus tamen ſpiritum ſine cuiuſquam damno alios lapides apportare. Quid rei eſſet inuiſit Latomius tum Præſes quartus: ſed ille ſpiritus decuſſit pileum eius lapide, & in fugam vertit præcipitem. Iamque dies ſextus agebatur, cum D. Ioannes Morquæus Præſidialis Iudicis Conſiliarius monuit me, vt miraculum iſtud inuiſerem, vbi duabus tribusve horis conſumptis non percepi quidquam. Me autem ingrediente dixerat quidam, Deus ſit in his ædibus: deinde cognita hiſtoria indixit domino ædium, vt ſerio ex animo oraret Deum, & gladium in cubiculi totius ambitum agitaret; fecit poſtero

die

die mulier, dixit, nihil à ſe ex eo tempore fuiſſe auditum, & dies ſeptem ſine quiete vlla tranſegiſſe. Horum ſpirituum λιθοβόλων plenæ ſunt veteres hiſtoriæ: qualem Guilielmus Pariſienſis ſcribit fuiſſe Pictauii in parochia S. Pauli Anno M. CCCC. XLVII. qui cyathos & vitreamina frangebat iniectis lapidibus, offendebat neminem. Dicitur præterea, malignos ſpiritus, cum eiiciuntur, in certum aliquem locum ablegandos eſſe. Sic Chriſtus in Euangelio dicitur ad porcorum greges diabolos tranſmiſiſſe, & in Tobia Angelus abactum malignum ſpiritum vinxit in ſuperiore Ægypto: ex quibus videtur Deus non poteſtatem modo, ſed etiam loca circumſcripſiſſe, quibus maligni ſpiritus includuntur. Scribit in Dialogo Cæſarius, Colonienſis Sacerdotis filiam ab Incubo ſpiritu maligno agitatam ex phreneſi laboraſſe: monitum autem patrem illius effeciſſe vt filia trans Rhenum deportata migraret; ſic diabolum à filia diſceſſiſſe, verum parentem adeo contudiſſe, vt poſt triduum vitam amitteret. Illud quoque legimus, malignos ſpiritus frequentiores eſſe in pagis quam in oppidis, & in deſertis & aquoſis locis quam in pagis, vt in Iobo eſt 41. capite: Quapropter maligni ſpiritus de nocte flammantes (ſtultos ignes appellant noſtri) ſecundum aquas ſpectantur plurimum & ad ſubmerſionem homines prouocant. Ac iſti quidem ſpiritus vt propulſentur, credo res creatas cum timore & verbo Dei con-

iunctas poſſe conducere, ſed nihil plane ſine timore Dei efficere. Exemplo ſit Muſica, quæ ante alia plurimum contra ſpiritus malignos poteſt, vt à Saule infeſtando ſcribitur malignus ſpiritus deſtitiſſe, cum Dauid pulſaret fides. Erat quidem tunc temporis Spiritus ſanctus in Dauide, verumtamen Saulis cruciatus pulſans demum fidibus deſinebat: ſiue eo quod Muſica res diuina quædam eſt, diabolus vero nihil tantopere quam diſcordias diligit, ſiue quod harmonia conſpirans cum anima effugientem rationem ad ſua principia reuocat: prout annotabant veteres à Muſica interuentu animæ ſic curari corpus, vt interuentu corporis curatur medicamentis anima. Sic in Germania quoddam hominum furioſum genus inſtrumentis ſolum muſicis curatur, cum modulos ſuos Muſicus choreæ furioſorum accommodat, & paulatim efficit, vt furioſus ſeſe pro cantione Muſici leniter temperet: ſic tandem quiete allata ſanatur furioſus: hunc S. Viti morbo Germani dicunt laborare. Prophetam quoque Michæam legimus ab Achabo Rege Samariæ accerſitum antequam prelii exitum prediceret, iuſſiſſe coram Rege, vt inſtrumentum muſicum pulſaretur, eoq; pacto occupatum à Dei ſpiritu proph. taſſe. Samuel item conſecrato Saule, abi illuc, inquit, vbi inuenies Prophetarum turbam deſcendentium de monte qui pulſant inſtrumenta, tum Spiritus Dei inceſſet te: itaque ſimulatq; ad Prophetas ludentes inſtrumentis acceſſit

ceſſit Saul, irruit in eum Dei ſpiritus, quo ſe mutari ſenſit. Etſi credibile eſt Spiritum illum Dei quo plena erat Prophetarum turba non Saulem modo igne diuino inflammaſſe, ſed etiam omni ex parte malignos ſpiritus depuliſſe. Itaq; dum Saul à Deo & Angelo ipſius relictus, & occupatus maligno ſpiritu Dauidis necem quæreret, ſicarios quidem bis in comitatum Samuelis miſit qui illum interficerent: ſed vt primum acceſſerant, occupati à ſpiritu Dei benedicebant & laudabant Deum qui Dauidem occiſuri venerant: quod Saul audiens aduenit ipſe, & in alium repente conuerſus prophetauit & laudauit Deum. Nam Hebræi priſci docuerunt, certiſſimamq; ἀπόδειξιν & indubitatam eſſe ſtatuerunt, nihil tantopere Deo acceptũ eſſe quã laudes ipſius integro animo atque hilari decantatas, quod ait Pſaltes: Pſalm. 33.

Recti labra decet ſummum laudare parentem:

Nec exſtare quicquam abigendis ſpiritibus malignis tam aptum, aut potens cogẽdis: quod tamen non res creatæ, ſed laus Creatoris efficit. Qui ergo, dixerit quiſpiam, Apollonius Tyanęus Magus ille potuit Dæmonas eiicere? quomodo nunc etiam Magi momento poſſunt malignos ſpiritus depellere? Reſpondeo quod anno M.CCC.XCVIII. Sorbona definiuit, Hæretici ſunt qui putant dæmones maleficiis cogi poſſe, qui ſe cogi fingunt. Cum itaque à Magis cernimus ſpiritus malignos extrudi, neque extrudunt ipſi neq; exire cogunt, ſed colludũt in-

ter ſe: vt apud Leonem Africanũ legimus à Magis (quos illi vocant Muhazimim) poſt ductos aliquot circulos & characteres in fronte dæmoniaci interrogatumq; dæmonem, dari mandatũ ei vt exeat, & ſtatim exire illum (quod item ſcribit Sprangerus de Germaniæ ſortilegis) quo facto Satanas qui nihil niſi corpus tenebat ante violentia, in tranquillam animæ poſſeſſionem mittitur. Item ſi quando ſuperſtitioſi ritus idololatriaque adhibentur, malignus ſpiritus abſcedit & cogi ſe fingit, vt imperitos protrudat in conſtantem & obfirmatã idololatriam. In Germania ſi quis dæmoniacus aut ſortibus affectus ſuſpicetur per Sagam aliquam malignum ſpiritum ſibi maleficiumue importatum, Iudices ipſaque Imperii Camera coram homine affecto hæc verba à Saga pronuntiari iubent. Benedico tibi in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti, in tuis bonis ſanguine & armento: & momento affecti homines reſtituuntur valetudini. At hoc ſi vir Germaniæ optimus eadem verba pronuntiauerit non effecturus eſt: vnde eruitur inde diabolum & Magum optime conuenire, qua lege olim Magi è corporibus hominum diabolos leguntur exegiſſe dum Hippocrates viueret, vt idem in libro de morbo ſacro teſtis eſt. Dæmoniaci autem inueniuntur quamplurimi in Hiſpania, Italia, & Germania maxime, qui decem aut viginti annos ſic à dæmonibus poſſidentur vt arceri nequeant. Sic Amſterodami pueri dæmoniaci triginta anno M. D. LVI.

com-

comperti ſunt, à quibus nullo exorciſmo dæmones potuere propulſari: id autem ſortibus & maleficiis contigiſſe iudicium fuit, quia ferramenta, vitrea fragmenta, capillos, acus, pannos, & ſimilia excernebant, quæ ſolent ex ſortilegiis homines affecti eiicere. Puellas dæmoniacas & mulieres 80. ante diximus Romæ à Benedictino monacho, quem Cardinalis Gondius Pariſienſis Epiſcopus eo abduxerat, exorcizatus fuiſſe anno M. D. LIIII. ſed nihil opera illius totis ſex menſibus fuiſſe confectum. Huic percontāti à Satana cur miſeras iſtas puellas occupaſſet? reſpondit ſe fuiſſe à Iudæis miſſum indigne ferentibus, quod iſtæ quarum pars maxima ad Iudęam gentē pertinebat fuerint baptizatæ: quod à Satana credebatur dici, quia Theatinum Papam cogitabat procuraturum Iudæorū necem quibus erat infenſiſſimus: ſed Ieſuita quidā coram Papa defendit non eſſe penes homines facultatem iſtam, ac ne penes Satanam quidem: hoc poſſe fieri ſi his aut illis Deus permiſerit, conſilium autem Dei à perueſtigantibus non poſſe comprehēdi. Quamquam non puto fuiſſe Satanam à Iudæis miſſum, qui homines potius religione fuiſſet poſſeſſurus, quam eos qui participato baptiſmo legi illorum renuntiant. In Kendorpienſi autem monaſterio ad Marchiam Germaniæ, vbi moniales maligni ſpiritus anno M. D. LII. mirificis tormētis cruciarūt, interrogati Magi & moniales Sagæ reſponderunt fuiſſe iſtud ab Eliſabetha Kama coqua monaſterii
procu-

procuratum, quæ Sagam ſe agnouit eſſe, Satanam rogauiſſe, & ſortilegia ad hanc rem exercuiſſe. Hæc viua cum matre incendio periit. Efferebantur autem dæmoniacæ in aerem vnoquoque die, interdum horis ſingulis, & ſine dolore in terram recidebant, tum planta pedum titillatæ ſine intermiſſione ridebant: aliquando etiam inter ſe percutiebant ictibus. Quod ſi quis vir bonus aderat orationem habēs ſerioue de Deo proloquens, vexabantur illæ; ſin horas Latine legerent aut ritus ſuos pronuntiarēt, aut de ludis & ineptis ſermo haberetur, dolore carebant aut leuabantur plurimum, omnes halitu erant fœtidiſſimo. Eodem tēpore in propinquis oppidis & pagis dæmoniaci complures fuerunt deprehenſi: qua ex cauſa plurimæ Sagæ comprehenſæ & ſupplicio vltimo affectæ ſunt. Similiter in monaſterio Nazaret Colonienſis diœceſis opera adoleſcentis cuiuſdam Sagæ Gertrudis nomine (quam ſingulis noctibus dęmon inierat, ex quo nata fuerat annos 12.) moniales omnes à ſpiritibus malignis fuerunt obſeſſę. Apud Fernelium in libro de abditis rerum cauſis legimus, ipſum ad inuiſendum quemdam nobilem adoleſcentem dæmoniacum fuiſſe ductum, qui literarum expers Græce loquebatur tamen: hunc dixiſſe patri vt torquem ordinis equeſtris collo eximeret: rogatum autem ſpiritum quiſnam eſſet, reſpondiſſe per hominem (cuius nomen nolebat exponere) fuiſſe factum vt in corpus veniret pueri. Hunc hominem fuiſſe

iſſe ſtudioſiſſimum Satanæ clientẽ eſt veriſimile:
quamuis nec Satanę nec Magis omnib' hęc poteſtas inſit aduerſum homines, niſi provt Deus permiſerit, vt nuper in Flandria res admirabilis contigit, quę ab eo tempore toti Chriſtiano orbi innotuit. Antonio Suqueto Equiti ordinis Vellerei Conſiliario in priuato conſilio Brabãtiæ filius erat nothus, qui antequam vxorẽ duceret familiaritatem cum altera quæ Saga credebatur eſſe coluerat. Hæc puellæ nobili quæ amatori nupſit inuidens, ita cum Satana egit vt mulier iuuenis inceſſeretur à maligno ſpiritu, vexaretur in maxima frequẽtia, & quamuis obnitentibus viris in altum attolleretur & huc illuc proiiceretur. Inſtante partu dum accerſeretur obſtetrix, Saga quam metuebat oderatque mulier grauiſſime ingreditur, mulier defecta animo & ſoporatà corruit, fœtumq; paulo poſt eiectum ſentit. Diſcedit Saga, accedit obſtetrix, puerperam ſolam offendit, partus nunquam ex eo tempore viſus eſt. Creditum eſt vulgo Satanam in corpus fœminæ ab inuidente Saga immiſſum eſſe: verum hoc non aliter quam ſecreto Dei iudicio effectum eſt. Perſimilis huic hiſtoria dicitur in Lotharingia fuiſſe geſta, de muliere quam Satanas ad fœtum habendum extulit: ſed patrem affirmatur fuiſſe Magum, & Satanæ vouiſſe fœtum. Nonnunquam vero bruta mulierum cupido efficit, vt dæmon eſſe videatur qui in turpes actiones incumbit: quemadmodum in diœceſi Coloniẽſi anno M.D. LXVI.
canis

canis qui dæmon eſſe dicebatur, in monaſterio fuit deprehenſus qui monialium veſtes attollebat vt abuteretur ipſis. Hic naturalis fuit (opinor) canis, non autem dæmon. Comperta eſt Tholoſæ mulier ſic abuti cane, cui vim palã canis afferre voluit: hęc rem confeſſa igni fuit tradita. Alia eiuſdem criminis euicta anno M.D. XL. in vincula Lutetiam abducta eſt. Videtur autẽ in Lege Deo non fuiſſe ſatis, vt iſtud propter abominandum malum indicta nece caueretur, niſi etiam eodem in capite mercedem meretricis offerri Deo & pretium canis prohiberet. Illud etiam poteſt fieri vt Satanas mittatur à Deo, prout omnes pœnas conſtat ab eo ſiue ordinariis modis, ſiue præter modos ad vlciſcendum hoc turpe facinus proficiſci. Sic in Monaſterio montis Heſſi in Germania erant moniales dæmoniacæ, & ſuper earum cubilia videbantur canes tentantes impudice eas, quæ in ſuſpicione erant iſtius ſceleris & mutum (vt vocant) peccatum commiſerant. Cuius rei lectorem placuit commonefacere, vt caueant omnes ne qua vis voluntati puellarum quæ à caſtitatis voto alienæ fuerint afferatur. Exorciſmos autem à multis adhiberi mirũ, quibus nunquam ſancti Prophetæ vſi ſunt. Etenim horruiſſent illi Satanam interrogare, aut de re vlla cõſulere, aut imperata illius facere, ſed præſentes ſancti viri ad Dei vnius laudẽ malignos ſpiritus propulſabant. Itaq; in priſca Eccleſia dæmoniaci in cœtũ adducebantur, & populus totus ora-

bat

bat Deum, vt apud Chryſoſtomum, Clemētem (qui orationem tradit elegātiſſimam) & Theodorum anagnoſtem legimus. Perſarum Regem in priſca Eccleſia imperauiſſe legimus vt abigerentur dæmones, & precibus in Eccleſia habitis dæmonas fugatos eſſe. Apameēſem Epiſcopum in Theodoreto legimus vultu in terram demiſſo Deum interpellaſſe precibus, & Dæmonem ex æde Iouis eieciſſe. Ac propterea diſerte Lex Dei imperat deleri templa vbi Gentiles diis ſuis ſupplicabant, ne vllo pacto in eis pollueretur, contaminaretur, aut inuocaretur Dei nomen. Auguſtinus quoq; & Sozomenus ſcribunt nihil aliud Dæmonibus pellendis olim fuiſſe vſurpatū quam preces coram Deo, nullum familiare colloquiū, nullas facetias, nullas interrogationes Satanæ fuiſſe propoſitas: prout in Germania quibuſdam accidit, quorum alii Satanæ verbis habuerunt fidem, alii mandatis paruerunt damnanda impietate & deteſtabili. S. Dionyſius in Hierarchia, & Theo. de ſacra Synaxi, teſtantur dæmoniacis hoſtiam nūquam fuiſſe datam. Hieronymus in vita S. Hilarionis ſcribit iuuenem Magum, qui puellæ animum non potuerat pellicere, laminam æream ianuæ ſubdidiſſe, inſculptis in ea quibuſdam notis, itaque paulo poſt obſeſſam à dæmone puellam furore agere cœpiſſe & loqui, dæmonem dixiſſe à puella corpore ſe non exiturum donec lamina adempta eſſet: Hilarionem vero vetuiſſe vt adimeretur, & ſolis precibus ſine hoſtia, adiuratione, aut quæ-

Lib. de incō-prehenſibili Dei natiuitate.
Lib. 8. cap. 32.
Lib. 2.
Lib. 5.
Deut. 12.
Lib. 22. de ciuit. Dei.
Lib. 6. c. 28.

quæſtione vlla Diabolis propoſita(nam à rebus iſtis abhorrebat) puellam eo liberauiſſe. Ioan-
Lib. 5. cap. 14. nes Vierius narrat puellam dæmoniacam à ſe in Germania viſam, & roganti exorciſtæ Satanam reſpondiſſe fore opus vt puella Marcodurum Germaniç oppidum religionis ergo petat terno quoque paſſu in genua procidens, & miſſam in altari S. Annæ celebrari curet, ſic futurum vt puella liberetur: adeoq; ſignum liberationis ſub finem Miſſæ venturum prædixiſſe. Hoc facto ſub finem Miſſæ puella & Sacrificus albā quandam viderunt imaginem, & illa dæmone ſoluta eſt. Similiter in Loenenſi pago Iuliacenſis Comitatus anno M. D. LIX. die XVII. Decembris Dæmonem, à quo obſidebatur puella quædam, rogare auſus eſt Curio an bona eſſet Miſſa, & quare ſimulac datum fuerat ſignum puellā repente ad miſſam cogeret, Satanas reſpondit ſibi conſilium de hac re capiendum eſſe: Ita reuocabat ille in dubium religionis ſuæ fundamētum, cuius Satanam conſtituebat iudicem. De his quæſtionibus ait Pylocrates, Mali dæmones fa-
Lib. 2. ca. 24. ciunt ſponte quod inuiti videntur facere, & ſimulant ſe coactos vi exorciſmorum quos fingunt in nomine Trinitatis, eoſq; tradūt hominibus, donec eos crimine ſacrilegii & pœna damnationis inuoluant. Exſtat exemplum aliud Philippi Woſolichii Colonienſis religioſi in Kuectana Abbatia, obſeſſi à Dæmone anno M. D. L. qui dæmon interroganti reſpōdit ſe Matthiæ Durenſis Abbatis præcedentis animā eſſe:
eum

eum pictori,qui Mariæ virginis tam accuratam pinxerat imaginem, non ſoluiſſe mercedem, monachum vero liberationem conſequi non poſſe niſi religioſam profectionem Treuiros & Aquiſgranum verſus obiuerit: dictum factum, religioſus morem gerens liberatus eſt. Hæc hiſtoria Coloniæ typis excuſa eſt.D.Bartholomęus Fayus libellorum ſupplicum in Parlamento Præſes ſcribit, cum Nicolaa Alberia Veruinenſis ad aui ſui ſepulchrum haberet preces, emerſiſſe è terra hominem inuolutũ linteo, qui mulieri dixit ſe auũ ipſius eſſe, atq; vt à pœnis Purgatorii liber eſſet Miſſas cani plurimas, & profectionem in ædem virginis Mariæ à Lętitia dictæ ſuſcipi oportere, tum ſeipſum retegẽs auus eſſe viſus eſt: hanc ingentem Miſſarum numerũ procurauiſſe, cum deſinebatur ab earum celebratione mulierem exagitatã fuiſſe grauiſſime, ſed eum dixiſſe tandem ſe Beelzebubũ eſſe. Sed hæc hiſtoria cum per totam Galliam innotuerit, nihil dicam amplius. Ecce autem recentiorẽ aliam,notam Pariſienſibus necdum mandatam typis, quæ Lutetiæ ad inſigne equi rubri in vico S.Honorati accidit.Quidam Metaxaris neptim ſuam quam eſſe videbat orphanam ad ſe receperat:hęc cum propter Geruaſii ad ſepulchrum patris haberet preces, Satanas ſe illi ſoli proceri hominis & atri figura obtulit, eamque prehendens manu dixit,Amica ne timeto,pater tuus & mater bono loco ſunt,verum Miſſæ aliquot dicendæ ſunt, eũdum peregrinatione ſuſcepta ad

noſtram dominam virtutum, ſic in Paradiſum recta ituri ſunt: ſcilicet humanæ ſalutis ſtudioſus eſt Satanas. Roganti puellæ quis eſſet, reſpõdit ſe Satanam eſſe, & ne conſternaretur monuit. Puella imperatum fecit: quo facto eam iuſſit Satanas peregrinationem Compoſtellas ad S. Iacobum ſuſcipere, cui illa, non poſſum, ait, tam longinquum iter cõficere. Ex eo tempore non deſiuit Satanas importune vrgere illam, & vacantem operi cum ſola eſſet familiariter compellauit dicendo, quam crudelis es? nollet iſta propter me forfices in ſinum indere: quod illa cum effeciſſet vt ei ſatisfaceret atq; ab eius importunitate expediret ſeſe, rogabat ille vt ſibi aliquid daret, profectuſq; tandem eo eſt, vt de capillis peteret illius, illa crinem roganti dedit. Nonnunquam etiam tentauit perſuadere vt illa ſe in aquam daret præcipitem, nonnunquam etiam vt ſe ſtrangularet, & ipſe indita in collum reſte eam fuit ſtrangulaturus niſi exclamaſſet: etſi auunculus aliquãdo volens illam defendere verberibus ita exceptus eſt, vt dies amplius 15. ægrotus decubuerit. Semel etiam tentauit Satanas cum ea concumbere & vim afferre illius pudicitiæ: illa vero fortiter obſiſtens ita fuit affecta plagis, vt ſanguis ex illius corpore manauerit. Inter eos qui viderũt puellam, quidã Epiſcopi Valentini Secretarius nomine Choinius puellæ dixit, modum pellendo dęmonib' eſſe aptiſſimũ ne quid reſpõdeatur ad dicta illius, quamuis Deum orari præciperet: quod nunquam niſi blaſphe-

blaſphemans facit, aut ludificans nomen illius creatis rebus coaptatum. Videns itaq; Satanas nihil à puella ſibi reſponderi cauſaue ſua fieri, prehenſam proſtrauit in terram: ab eo tempore non eſt puellæ oblatum viſum. Huic D. Amiotus Altiſſiodorenſis Epiſcopus & Curio parochiæ in qua puella habitabat mederi nequiuerant. Hoc remedium mihi probatur valde: nam Satanas (vt habetur articulo 12. determinationis Sorbonæ contra Magos factę anno M.CCC. XCVIII.) ieiunia, preces, & orationes imperat, etiamque hoſtia abutitur vt imperitos decipiat. Hiſtoriam Petri Mamorii ante notauimus ex lib. de Sortilegis, quem ante 120. annos in lucem edidit, Satanam in domo cuiuſdam Caplāti anno M. CCCC. LVIII. Confollemi ad Viennam dixiſſe animam defuncti ſe eſſe, ingemuiſſe tanquam ſi dolores maximos perferret, monuiſſe vt miſſæ quamplurimæ canerentur, peregrinationeſq; obirentur, & non paucas res occultas vt erant reuelaſſe. Cum autem ei dixiſſet quiſpiam, ſi tibi vis haberi fidem, dic Miſerere mei Deus ſecundum magnam miſericordiam tuam, renuiſſe illum, & fremebundum indigneq; ferentem ſibi hac ratione illudi aufugiſſe.

IOANNIS BODINI DÆMONOMA-NIÆ MAGORVM

Liber Quartus.

CAPVT I.

De quaſtione aduerſus Magos.

HACTENVS de modis abigendorum ſpirituum malignorum diximus: ſed fruſtra, ſi Magi reuocent cum eos expuleris. Semper enim obſeruat Satanas, vt vocatus veniat, & non vocatus accurrit ſæpenumero. Suaues igitur modos medicinaſq; faciles expoſuimus, nempe vt populus inſtituatur in Lege Dei, & ad cultum ipſius perducatur. Quod ſi neque improbi his rebus contineri in timore Dei, neque Sagæ à deteſtabili vitæ inſtituto reuocari poſſunt, tum cauteria oportet adhiberi candenteſq; laminas, & putrefactas partes reſecari. Etſi reuera quocunque tandem animaduerſionis genere torreantur ad ignẽ lentum & crementur Magi, plurimum tamen abeſt hæc pœna ab illius pœnæ grauitate, quam in hoc mundo ipſis importat Satanas, vt pœnas æternas

Digitized by Google

æternas taceamus quæ ipſis comparatæ ſunt. Ignis enim ne dimidium quidem horæ, nedum horam perdurat quin abſumantur Magi: ſed ex omnibus maleficiis quibus pœnæ contrahuntur, vt ſunt auaritia, inuidia, ebrietas, adulterium, & ſi qua ſunt eiuſmodi, ſola Magia virum ſuum vlciſcitur crudeliſſime & diutiſſime, corpus & animam conficiens pœnis. Quod enim Mediolanẽſis quidam inimicum vlturus quem in manu habebat fecit (hic pugione faucibus admoto ſeſe iugulaturum eſſe minatus eum niſi renuntiaret Deo, ad renunciandum compulit, nec ſemel feciſſe contentus renuntiare iuſſit ex animo idemq; ſæpius repetere: quo facto, eum iugulauit dicens, Ecce vt de corpore animoque vindictã ſumimus) id igitur facit diabolus ſubditis. Magos docuimus nec opes ſuis artibus, nec voluptates, nec honorem, nec ſcientiã adipiſci, ſed modos ſolum faciendi res turpes nefariaſq; ad quas eos Satanas perducit, inuenire: Atq; hanc illam mercedem eſſe quam reportãt in hoc mũdo, quod Diabolus cogit eos vt Deo renuntient, ſe adorent, & poſteriora ſibi figura hirci aut turpis alterius animalis oſculentur, & quod quietis loco mancipia ſua exportat noctu ad ea ſcelera perpetranda quæ ante explicauimus. Quamobrem quod ſupplicium capitale in Magos decernitur, non eo fit quod res grauiores in ſuppliciis perferre poſſint quam prius tulerint, ſed vt ira Dei impendens toti populo ſedetur, tum etiã vt ſanentur affecti reſipiſcentia:

aut ſaltem ſi noluerint pœnitere, vt numerus eorum minuatur, improbi conſternantur, & electi conſeruentur. Itaq; ad ſalutem pertinet totius Reipub. vt diligentia maxima perueſtigentur & ſummo iure puniantur Magi: alioqui periculum eſt vt Magiſtratus & Magi à populo lapidibus obruantur. Sic Haguenonæ ad Laodunum noſtrum, cum Sagæ duę ante annum ex iure mortem promeritæ, fuiſſent damnatæ vna, vt cęderentur flagris, altera vt inter flagellandũ aſſiſteret, populus prehenſas Sagas magiſtratu eiecto lapidauit. Alia famoſa Saga Verignii habitans (quæ poſtremo Aprili vita defuncta eſt) obſtetrix, cum ſortilegiorum aliquot accuſata fuiſſet, fuit abſoluta: ſed poſtea tam atrociter vindicauit factum, vt innumeros homines pecoraque nece affecerit, prout ex incolis audiuimus. Equidem ſæpe miratus ſum cur à multis Principibus quæſtiones inſtitutæ & iudices extra ordinẽ dati delegatiq; fuerint in fures, quæſtores ærarios, fœneratores, & viarum obſeſſores, per quos tamen turpiſſima & ſumme horrẽda impiaq; Magorũ facta manſerunt impunita. Hoc quidem iam olim compertum eſt, fuiſſe Principum alios Magos, alios abutentes Magis, per quos ex honorum faſtigio ſemper in barathrum calamitatum & ęrumnarum omniũ dati fuere præcipites. Nam ſi Magos de victoria cõſulunt, Deus facit vt victi abeãt: ſi indicari à Satana ſucceſſorem petũt, hoſtibus ſucceſſionem largitur Deus: ſi Magos rogẽt an ſint reualituri

à mor-

à morbis ſuis, Deus ipſos enecat, vt infinitis hiſtoriarũ exemplis oſtẽdimus. Sic Deus animaduertit in Magos Principes, in quos nihil magiſtratus poſſunt. Aliquando etiam autor eſt Dominus vt in Magos Principes rebellent ſubditi: plerunque punit ipſorum Magorum opera, eo quod Satanas ſacra ſua opertanea de nocte exercet cum Magis, quorum ſigna in abdito latent, quorũ facta digito monſtrari nequeũt oculiſue cerni, de quibus ardua eſt quæſtio & probatio difficilis: hæc autem res inprimis Iudices impedit quo minus ſententiã ferãt, aut homines eſſe euictos putent tam horrendi ſceleris, quod maleficia omnia (quęcunq; tandẽ excogitari poſſint) comitantur, vt ſupra demonſtrauimus. In cauſis igitur huiuſmodi cum tã execranda crimina ſic fiunt abdite, vt per viros bonos nequeant retegi, per conſcios & reos eiuſdẽ criminis maleficos opus eſt reuelari, vt fit latronibus: & vnic⁹ vt innumeros accuſandos eſt ſatis. Demõſtrauit modo illud factũ Caroli IX. Regis, cum Triſcalanus cõuictus ea feciſſe, quæ humana facultas non poteſt, nec ſpecioſam vllã rerum à ſe geſtarũ rationem valens afferre, omnia ope Satanę fieri confeſſus eſt, veniamq; ſibi à rege dare poſtulauit, plurimos ſe indicaturũ pollicẽs. Rex ea lege indulſit poſtulanti veniam, vt conſcios deferret affineſque eiuſdem criminis: fecit, multorumq; nomina & cognomina quos nouerat protulit: quos autem in cœtibus viſos de facie ſolũ cognouerat, eos vt agnoſceret, iubebat ſe

in publicos conuentus duci, humerumque aut aliam corporis partem in iis qui Magicã coluerant curabat inſpici, vt deprehenderetur ſignũ: eos vero ex medio oculorum interuallo noſcebat quibus ſignum deerat, & quibus Diabolus tanquam fideliſſimis ſubditis ſummopere confidebat. Verumtamen iſtorum hominum perſecutio delatioq; ſtatim ſuppreſſa eſt ſiue fauore & concuſſione, ſiue inſano ſtudio tegẽdi certos homines affines iſtius criminis, de quibus nulla forte vnquam fuiſſet orta ſuſpicio, ſiue propter immanem iſtorum numerum: & effugit index. Non ſecus etiam accidit, cum cæcus ille è trecẽtorum cæde & alii criminis eiuſdem rei fuerunt ſuſpenſi Luteriæ, & rei centum quinquaginta ferme delati ſunt: ſed qui ex eis vitam laqueo finiuerunt, hoſtiam ſacratam ad ſuas ſortes conuicti ſunt non raro adhibuiſſe. Ex eo tempore paulatim cœptum eſt ad rem hanc attendi: maxime vero ab obitu Caroli IX. Regis non ita hęſerunt in difficultatibus Iudices, vt eo regnante fecerant, quas difficultates Henrico II. regnãte non fuiſſe auditas conſtat: qua de re D. Bartholomæus Fayus Præſes libellorũ ſupplicũ in operibus ſuis expoſtulat. Multæ ſunt autẽ de Magis cognoſcẽdi viæ, vt pœnas luãt, ſiue per ordinarios iudices, ſiue per Cõmiſſarios (vt vocãt) extra ordinẽ datos. Etenim pręter Iudices ordinarios vnũ duosue minimũ extra ordinẽ dari in ꝑfecturas ſingulas neceſſe eſt: etſi nõ ꝓpterea cognoſcẽdi ius ordinariis iudicib. velim adimi, ſiue
præue-

præueniant ſiue concurrant in eandem cognitionem, vt alii ad rem tam ſanctam aliis ſint adiumento. Olim ad Eccleſiaſticos iudices, non autem ad laicos hæc cognitio pertinebat: quam in ſententiam perſequente Epiſcopo Pariſienſi decretum Parlamenti factum eſt anno M. CC. LXXXII. Poſtea vero Iudicibus laicis cognitio attributa, Eccleſiaſticis adempta eſt ſancto Parlamenti eiuſdem decreto, anno M. CCC. XC. Deinde Pullallerius Laodunenſis Tribunus militum captis compluribus Magis cum de iis vellet cognoſcere, impeditus eſt decreto Curiæ, quo tempore ſic architectabatur Satanas, vt quicquid de Magis prædicabatur pro fabulis haberetur. Verum ne forte expectent Iudices, dum fiat expoſtulatio, aut inſtent Procuratores Regis, tenentur ex officio de ſuſpectis inquirere: quæ ratio magis occulta eſt, atque haud ſcio, an omnium ſit tutiſſima. Sed quoniam metuunt alii, & eo ſe alii inferre dubitant, vt inquirant ipſi, regios certe Procuratores & Vicarios actionem opus eſt intendere: atque hæc ſecunda ratio. Horum enim proprium munus eſt, vt ante omnia in perſequutionem maleficiorum incumbant ſtudioſiſſime. Cumque non raro Iudicibus ipſis regii Procuratores negligentiores ſint in ſuo munere, expedit vnumquemque in hoc crimine ad accuſandum admitti iuncto Procuratore Regis: quod ſi renuat, à priuatis tamen hominibus audiri accuſationem ad publicam vindictam iſtius criminis, ac non quid

Bar. in l. 2. §. ſi publico. de adult. l. nullum. de teſ. ff. l. ſi quis in hoc. de Epiſc. & Cler. C.

huius interſit obſeruari, prout in hoc regno ad omnes criminales cauſas fieri neceſſe eſt: ſi modo ea, quæ ex communi iure ſolennia ſunt, retineantur, ſicut ſcripta ſunt l. qui accuſare. de publicis iudiciis.ff. quæ tertia eſt nec incommoda quærendi via. Quarta ratio delationum eſt, cum Regii Procuratores indicum nomina non coguntur edere, niſi aut calumnia ſit euidentiſſima, aut accuſatus in totum abſoluatur, vt Molinnarum edicto cautum eſt: nam ſi reus conditione purgandi ſui quouſque reuecetur vinculis exeat, aut amplius fuerit pronuntiatum, ratio diuerſa eſt, puta ſi indicia aut præſumptiones exſtent. Quia autem iſtud Magorum ſcelus in pagis & ſuburbiis frequentius eſt quam in oppidis, itaque imperitum vulgus plus ſibi à Magis quam à Deo & Magiſtratibus metuens, neque accuſare audet neque deferre illos: ad inquirendum tam horrendum crimen oportet laudabilem illam Scotorum conſuetudinem, quæ Mediolani eſt recepta, (Indictum vocant) vſurpari: nempe cauum truncum in Eccleſia eſſe, quo liceat cuiq; chartulam iniicere, nomen Magi, rem geſtam, locum, tempus, & teſtes exponentem, eumque truncum præſente Iudice, Procuratore Regis aut Fiſci (quibus ſingulis vna clauis trunci bina ſera occluſi futura eſt) quindeno quoq; die reſerari, vt clam de iis inquiratur, quorum deprehenſa fuerint nomina: atque hæc quinta eſt certiſſimaq; agendi ratio. Sextam fieri oportet monitoriis, quæ via eſt per-

perneceſſaria ad cogendum eos, qui accuſare, deferre, aut expoſtulare non audent, nec volunt. Septima eſt, vt conſortes iſtius criminis ad accuſandum alios eiuſdem reos admittantur, impunitate accuſatori promiſſa atque præſtita, ſi ipſum pœnituerit & Satanæ renuntiauerit. Hæc Ioannis Durandi Iurecoſſ. ſua ætate præſtantiſſimi opinio in tit. de accuſation. qui hoc priuilegium conſortibus Magicæ artis irrogandum putat: quamuis communi iure non poſſint conſortes accuſare. Niſi illud forte legis Tulliæ de ambitu adducitur, competitoribus prærogatiuam eandem tribui, ſi ad honores conſequendos alter corruptionis alterũ euicerit, cuius rei pretium dabatur victori, impunitas, & competitoris ſtatus qui cecidiſſet cauſa. Licet autem fuerit comprehenſus antequam accuſatus Magus, ſemper tamen & impunitas promittenda, & pœna eorum minuenda eſt, qui ſine quæſtionis tormento fatebuntur, & affines criminis accuſabunt: quæ ratio certa & expedita eſt, vt innoteſcant alii. Nihil enim tantopere veram criminis confeſſionem impedit quam metus mortis: quod in hac cauſa manifeſto vidimus, quando Rex Carolus IX. Triſcalano morti ob res magicas addicto veniam hac lege dedit, vt conſortes criminis accuſaret, quorum (vt ante diximus) infinitum numerum indicauit. Quod ſi hæc via non ſucceſſerit, Sagarum puellas opus eſt comprehendi. Etenim non raro compertum eſt, illas à matribus informatas & in conuentus fuiſſe

In ſpeculo.

fuiſſe perductas: itaque tenella adhuc ætate facile perſuaderi poterunt, & promiſſione erigi impunitatis, quam ab ætate & matrum ſollicitatione ipſis iuſtum ſit exorari: ſic homines, tempus, locum frequentatum conuentibus, & res quæ illic geruntur indicabunt. Hac via Boninus Caſtelli ruſſi præfectus reſciuit omnia, quæ geſta fuerant, ex puella adoleſcentula, quam mater ſeduxerat: & apud Potezanos Lognianæ Sagę (quarum antea meminimus) puellæ opera delatæ ſunt. Quod ſi rem ex veritate coram multis dubitabunt proloqui, Iudicis officium eſt, vt duos aut tres certos homines poſt aulæum ſtare iubeat, qui dicta auribus non ſcripto excipiant, vt decerptæ confeſſiones deinde mandentur ſcriptis. Sed quia res grauis Iudicibus illis futura eſt, qui nunquam de Sagis cognouerint, qui eas non viderint, qui nunquam earum cauſam tenuerint, debet Iudex ſimulatque potuerit prima occaſione interrogare Sagam: quod ad omnia crimina eſt inprimis vtile, in hoc perneceſſarium. Hoc enim ſemper compertum eſt, ſentire Sagam, cum primum prehenſa fuerit, ſe à Satana deſeri, velut attonitam animo conſternari, ac tum fateri vltro, quod nulla vis vnquam quæſtiove expreſſerit: ſin autem aliquandiu in vinculis ſinitur torpeſcere, non eſſe dubium, quin eam Satanas informaturus ſit. Quamobrem initia duci oportet à rebus leuioribus atque ridiculis, vt ſunt agyrmata, idque ſine actuario, & diſſimulari caute iudi-

cii

cii conſtituendi ſtudium, (quod iſtis mulieribus allubeſcit maxime)denique ſenſim ad quæſtionem prolabi de parentibus, an artem iſtam coluerint. Sic de matre Ioannæ Haruilleriæ diligenter inquirendum eſſe iudicaui, cuius hiſtoriam ſupra explicauimus: & certo homine Verberium in natalem vicum illius miſſo, compertum eſt, matrem ante annos 30. fuiſſe adiudicatam igni, filiam vero Ioannam adoleſcentulam ad flagra damnatam: Id enim eſt frequentiſſimum, filias à matribus ſeduci, & dicari Satanæ, idque ſæpe cum primum natæ ſunt. Sic Ioannæ Haruilleriæ filia, quæ effugit, vt matrem prehenſam vidit, eiuſdem criminis poſtea comperta eſt. Barbaræ item Doreæ filiæ ſtatim effugerunt, cum mater fuiſſet capta artium magicarum nomine, nulla accuſatione aut quæſtione preſſæ: Magus autem quidam familiaritatem cum Dorea colens, poſt in iudicio dixit totum genus teneri iſto crimine. Secundum caput eſto de patria Sagæ, & an non ſolum verterit. De Sagis enim fere comperies, eas de loco in locum, de pago in pagum migrare, niſi bona certo in loco remorentur ipſas: quod retectæ ſolent facere metuentes ab accuſatione. Cognoſcenda itaque eſt occaſio, cur ſedem mutauerint, & oculi ſtudioſe in vultum earum configendi, (non enim gens iſta homines audent in os aſpicere) omnes denique actiones, geſtus & ſermones in acta diligentiſſime inſerendi. Exploratum autem illud eſt, nunquam lachrymari Sagas: præſum-

ſumptio validiſſima, quia fœmina tempeſtiue & intempeſtiue lachrymas & ſuſpiria iaculatur. Paulus vero Grillandus & Sprangerus Quæſitores ſcribunt, ſe ne à Saga quidem vnica potuiſſe lachrymas exprimere. Dicta quoque variantia optime animaduerti opus eſt, & per interualla eaſdem quæſtiones ſubinde proponi. Neceſſarium etiam videtur illud, vt de criminibus ſingulis, ſi fieri poteſt, vno tenore inquiratur, ne eas deinde Satanas à vero dicendo auocet. Optime itaq; Danæus in dialogo nunquam eſſe ferendum ſcribit, vt Saga in vinculis ſit ſolitaria, quia ſermonem habet cum diabolo, qui aut à dicendo vero abducit eam, aut à rebus confeſſis iubet diſcedere, eamque ſemper non eſſe morituram pollicetur, vnde multa accedũt incommoda: fuerunt enim quæ putantes ſe in carcere (vt extra carcerem fecerant) volaturas eſſe, ſibiipſi ceruices diffregerunt. Ex D. Adamo Martino Procuratore Laoduni audiui Biebranam Sagam (quam adiudicauit & affici curauit morte) ſibi dixiſſe, vt ad mortem damnata eſſet, & fore vt concremaretur viua: quod nemo præterquam Satanas ipſi indixerat. Hoc enim Iudices maxime ſunt admirati, quod eam ſtrangulationi primum, deinde igni iudicio ipſorum addictam carnifex viuam concremauit, quia ſententiam rite non potuerat exequi. Sunt etiam quas poſt hanc vitam Satanas fore beatas pollicetur, itaque efficit vt non pœniteat ipſas, ſed in ſuo ſcelere obſtinatę moriantur. Sunt quę ſibi

ſibi violentas manus afferunt: poſtquam damnatæ ſunt, vt perſæpe accidit. Sunt quæ res in quæſtione equuleove confeſſas pernegant, ſuosque Iudices in eas cogunt anguſtias, vt probatione competente defecti cogantur carcere eas eximere. Sin autem inficietur is qui ſine tormento ſcelera confeſſus eſt, eum nihilominus oportet damnari, ſi confeſſionem præſumptiones aliæ indiciaque adiuuerint. Sed quandoquidem aduerſus inimicos ſcelera ſua exercent Magi, diligenter perueſtigandus eſt, an is qui occiſus aut faſcinatus præſumitur odium contra Sagam ſuſpectam geſſerit, ſingulaq; ex Saga capita inimicitiarum inquirenda ſedulo. Præterea vt ab accuſatis aut ſuſpectis Sagis exprimatur veritas, Iudices oportet commiſerantiũ ſpeciem induere, non ipſas dicere, ſed diabolum autorem eſſe & compuliſſe, vt necem hominibus quęrerent, proinde ipſas videri innocentes. Quod ſi nihil fateantur Magi, tum mutandæ veſtes & pilus omnis radendus eſt: ita ad interrogationem veniendum: Sin probationis aliquid, aut violentę præſũmptiones habebuntur, adhibendus equuleus. Nam inter omnes conuenit Magis pharmaca taciturnitatis eſſe: & quamuis diabolus eos cõfirmet ſolus & animos addat, iſti tamen amiſſo pharmaco quæſtionem à ſe ferri non poſſe putant, qua deſperatione plurimum ad dicendam veritatem ſine tormẽto adducuntur. Sic Inquiſitorem Cumanum legimus in Varniſerano agro finiũ Mediolanen-

ſium,

ſium , vnam & 40. Sagas An. M. CCCC. LXXXV. ad ignem damnauiſſe, quæ omnes ſine quæſtione fuerant confeſſæ abraſo pilo & mutatis veſtibus: quod olim Domitianus Imperator Apollonio Tyanæo Mago feciſſe apud Philoſtratum Lemnium legitur; eum nudari plane & abradi iubens: nam inquiſitor Sprangerus ait, ſi Magus penes ſe ſilentii ſortem habuerit, eum ad tormenta nihil doloris expertu-rum, nec veritatem confeſſurum vnquam. Huc pertinet, quod Gregorius Turonenſis ſcribit, Mummonem magnum præfectum prætorio (de quo ante diximus) in tortura verſantem iuſſiſſe nuntiari Childeberto Regi, ſe omnis doloris expertem eſſe: tunc mandaſſe Regem, vt diſtenderetur trochleis, & aculeis inter vngues pedum manuumque poſitis ita in diuerſum traheretur vt defetiſcerent ex labore carnifices, quod genus quæſtionis omnium valentiſſimum apud Turcos obſeruatur: Non enim diſrumpuntur membra, ſed nullo negotio ob dolores grauiſſimos cito extorquetur veritas. Paulus Grillandus in tractatu de Quæſtionibus q.4.num.14. & Hippolytus Marſilius ſcribunt, ſæpe ſortem ſilentii in Magorum crinibus inuentam eſſe, qui alioqui in tormentis dormire, velut expertes omnis doloris videbantur: itaq; Paulus Grillandus, qui multos viderat, monitus eſt vt diceret, Domine labia mea aperies, &c. ſic dolores ſentiri & veritatem pronuntiari: quod ego quidem non eſſem facturus, nec rei veri-

veritatem perquiſiturus carmine. Antequam autem ad quæſtionem veniatur, ſic oportet agi tanquam ſi magnus inſtrumentorum numerus & funium præparetur, & tortores ſerui inſtituantur, eaque ratione Magos aliquantiſper terrefacere. Expedit etiam ſi antequam reus introducatur in torturæ locum, ſubornetur aliquis, qui horribili exclamet voce, tanquam ſi in tormento eſſet, tum reo dicatur hominem torqueri, & à conſternato hac via exprimatur veritas. Iudicem videre memini tam atroce vtentem vultu & laqueum voce adeo terribili minitantem niſi proderetur veritas, vt reos grauiſſime ita percelleret, animoque abiecto omnia fateri compelleret. Hæc ratio aduerſus meticuloſos, non autem præfractos vtilis futura eſt. Exploratores etiam verſutos prudentesque ſubmitti opus eſt, qui ſe ex eadem cauſa contineri dicant carcere, ex qua Magus fuit comprehenſus, vt veritatem hoc modo eruant: ſin fateri abnuat, vtile erit perſuaderi ipſum à ſociis criminis accuſatum eſſe, licet nihil tale fuerit cogitatum: ſic fortaſſe vlciſcendi animo par pari referet. Hęc omnia licent diuino & humano iure: quicquid Auguſt. in lib. de Mendacio & Aquinas ſentiant ab octo mendacii generibus, quæ exponunt copioſe, † abſtinendum eſſe. Has opiniones non amplectuntur Iudices: * & Ægypti quoq; obſtetrices meretricemq; Rachabam legimus eo quod mentitæ eſſent mercedem à Deo accepiſſe. Nam contra quidam ob enun-

† Cap. omne genus. & c. ſi quis ad te. diſtin. 22. q. 2. & c. quæritur. eod.

* Can. vtilem. 22. q. 2.

tiatam veritatem digni ſunt laqueo, vt ſi perue-ſtiganti & ſciſcitanti graſſatori indicabitur innocens. Quod autem Canoniſtæ negant, Abrahamum vxori autorem fuiſſe mentiendi, vt cædem ipſius auerteret, ſed tantum hoc voluiſſe, vt reticeret verum, friuolæ excuſationis eſt: mentiri enim (vt ait Nigidius Figulus) eſt contra mentem ire, & quiſquis aliud dicit quam cogitat hunc mentiri conſtat, quod fecit Abraham, Iſaac, Sara, & alii innumerabiles. Quas ob res fateamur iſtud neceſſe eſt, bonum eſſe, laudabile & neceſſarium, ſi ad ſeruandam hominis innocentis vitam mentiare, damnandum ſi veritatem dixeris vt gladio exponatur. Itaq; Plato & Xenophon magiſtratibus permiſerunt, vt ad Reipub. adminiſtrationem ſic mendacia proferant, vt erga ægrotos & pueruslos adhibentur. Sic ergo in iure faciendum, vt occultorum ſcelerum perueſtigetur veritas. Ex omnibus autem ſceleribus, quæ in orbe terrarum extant, nullum inſignius eſſe aut deteſtabilius maleficio ante oſtendimus. Dicamus ergo de probationibus ad euincenda hæc ſcelera neceſſariis.

CAPVT II.

De probationibus ad euincendum crimen Magiæ neceſſariis.

PROBATIONVM, ex quibus legitimum eſt iudicia ferri, tres neceſſariæ plane dici & indubitatæ poſſunt: prima eſt veritas notorii & permanentis facti: ſecunda confeſſio eius volun-

luntaria, qui reus factus atque peractus eſt: tertia certorum teſtium firmorumque teſtimonium. Nam rumores publici, vi extorta confeſſio, præſumptiones iuris, & ſi qua ſunt eiuſmodi, ſunt quidem hæ præſumptiones aliæ aliis grauiores; non indubitatæ probationes appellandæ. Ac veritas quidem notorii & permanentis facti omnium eſt euidentiſſima: † nam eſt quidem notitia euidens facti, eſt notitia iuris, eſt etiam præſumptionis violentæ: ſed euidens notitia permanentis facti ſolum ac proprie omnium eſt valentiſſima, omnes totius orbis teſtes, & voluntarias reorum confeſſiones ſuperans. Verbi gratia, ſi teſtes quinquaginta exhibeantur Iudici, qui omnes vno ore pro teſtimonio dicant, facto illius, qui accuſatur homicidii, Petrum mortuum & faſcinatum eſſe, Petrus vero coram Iudice viuus & incolumis compareat: tum nullam teſtium teſtimoniorumq; habebit rationem Iudex, licet reus non infirmauerit eos, ſed eorum dicto ſeſe permiſerit: nam hi ex iure infirmantur, quod ius tenetur ſupplere Iudicis autoritas. Similiter plus valet hæc probatio quam voluntaria ipſa accuſati hominis in iure confeſſio. Exemplum eſto ex Valerii Maximi lib. 8. ſeruus vltro confeſſus, hominem qui aberat à ſe fuiſſe interfectum, ſupplicio vltimo affectus eſt: ille vero poſtea domum rediit incolumis. Ideoque Piſo Conſul non leuem ſubiit permagnæ crudelitatis notam ſeueritatis militaris ſpecie. Nã cum militẽ in caſtra ſine contu-

† Bald. in l. Deo nobis, de Epiſ. & Cler. D. coll. 3. per cap. quod autem 27. q. & Inno. cap. propoſuiſti, de proba.

bernali reuertentem vt cædis illius reum adiudicauiſſet morti, quamuis eum ſequi & mox venturum eſſe miles exponeret, Centurioni Proconſul mandat, vt cum damnatum necet. Cum iam prope eſſet vt plecteretur morte, contubernalis aduenit incolumis. Tum Centurio à ſententię executione ſuperſedens vtrumq; militem ſiſtit Proconſuli: hic autem indigne ferens quod adeo temere hominem ad mortem damnaſſet, ſimul enecari iuſſit, & Centurionem eo, quod non paruiſſet, & damnatum militem quod eſſet damnatus, & militem alterum quod neci vtriuſque cauſam attuliſſet: ita ob vnius innocentiam tres viri damnati & trucidati ſunt, vt narrat Seneca. Standum igitur eſt veritati permanentis facti, quam videt, agnoſcit, tangit, aut percipit vno è ſenſibus Iudex. *

In lib. de Ira.

* L. ſi irrupti. §. ad officium. fini. regund. ff. Bal. in l. 1. ſi aduerſ. liber. & in l. penult. fin. de per. tut. C.

Etenim hęc probatio nec edictis, nec ſententia, nec conſuetudine excluditur. †

† Bal. in l. contra negantem, ad l. Aqu. C. & rub. de prob. C. Barbatia. in c. euidentia, de accuſat. excu. & in c. 1. de officio ordinarii, & conſ. 7. lib. coll. 4. Alex. in l. eum qui. § vlt. col. pen. de iureiur. & conſ. 116. fin. lib. . & conſ. 186. coll. 4. lib. 2. & conſ. 137. col. 4. lib. 4. & conſ. 63. col. pen. li. 4. Curt. ſen. in repet. l. admonendi. coll. 89. de iureiur. Carol. Ruinus conſil. 138 lib. 5.

Et quamuis nemo ad probationes afferendas admittatur, poſtquam commiſſa eſt iudicio publico inquiſitio, huic tamen probationi locus

eſt,

eſt, quæ facto permanente nititur, vt Doctores aiunt.*

* Baldus in l. ſi quis teſtibus. ad fin. de teſtib. C & ibidem Salicet. coll. vlt. de teſtib. c. Rom. in repet. l. ſi vero. §. de viro ſolu. matr. ff. Stephanus Bertrand. conſ. 437. de arbitriis, col. 9. Alex. conſ. 63. l. 3. Iaſon conſ. 31 coll. 2. lib. 1.

Quod ſi edicto aut conſuetudine vlla cauebitur ne qua admittatur exceptio, omnino tamen accipienda ac non repudianda eſt euidentis facti exceptio, vt ait gloſſa in l. 1. §. hoc interdictum, verbo imperfectum, de tabul. exhib. ff. & Baldus in l. ex prædiis, de euictionibus. C. Multo magis igitur in cauſis criminalibus, in quibus probationes nunquam excluduntur, ſemper accipietur euidentis facti probatio. Si ergo penes Sagam venena aut ſortilegia fuerint deprehenſa, ſi in conclaui aut ciſta illius, ſi limen effodiens ſtabuli, ſi venena ſubmittens videbitur, ſi ea ſubmiſſa, ſi pecudes mortuæ comperientur, factum in hac cauſa euidens & permanens dici poteſt: Item ſi ea quæ Saga dicitur reperitur inſtructa bufonibus, hoſtiis, membris humanis, imaginibus cereis, quæ acubus transfixæ ſint, ea in hoc crimine facta ſunt permanentia. Si deprehendatur Saga ſuſpectave ſortilegii infantem occidens, (vt quædam non furioſa Saga die 2. Februar. M. D. LXXVII. Coparis duas puellas iugulans fuit deprehenſa) hoc factum dici poteſt euidens ad conuincendam Sagam, cum furore vacet, quamuis non fateatur, (quod illa fecit) ſe eo furoris à diabolo perductam eſſe:

nihil enim Sagæ tam habent in more quam infantum cædes. Illi fuit Catharinæ Areæ nomen. Si audiatur Saga inimico incolumi minitans, ſi tangens animaduerteretur, & ille repente mortuus concidat, aut afficiatur elephantiaſi, membrorum diſtortione, apoplexia, ſubitoue morbo, vt compluribus exemplis ante oſtendimus, euidens factum eſt & permanens, quando rumor de arte illius in vulgus manauerit. Si Iudex ſortem faſcinumque per Sagam diabolo voce clara ſupplicantem viderit eximi, factum euidens & notorium eſt: quod ſi Iudice præſente geſtum eſt, is ſine alia quæſtione ad condemnationem mortis tenetur procedere: ſin eo abſente, ſed coram teſtibus, recognitis ille teſtimoniis debet cum inficiante Saga teſtes committere. Si inſtrumentum obligationis mutuique inter Magum & diabolum pacti ab eo ſubſignatum reperiatur in ſcrinio eius, (vt ante annotauimus) factum eſt permanens, cum manum ſuam agnoſcit Magus. Hęc ergo euidentiſſima eſt firmiſſimaque probatio, quæ veritatem ἐκ τῶν αἰσθητῶν perquiſitam oculis exhibet. †

† L. ſi irruptione, §. ad officium, fin. regund. ff. Bald. in l. ſi quis teſtibus, de teſtib. C. & in l. 1. ſi aduer. lib. Azo in ſumma ad l. Aquil. C. Alex. in l. eum qui, §. vlt. col. penult. de iureiur & conſil. 116. lib. 1. & conſ. 186. lib. 2. & conſ. 35. l. 4. & conſ. 39. lib. 9. Carolus Ruinus conſ. 138. lib. 5.

Illud etiam euidens facti exemplum afferri poteſt, ſi cum diabolo Saga ſermonem habet, & ille quamuis non cernatur reſpondeat, non e-

nim auditus incertior viſu, ſed longe certior eſt, ac eo quidem certior, quod minus auditus fallitur, viſus frequentiſſime. Euidens quoque factum eſt, ſi cubili domoque Saga momento aberit foribus occluſis, quæ veſperi incubuerat lecto ſuo, ac poſtea in idem cubile reuertatur, cuius rei ſatis multa exempla ſupra congeſſimus. In omnibus iſtis factis euidentibus & conſimilibus quæ ſunt Iudici expoſita, Iudex pro varietate facti iudicium ferre condemnationis poteſt, (vt poſtea demonſtrabimus) quamuis omnia inficiante Saga: quanto magis ſi cum euidente facto confeſſio Magi concurrerit? eoque amplius ſi teſtimonia ἀπαράγγελτα habebuntur? Euidens item certaque probatio eſt, ſi Magis oculos faſcinat incantatve carmine: quod lex Dei verbis expreſſis notauit dicens, quæ præſtigias oculis fecerit plectatur morte, & vtens propria voce *Mecaſſha*. Hanc enim probationem lege definit Deus tanquam certiſſimam, qua pacti cum Satana expreſſi Magus abunde conuinci poſſit. Ac proinde ſi quis homines, pecora, fruges incantauerit, in aerem aſcenderit, cani ſermonem indiderit, exectis membris ſanguinem eiecerit, eademque denuo adunauerit, euidens probatio eſt. Secundus claræ & certæ probationis modus eſt, ſi complures teſtes ἀξιόπιστοι res quidem αἰσθητὰς ex ſenſibus, quæ vero in ſenſus non cadunt ex certis argumentationibus rationibusque pro teſtimonio dixerint. Notorii enim facti euidentem oportet Exod. 22.

Iudicibus aliiſque præſentibus apparere, neque Iudici aut aliis ſolum eam apparere ſatis eſt:* probatio autem ἀπαξαιτήτων teſtium in tranſeuntibus actionibus ex facto permanente notoria non eſt. Exempli cauſa, ſi teſtes dixerint, Sagam à ſe fuiſſe viſam vnum plurave Necromantiæ acta committentem, aut inuocantem Satanam, aut ratione occulta diſcedentem & redeuntem foribus obditis, hę tranſeuntes ſunt actiones, quibus haud ſæpe Iudices poſſunt adſiſtere. Eo autem firmior probatio futura eſt, ſi teſtes actiones complures teſtificati, de tempore, loco, hominibus, & aliis circumſtantiis conſenſerint, qui Doctoribus Conteſtes † appellantur: firmior etiam, ſi coram iudice & aliis diabolum Saga inuocauerit, quæ notoria eſt probatio facti & validiſſima, vt ad condemnationem procedatur: harum vero omnium probatio eſt certiſſima, ſi cum accuſatæ confeſſione ſermoni teſtium conuenerit.*

*L. reſcripto. §. ſi quis accuſatorem. de munerib. & honor. ff.

† Bald. in l. ſuper col. 5. de bono. poſſeſſ. Inno. c. qualiter, de accuſ. Decius in l. quæ extrinſecus. de verborum oblig. Alex. conſ. 47. lib. 2. n. 6.

* Cornæus conſ. 149 lib. 1. 2. q. 1. cap. prohibentur. cap peruenit. cap. conſuluit cap. cum ſpeciali. de appel. l. qui ſententiam. de pœnis C.

Quamquam nihilominus certa eſt probatio hæc, ſi eas res, quas ante diximus, aut conſimiles alias Saga inficiabitur. Non enim ſatis futurum eſſet, ſi teſtes complures dicerent, poſt aliquod tempus quam rea inimico interminata fuerat eum morbo correptum eſſe: hæc demum foret præſumptio iuuandis probationibus, quandoquidem ſi quis illico mortuus conciderit, poſtquam

quam à Saga minis tactuue exceptus eſt, Iudices Sagam damnare dubitant, niſi qua alia probatio, præſumptio, aut confeſſio acceſſerit. Equidem in hoc caſu ad alias corporales pœnas damnare auſim, ad mortem minime: nam communi omnium populorum conſenſu receptum eſt, prout fuerint probationes ita grauari aut leuari pœnas oportere, & antiquatam eſſe maiorum formam reum abſoluētium, niſi clara plane integraque exſtaret probatio. † Sed de pœnis poſtea dicturi ſumus. Quod autem complures teſtes ἀξιοπίστους dixi, Lex duos minimum poſtulat. * Certe in tam deteſtādis rebus, & quæ noctu in antris & locis abditis perpetrantur, inique magnum teſtium numerum deſideraueris. Quid ergo ſi tres teſtes tria diuerſa facta pro teſtimonio dixerint? puta ſi hic dixerit ſe vidiſſe Magum ſub limen ianuæ aut in compito fodientem (nam in hæc fere loca iaciuntur ſortes) deinde homines aut pecora moriantur, alter quemdam à Mago eodem tactum ſubito morte oppreſſum eſſe, tertius vicinum elanguiſſe, ex quo idem fuerat comminatus. Ego tres iſtos ἀξιοπίστους teſtes adiuncta aliqua præſumptione alia ſatis eſſe iudico ad ferendam mortis ſententiam: nec etſi horum ſingularia ſunt de ſingulis factis teſtimonia, vniuerſe tamen in ſortilegii crimine conſentiunt: inter Doctores autem conuenit † probationem iſtam ſufficere in occultis criminibus, vt ſunt concuſſio, graſſatio, fœnus, adulterium, adeoq; ſortilegia, & alia

† L. qui accuſare, de accuſ. C. l. ſi autem. de probat. ff.

* L. vbi numerus. de teſtib. ff.

crimina, quæ ſemper quoad eius fieri poteſt clanculum perpetrantur.

† Accurſ. in l. ob carmen. §. vltim. de teſt. Speculat. de inquiſitio §. 1. Iacob. Butrigarius in l. Arriani. de hære. C. Baldus in l. actor. de probat. C. & in l. 1. de teſtam. Doct. in l. inter pares. de re iudic. ff. Alexan. lib. 7. conſ. 13. nu. 24. & conſ. 72. lib 19. in l. de pupillo. §. ſi quis ipſi. de ope. nou. nun. q 8. Alexa. in d. §. ſi quis ipſi n. 22. & Iaſ. n. 10. & Bar. in l. ſi quis ex argẽtariis, §. an vero. n. 3. de eden. & ibi Iaſ. ſub §. prætor n. 18. Alc. conſ. 89. viſa, per totũ li. 2. Dec. conſ. 577. viſo. n. 12. Soci. conſ. 32. Hippo. conſ. 61. poſt reditum. n. 31.

Quod ſi in hoc genere ad probandum fœnus, cõcuſſionem, aut adulterium tres teſtes dicuntur ſufficere, quanto æquius eſt iis haberi ſatis ad probandum ſcelus turpiſſimum, & omnium quæ excogitari vnquam potuerint criminum occultiſſimum? Neque hęc ſolum probatio ſufficit ex Doctorum omnium cõſenſu, verum etiam Bartolus amplius aſſerit: nam in criminibus adeo abſtruſis pręſumptionem & coniecturalem probationem iudicat ſufficere, quam in ſententiam alii quoque deſcenderunt. Atque hoc quidem ad iudicium mortis ferendum non eſſet ſatis, ſed ad quaſlibet alias pœnas excepta morte irrogandas ſufficeret. In hac opinione ſunt non modo iuris ciuilis Doctores, ſed etiam Canonici, & ipſe Innocentius quartus iuris inter Papas conſultiſſimus. * Huius autem ſententiæ manifeſta eſt ratio, quia de vniuerſo capite & generali crimine inter teſtes omnino conuenit; quod itaque in hac cauſa ſingu-

* Inno. ca. qualiter. de accuſ. Immo. in c. cũ oporteat. de accuſationibus.

lare

lare eſt alterum ab altero non euertitur, nec obeſt alterum alteri, ſed probationem adiuuat & firmiorem facit. Hoc probationis genus ſingularitatem adminiculatiuam vocauit Baldus, † plurimum differentem à ſingularitate contradictoria & ſibi ipſi repugnante quam conſtatiuam nominat, cum videlicet teſtis vnus probationem euertit alterius loco, tempore, ſimilibuſue circumſtantiis ab eo diſſidens: tum enim probatio eſt inſufficiens, maxime vbi vita pœnaue corporalis agitur, quo in genere firmior probatio opus eſt quam in cauſis ciuilibus.

† Bald. rubric. de controuerſ. inueſtitura. de vſibus feud. & in authen. rogati. C. de teſtibus. & in l. de quibus. colum. antepen. Curt. in tracta. de teſt. concluſ. 46.

Quamobrem in cauſis criminalibus iuſiurandum non admittitur, quo tamen in ciuilibus ſuppletur probatio minoribuſque litibus; & conſimiliter repudiatur conuentio qua ſe teſtis vnius dicto permittit reus, quoties de honore aut vita iudicium oportet fieri, quod in ciuili tamen controuerſia ex partium conſenſu frequentatur. *

* Bart. in l. Theopompus de dote præleg. fin. Roman. & Alexan. in l. 1 §. vlt. de verbo. oblig. Bald. in l. iudices. de ſentent. & interloc. C. Felin. in cap. veniens. de teſtib. Iaſ. in l. iureiurandum, princip. de iureiur. ff.

Cum itaq; imperfecta vna probatio dicitur cum altera imperfecta coniungi non poſſe, † id de probationibus, teſtibus, præſumptionibus,

bus, aut criminibus, differentibus intelligatur neceſſe eſt: veluti ſi teſtis vnus de homicidio, alter de adulterio, tertius de furto dixerit, hæc hominem quidem ſceleroſum eſſe probant, adulterum vero, homicidam, aut furem non ita probant vt corporalem pœnam ex eis imperes.

† Panor.in c.penul.de prob.Alex.conſ.94.l.7.n.3. Doct.in c.vlt.de ſucceſ ab inteſt.

Deut.17. Nam neque lex Dei teſtimonium vnius ſatis eſſe voluit vt iudicio condemnetur reus, neque ciuilia iura ex ea pecuniariam condemnationẽ vel minimam fieri permittunt. Hac in re Doctores omnes tam ciuilis iuris quam Canonici conſentiunt, quacunque dignitate, ſanctimonia, & exiſtimatione teſtis ille fuerit.† Et quamuis Ioannes Andreas & Doctor Alexander putauerint, bonum teſtem & ἀξιόπιστον ſatis eſſe, vt ad quæſtionem rapiatur reus, * nemo tamen illis ſuffragatus eſt, idq; Rex Lodouicus XII. expreſſo edicto in hoc regno fieri vetuit. Satis quidem futurum illud eſt vt in omnibus aliis criminibus reo exhibeatur quæſtio, aut ſi quà præſumptio ad teſtem fide dignum acceſſerit, vt applicetur in iis cauſis quarum pœna capite aut corpore luenda eſt: In hoc autem horrendo & tam abſtruſo crimine, opinionem Alexandri & Ioannis Andreæ ſequendam cenſeo, vt ad quæſtionem rapiatur reus ſufficere vnius teſtimonium viri boni fide digni, cui nulla mali ſuſpicio hæreat, quod teſtimonium nitatur aut ratione certa aut ſenſibus. Viri boni appellatione non

† L. vbi numerus. de teſtib. Dd.

* Ioannes Andr. in addit. ad Spec. titu. de præſum. §. ſpecies. verſ. violenta. Alexa. conſi. 77. lib. 1. n. 1.

nenon eos ſolum accipio aduerſus quos nihil adduci poſſit, & qui à Doctoribus omni exceptione maiores appellantur, ſed eos etiam qui nullius infamiæ fuerunt damnati: † non autem eos qui ex homicidii, inceſtus, adulterii cauſa infirmati fuerint, aut aliorum criminum comperti, quæ infamia ex facto appellatur. Verumtamen horum teſtimonium aliis coniunctum non eſt inutile, * prout in hoc regno obſeruatur: omiſſa iſtius infamiæ ex facto ratione, itemque Canonum qui hanc infirmandorum teſtiũ viam iniri iubent: † quod certe non oportet fieri. Nam ſi exceptiones contra indemnatos teſtes à reis adductæ admitterentur, opus eſſet cognoſci de ſingulis teſtibus in obiectis cauſis, itaque improbi elaberentur, & viri boni perſępe calumnias ſubituri eſſent. Quinetiam quamuis ſit compertus teſtis, cõuictus & damnatus non verbalis iniuriæ quæ ex Canonico iure * (quod in hac cauſa obſeruatur) non affert infamiam, ſed publici criminis infamiam importãtis: vtut ex lege infamis habeat, † damnatus tamen & infamis teſtis ad teſtimonium dicendum admittitur, ſi eſt prouocatio, neque pendente iudicio (ait lex) * ac non confirmato eam ob cauſam refelli poteſt. Verumtamen reum non debet Iudex queſtioni ſubiicere ob teſtimonium viri infamis ex facto, licet non cõdemnati in iure, niſi hic teſtis aut aliis teſtibus aut præſumptionibus violentis adiuuetur: alioquin vltimam de teſte reiecto ſententiam opus eſt exſpectari. †

† ex l. infamem. de pub. iudi. ff.

* l. Lucius. de iis qui not. infam ff.

† Gloſ. & Pan. in c. ſup. eod. 1. de teſtib. Felin. ibid.

* c. cum te. de ſenten. & re iud.

† l. 1 de iis qui not. infa.

* l. furti. de iis qui nota. infam. ff.

Quan-

† Iacob Butrig. Bart. & Cuneus in l.furti de iis qui not. infam vult. valere teſtimonium etiam ſi ſententia confirmata ſit, quia non debet negligentia accuſantis obeſſe procedenti.

Quandoquidem ſi quis dixerit à Iureconſulto teſtimoniū mulieris quæ accuſata fuerit adulterii quamuis abſolutæ, damnari: Puto notam obeſſe, ait Iureconſ. idque de mulieribus, quibus ſemper minus quam viris creditur. † Itaque ex Venetiarum legibus anno 1524. latis & ex totius Orientis iure binæ mulieres vnius viri, & quaternę duorum æquant teſtimoniū, & Rom. legibus ad rem teſtamentariam aut corporalem obligationem mulierem non licet adhiberi teſtem. * Quinetiam ex iure Canonico mulieres in cauſis criminalibus teſtari non poſſunt, ob imbecillitatem & fragilitatem ſexus. † At cum Iurecoſſ. & Imperatores animaduerterent maxima quæque ſcelera impune abitura niſi his teſtimoniis daretur locus, ſapientiſſime proſpexerunt, vt de crimine omnes homines teſtimonium ferre poſſint, * idque ratione euidentiſſima: nam in legitimis quidem actionibus quos velimus teſtes promptum eſt adhibere, in criminalibus vero quoſcunque poſſumus. Quamobrem tum in hoc regno, tum in optima quaque Republ. in hoc argumento negliguntur Canones; & ius ciuile obtinet. In hac certe cauſa opus eſt mulieribus haberi fidem, quamuis ſint infames ex facto, vt loquuntur Doctores noſtri, aut etiam ignominioſæ (vt Iureconſ. & Latini

† L. palam. § quæ. de rit. nupt. ff.

* L. qui teſtaméto. §. mulier. de teſtament. ff.

† c. foras. de ver. ſignif. & can. mulier. 32. q. 5.

* L. ex eo de teſtam. ff. Nouel. Leonis Philoſophi 48.

Latini autores aiunt †) cuiuſmodi mulier impudica eſt.

† Feſtus & Nonius ex Cicer. lib. 4. de Repub. l. infam § quæ. de ritu nupt ff. l. cognitionum, de variis & extra cog. ff.

Iurecoſſ. enim mulierum adhibent teſtimonium, ne impunita maneant crimina, quæ ratio (ait Iureconſ.) maxima eſt & conſideratione digna.* Ex hac igitur adeoque grauiore cauſa homines ex facto & iure infames ad teſtimonium contra Magos dicẽdum oportet adhiberi, modo plures cum indiciis concurrerint: alioqui nulla ſpes eſt execrãdam iſtam impietatem pœnas luituram vnquam. Omnibus autem notum eſt † & à iudicibus optime obſeruatum, ex aliis graſſationis eiuſdem cædiſve conreis probationem in alios peti, cum non aliter poteſt facti inueſtigari veritas: neq; ſolũ in alios qui graſſationem ſimilem perpetrauerint, vt Petr. Anca. definit,* ſed etiam contra reos eiuſdẽ criminis cuius teſtis conuictus eſt, maxime ſi teſtis in ſeipſũ dixerit. Ita memini cũ D. Geleus, Quęſitoris rerum capitaliũ vices Lutetiæ agens, de ſententia Pręſidialiũ Iudicum in Caſtello Pariſieſi (id carceri nomen eſt) tres graſſatores accuſatos & ex ſua cõfeſſione deprædationum cædiumq; multarum conuictos damnauiſſet, quartum ab eis accuſatum eſſe qui ne ad tormentum quidẽ voluit quicquam agnoſcere, nihilominus tamen ob præſumptiones certas & conreorũ teſtimonia fuiſſe damnatum, affectum morte, & rotæ impo-

* L. ita vulner. ad l. Aquil. ff.

† Doct. in c. qu. de teſtib. Butri. Panor. Feli. ibi. Arct. conſ. 61. gloſ. in l. vlt. de accuſ. C.

* in conſ. 24. & ſequitur Grammatic. con. nu. 15. & 16.

impoſitum:& quamuis(vt plerique faciunt)palam exponeret ſe morti immerentem tradi,& blaſphemo ore nomen Dei aſſumeret, vt ſuum honorem apud homines tueretur, confeſſario tamen ſuo declarauiſſe tam reum ſe eſſe quam alii fuerint, ſed ne indicaret cuiquam rogauiſſe: confeſſarium vero à iudice poſtea accitum rem totam explicaſſe. Peſſimus eſt mos ille Germaniæ,reum niſi cõfeſſum non mulctari morte, vt mille teſtibus peractus ſit reus:etſi tam violentę & ſæuæ quæſtioni deditur, vt membris captus langueat toto vitæ ſpatio. Quemadmodum autem his probationibus locus eſt in exceptis ſolum ac non aliis criminibus, vt Doctoribus placet † (qui ne conſortes quidem criminis teſtes cum præſumptione in aliis ſatis eſſe putant, vt quæſtioni dedatur reus) ita neceſſe eſt vt in exceptis criminibus (puta veneni, ſortilegii, læſæ maieſtatis, & graſſationis *) teſtimonium ab affinibus eiuſdem criminis audiatur & ſufficienter probare iudicetur, niſi peremptoria ſit exceptio, veluti ſi eius quem fuiſſe accuſat maleficii participem capitalis eſt inimicus qui dicit teſtimonium.

† Glo. & Doct. in l.fin de accuſ.C.& cap.de confeſ.l. quoniam liberi. de teſtib. C. l. 1. §.diuus. de quęſt. Doct.in c.ſunt.c.veniens:c. perſonas. de teſti.Spec. tit. de teſte.§.1.ver. item quod eſt Soc. Cynus, Petr. Salic.in l fi. de accuſat.Alex. conſ.89 lib. 4. & conſ. 169 lib.2.& conſi. 128.lib.4.Marſi in pràctica crim. §. diligenter.num. 59.in ſing.209. Decius conſi.130. 175.189.

* Gloſ.

* Gloſ.in l.fi.de accuſ.C. & in tit.de maleſi.C. l. parentes.de teſtib.C.

Sed ne illud quidem animaduerti opus eſt,ſit ne pater aut filius qui pro teſtimonio dicit. Nā in his quidem teſtimonium alterius contra alterum Lex iubet excludi ad ſanguinis reuerentiam,dum alia aguntur crimina,licet teſtes non exſtarent alii:hoc vero ſingulare eſt,itaque filiæ contra matrem eſt audiendum teſtimonium in hoc maleficio, cum ex infinitis iudiciis omnino conſtet filiam à Saga matre in perditionem abripi ſæpiſſime. Boninus Præfectus Caſtelli ruſſi vnam ex triennio viuam cremari iuſſit quæ filiam in cœtus deduxerat, cuius filiæ opera (vt ante diximus) omnia retecta ſunt. Lognianæ item Sagæ in Potezanis per filiam quam mater eodem duxerat fuerunt accuſatæ. Quod ſi patri & filio in læſæ maieſtatis crimine teſtari licet atque inter ſe accuſare, † ſi præmium ei legibus decernitur qui parentem aggreſſum ſalutem patriæ occiderit (prout omnes conſtituiſſe lex ait *) quare non admitterentur dicturi teſtimonium alter in alterum in læſæ maieſtatis diuinæ crimine, & in eo ſcelere quod longò interuallo cætera omnia ſuperat? Quapropter in tam horrendo crimine nihil neceſſe eſt religioſe hærere quemquam regulis procedendi, aut refellendorum recipiendorumue teſtium ordinariis. † Verum vt religioſæ mentes in hoc iudiciorum genere confirmentur, in Exodo habemus inſigne exemplum, * vbi Moſes au-

† Doct. in d. l. parentes, & in l. quiſquis, ad l. Iul. maieſt. C.

* l. minime de religioſ. ff.

† L.3.§.lege. de teſtib.

* Exod 32.

reum vitulum à populo factum videns, Qui ſtant à Domino, inquit, accedant ad me, deinde accedentibus Leuitis imperauit vt arma induerent, & ſinguli occiderent fratrem ac proximum ſuum qui ſe in idololatriam & cultum vituli abieciſſet: cumque illi ad tria hominum millia occidiſſent, Moſes dixit ipſos manum ſuam Deo cõſecrauiſſe, vt benedictionem eius acciperent. Deus itaq; elegit eos quibus ius traderet primogenitorum, & prærogatiuam hanc, vt in perpetuum ſtarent coram Deo, populoque ius dicerent. Ex quibus apparet quantopere diſpliceat Deo idololatria, qui ad vlciſcendam iniuriam ſibi factam noluerit rationem vllam ſanguinis haberi & neceſſitudinis: quamuis non alio conſilio (ſicut in textu legimus) feciſſet populus quam vt Deum qui eduxerat ipſos ex Ægypto adoraret, & aureum vitulum contra interdictum eius ad honorem ei habendum conflauiſſet. Quanto igitur magis odit Deus diabolum adorari? Nihil ergo attinet inſiſti viis ordinariis, quæ filii in patrem teſtimonium, aut patris in filium audiri vetant, cum ab hoc crimine cætera omnia ſuperentur. Ex iure autem certum eſt † ſicubi aut periculum inſtat aut vrget neceſſitas, aut res ſe offert exorbitans, tum regulis iuris conſtringi non oportere, ſed potius legitime ex iure agi ſi ordo iuris omittatur, cap. tua nos, & cap. veſtra, de cohabitation. clericorum. Itaque teſtis qui non citatus ſeſe obtulerit, vt contra Magum dicat teſtimo-

Digitized by Google

ſtimonium audiri debet, licet aliis in cauſis admitti non ſit legitimum.

† Alex, & Iaſ in l. de pupillo §. ſi quis riuos, de oper. no. nunc. & in l 1 & ibi Decius, de offici. eius cui. ff. & cap. pro neceſſitate 1 q & ca. cum ceſſante de appellat. & in l quæ propter de reg. iur. textus in h caſus & ibi Bal. & Salic. in l. notabili. C. de teſtam. vbi propter neceſſitatem, diſpoſitio iuris ſuſpenditur L. filio. §. hi autem. de iniuſt. rupt. ff. Ang. in l. nemo carcerem. de exacto. tribut. C.

Hic vero ſolam obiectionem ſemper excipimus odii capitalis, quod aliunde quam à ſortilegiorum cauſa proceſſerit. (Quis enim vir bonus inimicos Dei & humani generis non proſequatur odio iuſtiſſimo?) quia priuatę & ſingulares inimicitiæ alia ex cauſa ſuſceptæ hominem ſtimulare poſſent vt calumniam innocēti obtruderet. Quamuis etiam aliis in cauſis teſtis conuinci periurii eoque refelli poſſit ac debeat, *in hoc tamē crimine cum aliis dicturus admittitur, niſi odio capitali proſequatur reum.

* Barto. in l. poſt legatum §. his. de iis quib. vt indig. Alexan. conſ 72. l 2. Bal. in l 3. de teſtib. & in auth. ſi dicatur eo. C. & ibi Salicet. Innoc. in c. cum Ioannes. de reiudic. Pahorm. & Felin in cap. quoties. de teſtib.

Imo cum Aduocatus & Procurator ex iure nec poſſint nec debeant cogi, vt in clientium ſuorum cauſa teſtimonium dicant, † eos tamen in iſto crimine oportet cogi.

† c. teſtimonium de teſtib. c. ſi ſacras. diſt. 90. Bal. & Salic. in l. ſi ex falſis. de tranſactio.

* Ex l. mandatis. de teſtib ff. c Romana. eo. & ita iudicatum areſto Pariſiorum 1386.

Hos tamen poſtulante aduerſario cogi poſſe cum in ciuilibus cauſis tum in criminalibus, vt de clientium ſuorum cauſa teſtimonium dicant, permulti ſentiunt. Quinetiam licet à conreis in criminibus aliis probatio neceſſaria erui non poſſit, † Magi tamen conrei ſocios eiuſdem criminis accuſantes aut dicentes in eos teſtimonium, maxime vero ſi plures fuerint, probationem ſatis firmam afferunt ex qua damnẽtur rei.

† Barto. in l. deferre. §. idem. de iur. fiſci. iudicatum Gratianopoli 1454. cap. vlt. de teſtib. Bald. in l. quoniam liberi. eo. C. & glo. in c. 1. in verbo ad teſtimo. Alex. conſ. 120. lib. 7. num. 3. & conſ. 69. lib. 2. & conſ. 89, lib. 3. nu. 10. Soc. conſ. 95 coll. 1. lib. 3. textus l. vlt. de accuſat. C. Bart. in l. 1. §. ſi ſeruum. de quæſtion. Alex. conſ. 160. lib. 3. nu. 8.

Nemo enim eſt qui neſciat non alios quam Magos teſtari poſſe, vt illi cœtibus quos adeunt de nocte interfuerint. Itaq; Germaniæ Iudices apud Sprangerum legimus ex conſortum teſtimonio ad condemnationem reorum, licet obfirmate inficientur accuſati, procedere. Idem ſcribit Paulus Grillandus de Iudicibus Italiæ: idem omni tẽpore in hoc regno factitarunt noſtri ad miſerum illud vſque tempus, quo data eſt opera, vt quorũdam infamia tegeretur qui huius nefarii ſceleris tenebantur. Neque obſtat illud, quod nemo ad proferendam & reuelãdam ſuam turpitudinem admittitur: * hoc enim de iis oportet accipi qui emolumentum ſuum ex eo captant, non autem de iis qui contra ſuum emo-

* l. cum profitearis, de reuo. don. C. & l. ſi creditoribus. de ſeru. pign. C.

molumētum veniunt, cum alii ab aliis accuſantur. Quamquam facti potius eſt quam iuris quęſtio, quicquid eſt in cauſa teſtium vel dici de ea poteſt, quam fidem ipſis haberi oporteat, & quę probationes ſufficiant aut non ſufficiãt. Quam in ſententiam notari oportet illud Calliſtrati. † *Quæ argumenta probandæ cuique rei ſufficiant, nullo certo modo ſatis definiri poteſt.* Et paulo poſt: *Alias numerus teſtium, alias dignitas & atrocitas, alias veluti conſentiens fama confirmat rei de qua quæritur fidem.* Ac propterea dicebat Adrianus Cæſar credendum eſſe teſtibus, non teſtimoniis: Iudex enim exercitatus in ſuo munere, prudens & conſideratus de teſtimonio iudicium faciet conſpecto teſte ex vultu, conſtitutione, & circumſtantiis aliis innumeris. Illud vero ante omnia obſeruandum, non perinde cognoſci de ſortilegii crimine atque de aliis, ſed aliam viam extra ordinem teneri oportere ob eas cauſas quas modo explicauimus. Hactenus de primo & ſecundo probationis euidentis genere: iam de tertio, quam cōfeſſionem diximus eſſe, videamus.

† l. 3. §. quæ de teſtib. ff.

CAPVT III.

De voluntaria & coacta Magorum confeſſione.

PERSÆPE Iudices in Sagarum confeſſionibus animi penderunt, dubitaueruntq; iudicium facere commoti miraculis quę fatentur illæ: eo quod alii quæcunque ab ipſis dicuntur

ſtatuunt eſſe fabulas; alii metuunt vt iſti homines acti deſperatione nihil procurent quã mortem, vt malorum ſuorum exitum. Volenti autem mori, ait lex, non eſt habenda fides.† Sic memini me apud Tertullianum legere, cum oſtiarius quidam Proconſulis Africæ in prætorio clara voce rogauiſſet an illic Chriſtiani eſſent quos pœnis de morte afficeret, plurimos illico ſublata manu dixiſſe ex eo numero ſe eſſe, vt oppetentes mortem martyrium reportarẽt: Proconſulem vero eos ad mortẽ paratos animaduertẽtem ſic loquutum eſſe, Ite proiicite vos in mare quod ante vos eſt, è montibus domibuſque vos date præcipites, aut arboribus voſipſos ſuſpendite: quærite qui vos cõdemnet. Iulianum quoq; Cæſarem, cum fœminam Chriſtianam iuuenem videret cum puero mammæ admoto procurrere ad ſupplicium martyrii cõſequendum, vetuiſſe ne Chriſtiani plecterentur morte: non vt fœminam feſtinãtem ad mactationem ſeruaret, ſed quia illos poſt mortem ab aliis Chriſtianis in Deorum numerum referri criminabatur. Sunt alii ex Magis qui mortem expetunt, non quod honorem ſperent, ſed quia deſperant ſummoque dolore cruciantur: atque hi non ſunt audiendi, vtcunque eos excuſet Lex, & Plato honeſtum iudicet τὸ ἐξάγειν ἑαυτὸν & ſpiritum antequam extrudatur emittere. Sprangerus autem Sagas ſe vidiſſe narrat quę ſcelera ſua confeſſæ vltro orabant iudices vt ſe morte plecterent, alioqui ſe ſibi ipſis conſcituras

† l. abſentem. de pœnis. l. 2. cum gl. de iis qui ante ſent. mort. ſibi conſci.

ras mortem, quia ſe à diabolo niſi parerent vexari confirmabant. Qua in ſpecie legi dicenti, in confitentem nullæ ſunt partes iudicantis, * &c. locus eſſe non poteſt, nec tenetur Iudex iſtorum hominum voluntati obſequi. Nam opinio eſt Sagam quam vexat diabolus reſipuiſſe & in via ſalutis eſſe: eam itaque oportet in carcere contineri, inſtitui, & modicis pœnis ſalutaribuſque corrigi: ſin percipiatur nihil ad reſipiſcentiam, tum de condemnatione agere, quamtũis ſe Saga morte roget affici. Quæ autem confeſſæ reſipuerunt antequam accuſarentur, de iis Iudex non cogniturus eſt, niſi euidētia ſint quæ fatebitur homicidia, modo res ſine fraude fiat, nec ea quam pœnitet facti accuſationem à ſe effugi nō poſſe proſpexerit: vt Magdalena Crucia Cordubenſis Abbatiſſa (cuius ante meminimus) cum ſe infamem eſſe pluriműmque ſuſpectam animaduerteret, ſeipſam cōſortii cũm Satana triginta annis habiti accuſauit. Eſt autem duplex confeſſio, vna voluntaria, coacta altera, ſiue in iure, ſiue extra ius facta ſit. Ac confeſſio quidem extra ius aut corã pluribus fit, aut corã vnico, amico, neceſſario, inimico, aut confeſſario. Has circumſtãtias ſingulas oportet obſeruari, non quod plus in iudicio quam extra iudicium vera ſit veritas; aut plus coram populo quam confeſſario: contra enim pleriq; palam in iis rebus fucum faciunt pudore aut metu quas confitentur clanculum, vt prædones ſæpe videmus quod nũquam in iure dicturi fuerint,

* l. 1. de confeſſis.

 id

id confeſſariis exponere. Verumtamen non eſt tanti probatio ex confeſſione extra iudicium facta quam ex iudiciali, neq; ex violenta quam ex voluntaria, & inter voluntarias confeſſiones plus illa poteſt quæ ante fit quam rogetur reus: nam interdum Iudex reum circumuenit, interdum vero inſtituit & adornat eum, vt cum adoleſcentem accuſatum parricidii Auguſtus interrogauit his verbis, Certe non occidiſti patrem: interdum facta duo triaue confundit Iudex, è quibus vnum verum, cætera falſa ſunt. Qua in ſpecie Iuriſcoſſ. certant ad factane ſingula protendi cõfeſſio aut negatio debeat, prout quidam ex eis ſentiunt. † Certum quidem eſt (vt agamus Dialectice) cũ facta ſingula per disiunctionem, puta *aut*, &c. enuntiantur, ſi vna pars vera eſt, licet falſæ ſint reliquæ, totum enũtiatum eſſe verum: cum vero per copulam, &, ex vno falſo totum falſum eſſe. Cum autem ii qui iuri dicundo præſunt, in templo æquitatis & veritatis verſentur, hominem de factis pluribus ſibi cognitis interrogatum oportet alia ab aliis diuidere, & prout veritatem ipſe tenuerit hæc confiteri, negare illa. Atque hæc Bartoli * & Panormitani † ſententia Areſto Imperialis Cameræ confirmata * contra Comitiſſam Orientalis Friſiæ, quod Minſingerus Senator refert. † Prudentis vero & periti in ſua functione eſt Iudicis, vt facta interrogando diuidat. Neq; accipienda eſt eorum opinio, * qui Iudicẽ facta ex accuſatoris poſtulatione habentem cognita putant

† Ioan. An. ad Specul. tit. de litis conteſtat. part. 2.

* in l. 1. §. ſi ſtipulanti. de verb. obl. ff.

† Panor. in c. 1. de plu. pet.

* li. 2. c. 55. an. 1554. Oct. 27.

† l. qui iuraſſe §. pẽ. de iureiur. & ca. ad hoc de teſtib.

* Inn. in c. cũ Bert. de re iudic. Alex. in l. cui. de iuriſdict. ff.

putant adiicere poſſe, ita confeſſionem exceptum iri, vt ſi extra iudicium fieret: id enim abhorret à ratione, cum interrogationes acta ſint iudiciaria, † ideoque exſtet titulus de interrogationibus in iure faciendis. Ipſa etenim partis confeſſio ſine interrogatione facta coram Iudice etſi articulis factorum non comprehenditur, validior tamen eſt, (ait Lex *) quam ſi interrogatus reſpondiſſet: in cauſis vero criminalibus, ac in primis ſortilegii ordinariam accuſationum teneri non oportet viam, quin potius Iudex quibuſcunque modis potuerit veritatem debet exprimere. Rei autem accuſati reſponſio aut certa aut incerta eſt: quæcunque certa eſt, ea aut affirmatur, aut negatur, aut denique accuſatus quid illud rei ſit ſe neſcire dicit. Incerta reſponſio eſt, † cum per ambages dubie reſpondet reus, ſe credere vel putare, aut per voces æquiuocas.

† l. ſi ſine. §. 1. de interrogato. act. ff. c. quoniam contra de probationibus.

* l. ordo, de publ. iudic. ff.

† vt l. ſancimus, de iur. delib. §. 1. & l. vlt. de condict. indeb C.

Sin autem accuſatus rem falſam affirmauerit * aut veram negauerit, † non æque reus eſt atque is, qui per ambages reſponderit. Hic enim reſponſionem æquiuocam legitimum eſt pro confeſſione haberi in damnum ipſius, * quia vnuſquiſque factum ſuum nouit, nec inepte reſpondenti in hac cauſa prodeſt erroris excuſatio. † Sed difficilior eſt quæſtio, an accuſatum qui nihil reſpondet pro confeſſo haberi oporteat. Si ergo in ciuili cauſa vir talis exſtet, non

* l. ſi quis iure, & l de ætate, de interrogator. act ff.

† l. non alienum, eod.

* l. de ætate, §. nihil, eod.

† l. 1. § 1. eod. cap. ab excommunicato, de reſcriptis.

eſt dubium, quin illius damno pro confeſſis habeantur facta in rebus interrogatoriis, & ſcriptura agnoſcenda: * aut quando caput hominis agitur; nec ſic quidem facta pro confeſſis tenenda ſunt, niſi teſtes acceſſerint: à quibus ſi probatio habebitur, accuſati hominis ſilentium effectum confeſſionis ſortietur, vt pro rei conditione ad condemnationem procedatur.

* d.l.de ætate, §.qui tacuit, & l.ſi defenſor.cod.ff.ca ſi teſtes.§.item 4.q 2.& c literas, de præſum

Quod ſi ad probationem vnius teſtis ſiluerit, non ita futurum eſt, ſed eum mulctis & carcere oportet cogi. †

† l.vnic. ſi quis ius dic. ff. l.1.§.igitur de ventre inſp. ff. d.l.ætate, §.qui tacuit, & cap.quoniam, vt lite conteſt.

In eum vero qui magicarum ſortium accuſatus nihil reſponderit, Iudex quæſtionibus primum vſurus eſt pro qualitate perſonarum, ſi teſtem vnum aut præſumptiones complures habuerit: ſi nihil quæſtioni admotus dixerit, crimen dimidia ex parte confeſſum eſt: itaque prout probationes erunt punietur, vt dicemus poſtea. Similiter qui de induſtria reſponſionem obſcurat pro confeſſo habetur: * & quamuis reſponſio eiuſmodi ſufficiat ex interpretatione iuris ad probationem criminum corporalem pœnam merentium, niſi teſtes adſint, (quod in clara ac voluntaria confeſſione non eſt opus) tamen in tam occulto deteſtandoque crimine præſumptionibus aliis coniuncta ſufficit.

* Accurſ. in l. certum, de reb. cre. ff. Bart. in l. 1. de rela. C. Bal. in l. 1. quomod. & quan. Iudex, C. Cæpolla cautel. 123.

Ac Doctores quidem inter neceſſarias probationes & indubitatas confeſſionem retulerunt, vt in ciuilibus cauſis verum eſt: ſed inſignis tamen confeſſionum eſt differentia propter locorum, temporum, perſonarum, criminum circumſtantias. Differunt enim confeſſio pueri, & viri ætate iuſta, ſapientis & ſtulti, maris & fœminæ, amici & inimici, in iudicio & extra iudicium, iniuriæ & parricidii, in quæſtione & ſine quæſtione: quam varietatem ſapiens & conſideratus Iudex tenetur expendere. Neque vero l. 1. de confeſſis, oportet accipi de capitalibus criminibus aliis, nempe confeſſum pro condemnato haberi, † niſi de aliis præſumptionibus ſufficientibus conſtet, ſi nulla probatio (ait lex *) religionem indicantis inſtruat: maxime vero ſi fiat confeſſio, cum reus in quæſtionem datus aut etiam oblatus eſt, † quia confeſſionem ad tormentum factam Lex ſimilem ei confirmat eſſe, quæ fit in tormento ipſo, * quoddam enim tormentum eſt tormenti metus.

† l. 1. de confeſ. Cod. nec reuocabilis eſt, l. ſi is, de confeſ. ff. ſed non in atrocibus, l. 1. §. ſi quis vltro. de quæſtio. ff.

* l. 1. § Diuus Seuerus, de quæſt. ff. argu. l. ex incendio, & l. Pædius, de incendio. ff.

† l. 3. quor. appel. non recip. C. l. item apud. §. adiicitur. verſ. quæſtionem. de iniur. ff.

* l. metum autem, de eo quod met. ff.

In cauſa autem ſortilegorum, qui expreſſa pa-ctione cum diabolo inita fatentur, ſe conuentibus & ſceleribus aliis interfuiſſe, quæ aliunde quam ex ipſorum aut conſortum confeſſione poſſunt innoteſcere, hæc confeſſio quæ extra torturam fit vim probationis obtinet, † ſi à reo præuento fiat, qui in ſuſpicione iſtius criminis aut exiſtimatione fuerit, etſi non parebit, eum homini pecorive mortem intuliſſe. Nam hoc ſcelus omni parricidio deteſtabilius eſt, quod excogitari ab vllo poſſit. Quod ſi dicatur, confeſſionem rei contra naturam (vt loquuntur quidam) excludendam eſſe: * ergo ne impuros quidem Sodomitas peccatum contra naturam confeſſos plecti oportebit: ſin autem contra naturam eſſe accipiant τὸ ἀδύνατον, id plane falſum eſt: non enim quicquid à natura fieri non poteſt, illud eſt ἀδύνατον. Nam eiuſmodi ſunt omnes actiones intelligentiarum & Dei opera, quæ extra naturæ ordinem cernuntur ſæpenumero: etiamque morbi omnes epidemici (vt Hippocrates annotat) à Deo procedunt, adeoque, vt idem loquitur, neſcio quid diuini habent præter curſum ordinemque cauſarum naturalium, ad quos cæciores talpis ſunt Medici. Sophiſticum ergo illud eſt, hoc improbe factum à natura eſt impoſſibile, impoſſibile igitur: ac ſi quis de improbo dicat, bonus cantor eſt, bonus igitur. Iam vero diuina & humana autoritate, vetuſtatis totius conſenſu, diuinis & humanis legibus, experientia, iudiciis, conui-ctioni-

† l. qui ſententiam, de pœnis, C. Azo in ſumma, de quæſtion.

* l. confeſſion. l. ſi cuius, de interrogator. act. ff.

ctionibus, commiſſis teſtibus, & confeſſionibus Magos exportari probauimus, eorumque opera ſterilitatem & procellas inferri: eſt igitur poſſibile. Cum itaq; lex dicit, † vt admittatur confeſſio, rem poſſibilem & veram ea contineri oportere, veram autem nequire eſſe ſi eſt ἀδύνατον, nihil eſſe ex iure poſſibile, quin à natura idem poſſit fieri, * ſophiſtica vtuntur fallacia, qui falſam ex eo aſſumptionem aſtruunt. Nam maxima illa & admirabilia Dei opera ex natura ſunt impoſſibilia, re tamen vera ſunt: ſpirituum quoq; intelligentium facta & quæcunque ſunt μετὰ τὰ φυσικὰ, natura ſunt ἀδύνατα, ideoque Metaphyſica ſcite diſtinguitur, & re vera differt à Phyſica naturam ſolum explicante. Spirituum igitur dæmonumque facta non ſunt reuocanda ad naturalium effectorum legem. Quamquam ſi ex naturali demonſtratione primum mobile momento vno miliarium amplius quingenta millia dicitur percurrere, æque profecto ſpiritus malignus poteſt Sagæ corpus exportare in ambitum terræ, quæ punctum quoddam eſt, ſi cum ampliſſimo cœlo comparetur. Magorum itaque confeſſionem de exportatione poſſibilem eſſe veramque affirmamus, & (quod amplius eſt) homines & pecora à Magis occidi malignorum ſpirituum ope & inuocatione: vt in Ægypto ſub mediam noctem primogenita hominum pecorumque à diabolo momento vno fuiſſe occiſa è ſacra Scriptura didicimus. Fuit autem Ægypti regnum (vt Strabo & Plinius con-

† l. inde Neratius, ad l. Aquil. ff. c. fin. de confeſ. li. 6 Baldus in l. 1. de confeſſ C.

* l. 1. de conditionib. inſtitutionum, ff. & ibi gloſſ.

conſentiunt) latum ducenta milliaria magna, longum quadringenta, omnium quæ ſub cœlo fuerunt frequentiſſimum & opulentiſſimum: Deus vero, teſte Scriptura, noluit vt deſtructor Satanas populi ſui ingrederetur domos. Hoc quidem natura eſt ἀδύνατον: atqui tam verum eſt quam lucere Solem conſtat. Etſi Auicenna putat & Algazel ſpirituum actiones naturales eſſe atque à natura poſſibiles: quæ ſententia ferri poteſt, ſi ea poteſtate præditos eſſe ſpiritus intelligamus ex permiſſione Dei, vt ignis vrendi poteſtatem habet: ſed illud (vt ante diximus) de cauſis naturalibus & ordinariis non poteſt accipi. Verum vt confeſſionum quas Magi faciunt probationem confirmemus, eas cum aliorum Magorum confeſſionibus oportet comparari. Etenim diaboli actiones ſemper ſibi & vbique conſtant, quemadmodum ſimia, ſiue tela ſiue purpura induatur, ſemper eſt ſimia. Itaque Magorum confeſſiones Germanorum, Italorum, Gallorum, Hiſpanorum, veterumque Græcorum & Latinorum ſimiles eſſe animaduertimus, & Magi plurimum alii ab aliis accuſantur: vt de Lochiano illo diximus; qui accuſans vxorem confeſſus eſt ſe illius ſuaſu conuentum Magorum adiuiſſe, quæ poſtquam omnia fuiſſet confeſſa igne viua abſumpta eſt: cui perſimile factum in Caſtello Heraldino accidit, vbi vir & vxor à tertio quodam magicarum ſortium comperto fuerunt accuſati. Dicebat vir, ſe Magorum cœtum ſemel tantum adiuiſſe,

vt quonam vxor ſcortatura proficiſceretur poſſet reſciſcere, non iuiſſe illuc ab eo tempore: fatebatur mulier, ſe ex eorum eſſe numero, eodemque iuiſſe virum ſuum. Hic vero difficilis quæſtio oborta eſt, an viri confeſſionem ἀχώριστον, ſine diuiſione ad purgationem ipſius oporteret accipi: quemadmodum permulti Doctores *a* ſentiunt, integram confeſſionem ſumendam eſſe, ex qua grauetur aut leuetur confeſſi crimen, ſiue articulum vnum ſiue plures ea comprehenderit. Horum præcipua eſt ratio, quod iuriſiurandi ſacramentum vnum ac indiuiſum eſt: quæ ratio plane eſt friuola. Nam eodem iure quinquaginta ſtipulationes ad vnum contractum (quem vnius iuramenti religio confirmat) pertinentes, vnius ſtipulationis loco ponerentur. Id vero falſum & abſurdum eſſe inter omnes conuenit, cum totidem in contractu ſtipulationes exſtent quot inſunt clauſulæ, & viciſſim tot ſententię quot ſtipulationum capita: quapropter etiam in prouocationibus ſic poſſunt diuidi, vt de vno capite reliquis integris appellari poſſit *b*. Contra vero bona pars Doctorum diuidi poſſe confeſſionem indicat: quęſtionem hanc enim fuiſſe Iacobi Rauennatis tempore agitatam, & conſtitutum fuiſſe diuidi confeſſionem oportere *c*. In hanc ſententiam iudicia quam plurimis areſtis facta ſunt *d*: itaq; in cauſis ciuilibus & criminalibus obſeruatur, adeo vt ſi reus fatebitur, ſe quidem occidiſſe, verum cum prius inuaſiſſet alter, prius illud confeſſio-

a Faber in §. item ſi quis poſtul. princ. de actio. & in l. vna, ver. contra. de confe. ex l. publia. §. vlt. depoſiti. ff. & ex l. ſi filius, §. vlt. de interr. act. Cynus in l. 2. q. vlt. de don. an. nup. C. Iacob. Rau. Petr. bella perti. & Cy. in d. l. vna, q. 13. Albe. ibi. q. 10. de confeſ. C. arg. l. etiam; §. 1. de mino. Alex. conſ. 22. ver. præterea. li. 2. de don. ant. nup. text. in l. neminem, de lega. 2 & l Pomponius, §. 1. & ibi Iaſ. col. 2. de acquir. poſſeſ. ff. Bal. in L. 2. de tranſact.

b l. in hoc iudic. fam. herciſc.

feſſionis caput pro vero ex indubitata probatione habebitur, poſterius vero ad purgationem confeſſi pertinens non exiſtimabitur probatum, ſed accuſatus defenſiones ſuas ad ſe purgandum probare tenebitur: ſi non faciet, ſubibit condemnationem *e*. Proprie tamen hoc pacto non diuiditur confeſſio: ſi enim diuideretur & reiiceretur, omnino accuſatus excluderetur à purgatione ſui afferenda. Vbi vero probatio deficit & probationis conſequendæ ratio, exempli gratia de nocturnis Magorum congreſſibus, quæritur, an tota confeſſio tanquam vera admitti debeat, cum in eo quod pondus, tum in eo quod leuamen cauſæ accuſati affert? Nam in hac demum ſpecie tota confeſſio vniuerſe accipienda aut repudianda eſt, quam ſententiam Iureconſultus Alexander defendit *a*. Iudici enim virum interroganti cur ſuam vxorem non accuſauiſſet, reſpondit ille, ſe voluiſſe honori ſuo & familiæ ſuæ conſulere: vxor vero dicebat, virum ſemel tantum eo abiuiſſe. Verumtamen ne hoc quidem reſponſo fuit excuſabilis, cum vxorem ſuam turpiſſima atque inprimis horrenda ſcortatione, quæ vnquam excogitari poſſit, contaminatam ſineret permanere, atque (vt ita dicam) lenocinii conuictus eſſet. Etenim Sagas omnes frequentem habere cum diabolo conſuetudinem ante oſtendimus. Præterea conſtat, inter omnes eum læſæ maieſtatis conuinci, qui coniurationem cognitam non reuelauerit, licet in coniurationem minime omnium

Bald. & Florent. ibi per l. Corne. de iu. patronat. Bal. in l. 2. de re iudi. C. Fe. in c. cum inter, prima fal len. de re iudic.

a Ex l. perfecta, de donat. C. & l pub. §. vlt. depoſ. & ibi Accurſ. Ang Salicet. Bart. Pan. in c. bonæ memoriæ, verſ. extra, de poſtu. prçla. Cępolla caute. 184. ſi mutuam, per l. 3. §. de iureiu. Fel. in c. cum dilecti, de accu. fine.

d Boer. in deciſ. Burdeg. 243 num. 7.

e l. ſi non conuitii, de iureiur. C. & l. 1. de ſicariis, C.

a In conſ. 80. col. 2. verſ. poſſe. lib. 7.

mnium conſenſerit *b*: quanto igitur magis reus futurus eſt, qui perſpectum læſæ maieſtatis diuinæ & humanæ crimen ante omnia deteſtandum diſſimulauerit *c*. An vero hic vt Magus cenſeri, & qua pœna affici debeat, dicemus poſtea. Sed videamus, quæ ſint Iudicis partes, ſi primum Saga fateatur, deinde inficietur factum. In hac cauſa diſtingui oportet, atq; obſeruari, an prima confeſſio coram Iudice competente & ſine quæſtione facta ſit, cum præuenta Saga & accuſata eſt: tum enim confeſſioni primæ hærendum, & quamuis non alia exſtaret probatio, ad condemnationem procedendum, (nam ſæpenumero fuit exploratum, Sagas in vinculis per Satanam informatas ab antegreſſa confeſſione diſceſſiſſe) & quia hoc crimen ſupra omnia turpe & deteſtandum eſt, voluntaria Magorum qui præuenti fuerunt confeſſio habenda eſt certæ & indubitatæ probationis loco. Canonicum Lauellenſem memini an. 1569. veneni infuſi in Lauellenſis Decani calicem accuſari, qui nocturnam miſſam faciendo medicatam potionem hauſit & in terram proſtratus eſt, deinde vero euomuit. Reus voluntarie & ſine quæſtione agnouit factum, condemnatus Curiam Pariſienſem appellauit, interea vero informatus id quod ante fuerat confeſſus pernegauit. Placuit tamen Curiæ hominem igni dedi, eumq; vidi cum ad ſupplicium raperetur: quod Curia, ſi confeſſionem extorſiſſet quæſtio, non fuiſſet iudicatura. Quid vero, ſi confeſſio coram

Dd in-

Rota deciſ. 408. fuit dubitatum, in nouis. Caſtrenſis conſ. 269. ſi. li. 2. Steph. Bertrand. conſ. 151. viſo lib. 3. & conſ. 148. ex themate, nu. 3. lib. 4. Ancharan. conſ. 208. Iudex conſil. pen. & conſ. 207. quæſt. col. 2.

b Do. in l. quiſquis, ad l. Iul. maieſt. C.

c c. vergentis, de hæreti. & l. vlt. de maleſic. C.

incompetente Iudice fuerit edita? an vim probationis obtinet? Statuunt pleriq; ne idoneam quidem præſumptionem eſſe, ex qua torqueatur reus, nedum probationem iuſtam *a*. Quinetiam Canoniſtarum bona pars putat, confeſſionem extra iudicium factam neq; confitenti neque conſortibus eiuſdem criminis vlla ratione damnoſam eſſe *b*: alii eam quæ coram Iudice incompetente fuerit, idem præſtare, quod præſumptiones & coniecturæ ſolent *c*. Hic autem error profluxit ex dicto Vlpiani in l. certum, §. ſi quis abſente, de confeſſis, ff. vbi ait, ſi quis abſente aduerſario ſit confeſſus, eum pro iudicato non haberi: verum ex eo minime ſequitur, confeſſionem ſiue in iudicio factam ſiue extra iudicium, ſiue apud competentem Iudicem probationis hanc, illam minus pro rei conditione non efficere. Itaque viri forenſis adminiſtrationis peritiſſimi *d* putant, confeſſionem abſente aduerſario factam nihil eſſe, ſi eum adeſſe poſtulet neceſſitas: Quod ſi Iudex incompetens de facto cognitionaliter quæſtionem habuerit, & reus coram ipſo fuerit confeſſus, etiamſi propter incompetentiam aliamve nullitatis cauſam cognitio fiat irrita, ſua vis tamen conſtat probationibus. Alioqui multa crimina, multi ſontes impune abirent: cui malo occurri omnino præcipit *e*, & ita proſpici, vt ab iniquitate & abſurditate vindicetur lex *f*: inprimis vero ob incompetentiam Iudicis probationes intercidere foret iniquiſſimum in Magorum cau-

a Ex l. diuus, de cuſto. reo. vbi Ba & D: in c. at ſi clerici. & Felin. de iudic. ext. Alber. in l. Magiſtratib. de iuris. Ang. Aret. in §. ſed ſi quis, Inſtit. de ſuſpec. tut. decil. Capel. Tholoſ. qu. 425. So. conſ. 108. nu. 5. li. 4: Guido decif. Del. 120.

b Felin. pro regula ponit cum 9. fallen. in c. olim. de reſcrip. Cornæus conſil. 128. lib. 1. Bal. conſ. 122. verſ. nam fama. li. 1. Caſtr. in l transferre. ver. & licet. de tranſact. C. Sal. in l. & bonæ fidei, de iureiur. C.

c Immola in c. per inquiſition. de electio. & in c. 2.

cauſa, vbi tam difficiles probationes & tam abdita ſunt ſcelera, vt vix è millenis vnus ſupplicium perferat. Diximus de voluntaria confeſſione, quæ tertia eſſe probatio neceſſaria dicitur: nam quod ad confeſſionem violentam & extra ordinem quæſtione extortam, probationem aliquam efficit, ſi reus à quæſtione remotus in confeſſione perrexerit, ſi deſtiterit, præſumptio magis eſt quam probatio neceſſaria. Dicamus igitur de præſumptionibus, quæ contra Magos haberi poſſunt.

CAPVT IV.

De præſumptionibus aduerſus Magos.

CVM tres probationes euidentes illæ deficiunt, factum permanens atq; notorium, ſermo conſentiens teſtium ἀνεπιλήπτων, & voluntaria repetitaque confeſſio rei ante confeſſionem præuenti, tum præſumptiones oportet expendi, quæ ad probationem & punitionem Magorum poſſunt conducere. Præſumptionum autem aliæ ſunt temerariæ, aliæ probabiles, & violentæ aliæ. Ex eis poſtrema iure poteſt ſtatui, eſtque aliarum probationum omnium valentiſſima, cuius autoritate probationes cæteras excludi omnes Doctores conſentiunt *a*. Talis fuit præſumptio, ex qua Rex Salomo litem diremit matrum de puerulo inter ſe contendentium *b*: & Imperatoris Claudii *c*, qui matrem ei iubebat nubere, quem filium eſſe negabat ſuum. At errare Salomo & Claudius in

de conf. Io. And. in c. quia l ter, de accu. Ang conſ. 28. quidam. Roman. con. 28. viſo; per tex. & gl. in l 5. de adul. ff. & per l. ictus fuſtium, de iis qui not. infa. Panor. in c. de hoc. de ſimonia, & in c. olim, de reſcrip.

d Ang. in l. Papinian. §. meminiſſe, de inof. Bar. in l. cum facta, de iur. & fa. igni. Im. & Ant. Butr. in c. ſi cautio. de fide inſtrum.

e l ita vulner. ad l. Aquil. ff.

f l. Saluius, de legatis præſt. ff

a c. ad id c. is qui, de ſponſal. c. per tuas, de cond. appo. l. ſi quis adulterii,

iſta cauſa potuerunt. Fateor: ſed in cauſis quoq; inculpatorum teſtium & confeſſionum errari poteſt: quemadmodum ſupra mancipium mulctatum fuiſſe morte oſtendimus eo, quod hominem qui deſiderabatur occiſum à ſe fateretur, qui tamen poſtea comparuit: ideoque lex dicit *d*, non eſſe ſoli occiſoris confeſſioni habendam fidem, niſi de occiſo appareat. Sed præſumptiones iuris *e* & ex iure conſtitutæ, rationis naturalis nituntur fundamento *f*. Etenim præſumendum eſt, matrem, quæ omnia tentauerit ad redhibendum filium præoptaturam, vt adiudicetur alteri quam vt tradatur morti: Similiterque is qui factum quod negat renuit eiurare, aut iuramentum deferre aduerſario offerenti, ſe reum peragit. Alphonſum Regem Neapolitanum legimus cum pater filium ſuum negaret eſſe, mandauiſſe vt mercatori Afro vænum daretur filius, tum filium à patre receptum eſſe: ita præſumptione lis fuit ſublata. Verumtamen ſi qua probatio euidens contrarii facti exſtabit, contra præſumptionem admittitur *a*: quicquid probationem multi excludi contendant præſumptione iuris *b*. Nam hominis acceptilationem exhibentis probatio admittitur *c*, quamuis de ſolutione nec iurare ipſe nec iuramentum deferre voluerit, eo quod non ſatis meminiſſet facti, nec ſciret an haberet penes ſe acceptilationem. Præſtigias autem Magorum & miracula contra naturam haberi in præſumptionibus iuris eſt iniquiſſimum: nam Lex Dei hanc

cer-

de adulter. C. *b* in c. afferte, de præſump. *c* Sueton. in Claudio. *d* l. item Mela ad l. Aquil. ff. *e* l. manifeſta. de iureiur. & ibi Bart. l. ſi hi qui adulterii, ad l. Iul. de adult. C. l. excipiuntur ad SC. Syllan. ff. *f* auth. non licet de liberis præt. C. l. iura ſanguinis, de reg. iuris, ff. *a* Alex. conſ. 158. lib. 2. n 9. & gl. in l. ſi tutor. de peric. & commo. Tiraquel. in l. ſi vnquam. de reuoc. donat. n. 133. C. *b* Doct. in l. manifeſtę turp. de iureiur. ff. Panor. in c. afferte, & in c. quan-

certam & indubitatam probationem ſtatuit, mulierem præſtinguentem oculos non ſines viuere, quod illæ tamen propalam faciunt: ſic enim Lex Dei ſtatuit, eos qui faſcinant cum Satana pepigiſſe vt res contra naturam faciant. Si igitur (vt ad præſumptiones contra Magos veniamus) liberi ad matris manum reperiantur occiſi, quamuis nemo præter ipſam ſit domi, non oportet præſumere, cædem fuiſſe ab ea perpetratam, cum aduerſetur iuris præſumptio *d*; iudicio abſoluitur illa, niſi probatione euidentiſſima cædis conuicta ſit. Sin autem Sagam eſſe rumore prædicabitur, eam ſuorum ipſius liberorum parricidam eſſe præſumitur, niſi probationibus ſe in contrarium probet. Catharina Darea Coparis die ſecundo Februar. M. D. LXXVIII. duas puellas iugulauit, vnam ſuam, alteram vicinæ, cum tamen rei magicæ non fuiſſet infamata, hæc diabolum confeſſa eſt hominis proceri & pernigri ſpecie curauiſſe vt id faceret, poſtea cremata eſt prouocare nolens, quamuis Coparum Præfectus licere exponeret: nam agnoſcebat, ſe hoc genus mortis eſſe promeritam. Sic conuictus Raziorum Baro ſe octo infantes confeſſus eſt occidiſſe & ſacrificaſſe diabolo, & ſibi Satanam indixiſſe, vt ſuum ipſius puerum adhuc ſacrificaret auellens ab vtero matris, quæ rem ſubodorata eſt, itaq; iudicium in eum conſtitutum. Manaſſem Iudææ Regem, maximum ſua ętate Magum, liberos ſuos diabolo ſa-

to, de pręſump.

e c. quanto. de pręſump. Ioan. de Graſſis in d. c. quanto, & Cynus in authen. ſed id. eod. de dona. ant. nupt. C. & §. 1. in auth. de ęqualitate dotis.

d l. vlt. pri. de cur. furio. l. penult. §. de vno. de rit. nupt. l. creationibus, de Epiſcop. audient l. humanitatis, de im pub. & aliis ſubſtitution. C.

crificauiſſe legimus, qui promiſſis de ſumma amplitudine ab eo acceptis, ab hoſtibus comprehenſus & dignitate deiectus eſt. Magum ergo ex præſumptione diuini iuris parricidam eſſe præſumitur *a*: & ſi quando Magi hominis infans deſiderabitur, præſumendum eſt, ab eo ſacrificatum fuiſſe diabolo, niſi ſecus probauerit. Atque hæc iuris diuini præſumptio ratione nititur: nam qui omni pietate in Deum abiecta ſeipſum diabolo mancipauit, omnem humanam pietatem ſtudiumque naturale & στοργὴν exuit. Eum ergo præſumendum eſt confeciſſe omnia, quæ Magi ſolent: & quamuis facta errori potius quam malitiæ æquum ſit accepta ferri *b*, niſi appareat ſecus *c*, Magos tamen nihil errore feciſſe, ſed malitia & impietate ſemper præſumimus. Omnia improbitatis genera, quę Magi in vſu habent, de mago homine præſumi neceſſe eſt: cum tamen vir furti falſive damnatus, alterius improbitatis nomine quam furti aut falſi neq; diffametur, neque præſumatur reus *d*. Si quæ itaq; Saga damnata fuerit ſortium magicarum, Saga ſemper eſſe pręſumetur, ac proinde omnibus impiis ſceleribus inquinata, de quibus notantur Magi. Et quamuis non proceſſerit aduerſus eam condemnatio, ſufficiet tamen accuſatio, rumor & publicus ſermo ad præſumptionem violentam infamiamque facti. Si enim lex mulierem accuſatam adulterii, nec damnatam, nihilominus in vitam notari præcipit *e*, quanto æquius ea notabitur ac infamis habebitur, quæ

Magiæ

a Deut. 18. Leuit. 20. 1. Reg 18.
b Arg. l. quod ſi nolit, §. quia aſſidua, de ędilit. ed. l. fin. in fine, de fideiu. C. l. ſi prius, §. certe, de aqua pluu. Alex. conſ. 129. lib. 7. nu. 11.
c l. quoties, §. tantundem, de hære. Inſtit. & ibi Bar. Bal. Ro. Caſt. conſ. 203. li. 2. Immola conſil. 104. Bald. conſ. 144. l. 1. Cumanus conſ 135. & 142. Dec. in l. ſi librarius, de regul. Cæpolla conſil. 21. co. 4. Cur. ſenior conſil. 55 Alex. conſ. 51 li. 7. nu. 16.
d Canoniſtæ in c. 1. de præſump.
e l. palam, §. quæ in adul-

Magiæ nomine traducitur? Nam cum mulierem Sagam eſſe fertur, eam Sagam eſſe præſumptio eſt vehementiſſima, ex qua indiciis quibuſdam coniuncta iure poteſt ad quæſtionem rapi: etſi cauetur edicto Ludouici XII. Galliarum Regis, ne quæſtioni dedatur quiſquam, niſi inculpatus teſtis cum indiciis exſtiterit. Certe in aliis criminibus ex iure non poteſt quiſquam ob communem famam quæſtioni ſubiici, vt inter omnes fere Doctores conuenit *f*. Quanquam ex Mantuana conſuetudine ſi teſtes quatuor communem famam à ſe auditam dixerint, in criminibus ſingulis capitalibus quæſtionem legitimum eſt adhiberi: multo magis ad quæſtionem rapietur ille, de cuius arte magica communis rumor & conſtans increbuerit, cum fama conſtans legitimæ probationis vim habeat, niſi contraria probatione refellatur *a*. Contra vero ſi mulier nunquam ſuſpecta Magiæ mortis in vllum illatæ accuſabitur, niſi manifeſta fuerit probatio homicidii, non eſt in iudicio ſtatuenda condemnatio *b*, ſed amplius decernendum, & illa interea dum cognoſcitur vinculis eximenda. Verumtamen ſi ſermoni communi & famæ hærendum eſt, eam non ab aduerſariis ſed ab hominib. fide dignis oportet naſci *c*. Hæc

terio. de rit. nup. ff.

f Io. And. in add ad Specul. tit de probat. §. videndum, verſ. 13. Bal. in l. milites, de quæſt. Cynus in l. vlt. eod. C. Butrig. in c. veniens, col. 4. de teſtib. Alex. conſ. 5. col. 2. lib. 1. Iaſ. l. admonendi, col. 15. de iureiur. ff. Marſi. in l. de minore, §. plurium, col. 5. verſ. alterius, de quæſt. Felin. in c. veniens 1. de teſtib. col. 5. Marſil. in praxi criminum, §. diligenter, nu. 8.

a l. ſi mat. ne de ſtat. defun. Cod. l. 2. ſi ſeruus vel libert. Cod. cap. tranſmiſſa, qui filii ſint leg.

b cap. cum in iuuent. de præſumpt. ext. l. non omnes, §. à barbar. de re milit. ff. l. 4. de ſuſpec. tut. ff. l. 1. ſi quis Imperatori maled. l. vltim. de actionib.

c §. qualiter & quãdo, de accuſ. Bar in l. de minore, §. tormẽta, de queſt.

diſtinctio videtur neceſſaria, vt præripiatur improbis occaſio appetendi bonos calumniis. Neque vero illud neceſſe eſt, quod multis video placuiſſe *d*, vt communis rumor à maxima parte populi definiatur: in magno enim oppido eſſe rumorem ſuffecerit à vicinis omnibus, quia res propinquorum ſuorum propinqui melius, quam longinqui alii cognouerunt. Itaque viginti homines (hic enim iuſtus duarum turbarum numerus) ſatis futuri ſunt ad rumorem comprobandum. Si quis autem dixerit, vocem populi negligendam eſſe, eamque vanam exiſtimari *e*: id quidem verum eſt, ſi contra aut ſenſus aut ratiocinatio iudicandum eſſe euicerit. Sed in Magorum cauſa vix fieri poteſt, vt vox popularis erret *f*, maxime ſi qua ſpecies adfuerit, quam Doctores legitimam famam nominant *g*. Multo magis autem id oportet ſtatui, ſi præter communem famam indicia exſtiterint, verbi gratia, ſi Saga dum comprehenditur dicat, actum eſt de me, aut ne morte afficiatis me, id quod res eſt enunciabo: tum enim mutationem admirabilem cum animo ſuo ſentit: vt fecit quædam Saga, cuius à Præfecto Tenalliarum fuit allatum ad me iudicium. Certiſſimum profecto indicium maleficii, cum quis ſe ante condemnat quam accuſetur: vt ille fecit, qui poſtquam parentem occidiſſet, nidum cernens hirundinum pullos occidit & attriuit pedibus, atque hoc facto crudelitatis reprehenſus: Iamdiu, inquit, hoc mihi ſolum exprobrant me parenti meo

Alex. ibi in addit. Salice, in l. ea quidem. de accuſ. C. Textus, in c. iuuenture, extra de purg. Canonic. Decius conſ. 37. in cauſa, coll. 6. nu. 9. & 10. & conſ. 133. viſo proceſſu.

d gloſſ. in l. 3. §. eiuſdem, de teſtib. Bar. in l. de minore, §. plurium, de quæſtio.

e l. decurionum, de pœnis.

f Panorm. & Felin. in c. veniens, 1. de teſtib.

g Pariſ. conſ. 154. li. 4. num. 12. vſque ad 18.

meo necem intuliſſe, ex hoc iudicio (ait Plutarchus) comprehenſus parricida in quæſtionem raptus eſt, & agnouit factum: aut ſi curationem afflicti pollicetur Saga & re infecta fugit, vt Ioanna Heruilleria (cuius ante meminimus) fecerat. Quiſquis enim ab iſto crimine purus eſt, calumnias à quibus in criminibus aliis metuitur nunquam pertimeſcet *a*. Verborum item coniurationes & inuocatio Satanæ qua ad maleficia eximenda vtuntur Magi, præſumptiones ſunt violentiſſimæ, quæ hominem Magicæ artis arguũt. Etenim exorciſtas quoq; ipſos capitali pœnæ lex ſubiicit, l. 2. & 3. de maleficis C. qui colebant artẽ ciurandi diabolos atq; depellẽdi: hi enim fuerunt Magorũ facile principes, qui religionis prætextu (ait Hippocrates in libro de morbo ſacro) adiurationes coniunctas precibus exercebãt. Et quamuis hominem qui hac ratione ſanat affectos lex morti non adiudicet, Magum tamen lex Dei morte mulctari iubet. Hunc enim certum eſt pactione teneri cum Satana, & loco vnius quem ſanat binos affligere, vt ante oſtendimus: vt autem nihil interuenerit quam quod Deum abnegãs obligauit ſe diabolo, hoc ſcelus meretur mortẽ omnium atrociſſimam. Alia indicia ſunt hæc, geſtus Magi (nã fere vultum defigit humi, nec in os audet aſpicere) nutationes reſpondentium incerte ad interrogata *b*, ante omnia vero ſi vno aut vtroque parente Mago natus eſt. Nam hoc caput ſi cum ſermone publica coniunxeris firmiſſimum eſt

a Bald. in l. diffamari. de ingen. manum. C. & in c. veritatis. de iureiur. & in l. proprietatis. ſi. de probationib. C.

b l. vnius. §. teſtes. de quæſt. c. literas de præſcrip. Bart. in

argumentum: quia nullum eſt ſacrificium quod ab iſtis hominibus tantopere diabolus expetat quam vt ſuos ipſorum liberos, ſimulac hauſerūt lucem, voueant dicentque diabolo ad cultum ipſius, vt exemplis commōſtrauimus. D. Antonius Lonanenſis vicarius generalis regis apud Ribemontenſes nuper mihi narrauit, ſe cognouiſſe in iure de Claudio Waterio quodam ſortilegiorum multorum reo, cuius pater Nicolaus Waterius eiuſdem impietatis reus in carcere vita defunctus eſt, & auia nomine Catharina (cathonem Picardi vocant) viua igni tradita. De Ioanna Heruilleria idem notauimus: matrem eius Areſto crematam fuiſſe viuam, eam vero iamq; dicatam Satanæ cum prehenderetur mater: Barbaram quoque Darcam (quæ pariter combuſta eſt) Lognianas Sagas apud Potezanos, Valerianas in Sabaudia, & illā Caſtelli ruſſi filias ſuas malis artibus imbuiſſe: ex quibus omnibus confici poteſt regula ampliſſima & exceptiones pauciſſimæ. Si enim Saga eſt mater, eſt etiam filia: quod in cauſa impudicitiæ dicitur filiam eſſe matri perſimilem non ſemper verum eſt, de Magis vero omnibus vere certiſſima eſt regula, vt ex innumeris iudiciis compertum eſt. Alia quoque præſumptio eſt, ſi non fleuerit Saga, quam præſumptionem Paulus Grillandus & Inquiſitores illi quorum opera crematæ fuerunt innumeræ annotant eſſe valentiſſimam. Regius ille vicarius apud Ribemontēſes, cuius modo mentionem feci, vnam Sagarū (de

quibus

quibus cognouit) in iure confeſſam narrabat Sagarum dexterum ſolummodo oculum ternas lachrymas eiicere: quod non omittendum eſſe putauimus. Item ſi Saga in domo aut ſtabulo alterius deprehendatur, & mors aut ſubitus morbus aliquem paulo poſt opprimat, præſumptio aduerſus eam eſt, quamuis neque pulueribus comperiatur inſtructa, neq; ſortem viſa ſit iniicere, quæ probatio futura eſſet euidẽs. Atque hæc poſtrema præſumptio vires habet maximas, qua vtuntur Cornificius *a* & Bartolus *b* aduerſus eum qui inſolens in loco viſus eſt vbi crimen fuit commiſſum dum committeretur, aut qui in propinquo deprehẽſus fuit cum perpetraretur illud *c*. Exſtant recentes hiſtoriæ huiuſmodi, vt apud Pedemõtanos Cazalii quædam nomine Androgyna videbatur cum intraret in alienas ædes, & paulo poſt homines interibant. Comprehenſa itaq;, Sagarum omnium conſortium eiuſdem maleficii retexit coniurationem (erant autem 40. ferme) quæ exterã ianuarum manum ad enecandos homines perungebant. Id anno M.D.XXXVI. accidit. Geneuæ quoq; poſtea idem effectum eſt anno M.D.LXVIII. vbi ad ſeptennium fuit peſtilẽtia ex qua occubuerunt multi. Non abſimile eſt quod de centum ſeptuaginta Sagis legimus, quæ Romæ ex eadem cauſa ſublatæ ſunt, Claudio Marcello & Valerio Flacco Coſſ. quo tempore pro veneficis adhuc habebantur. Ad hæc frequens cum certis & conuictis Magis conſuetudo, præſum-

ptio

a Rhet. ad Herennium.

b Bar. in l. vlt. in fin. de quæſt. Salic. l. vlt. eod. C. Paris de Puteo in tracta. Syndi. verbo viſo, ex l. 1. §. quid ergo ad SC. Syllania.

c Barto. in l. furt. de furtis ff.

ptio eſt perualida & obſeruatione digna: ſimilis enim ſimili plerumque adhæreſcit *a*. Etiam hęc permagna fuerit præſumptio, ſi mulier ſuſpecta ſoleat comminari. *b* Impotẽs enim natura mulierum incredibili vindictæ cupiditate feruet, nec linguam à minis cohibere poteſt ſi quam nocẽdi facultatem habuerit: mors itaque ſi minas ſequitur, maxime violenta eſt in criminibus aliis præſumptio *c* in hoc neceſſaria. Baptiſta Ziletus inſignis Iurecoſſ. conſilio 79. cuiuſdam Germani Antonii Zund exemplum adducit, qui necis Valentino cuidam illatæ accuſatus eſt, eo quod paulo ante mortem illius dixiſſet, non eſſe præteriturum annum quin ille tãquam baculus exareſceret, itaque ille obiiſſet. Fuit autem Magus in quæſtionem raptus ob comminationem iſtam: hæc enim ad queſtionem ſufficeret in omnibus aliis criminibus *d*, in hoc vero præſumptio eſt violentiſſima. Sic confeſſio extra iudicium facta in aliis criminibus ad quæſtionem ſufficit, *e* in hoc ad condemnationem. Similiter ſi quando extra iudicium reus perpetrati homicidii veniam poſtulauerit: idemque in iudicio negauerit, quæſtioni ex iure deditur: in hoc vero tam deteſtando crimine legitime ad pœnam condemnatur, idque pro cõditione perſonarum. Omnes enim Doctores rerumque forenſium periti conſentiunt *f* reum conuictũ eſſe.

a argu l. 3. §. nullus, de excuſ. tu. l. item apud Labeonem. §. adduxiſſe, de iniur. ff. l. null^o. §. 1. de actio. empti. ff. l. ędiles. §. Pędius, de ędilit. edicto. ff.

b Bald. in l. Pacumenius, de hęred inſtit. ff. arg. l. ſi hi qui adulterii. de adulter. C. l. ſi vero nõ mãdat. ff. l. 3. de repudiis. ff. l. famoſi. ad l. Iul. maieſt. ff.

c Spec. tit. de pręſcript. §. ſpecies. ver. ſed pone. Alberi. in l. metũ. quod met. cau. C. Bal. & Im. in l. 1. de ſeruis fugit. C. Fel. in l. cũ oportet. de accuſat.

d l de minore. §. tormenta. de quęſti. Ang. Aret. in ſua inquiſiti. in gl. ſuper ver. cõparent. *e* l. 5. de adult ff. gl. & Bart. *f* c. venerabilis. de electio. & Docto. in c. exhibita. de homicid. Ioan. Andr. Hoſtienſ. Butri. Cardina. Panorm.

eſſe, ſi criminis cuius inſimulatur veniam in iure poſtulet, quamuis id deinde abneget: ſimiliterque confeſſionem extra iudicium factam, poſteaque reuocatã, in criminibus aliis ad quæſtionem ſufficere *a*. Eadem mendaciorum *b* reſponſorumque varie nutantium eſt ratio: ſunt enim violentiſſima indicia & præſumptiones aduerſus Magos ex quibus torqueri eos legitimum eſt. Huius autem execrandi criminis iudicium extra ordinem oportet fieri diuerſa à criminibus cæteris ratione: in quo ſi quis ordinem iuris forenſeſque formulas obſeruare voluerit, ius diuinum & humanum plane peruertit *c*. Verumtamen non eſt temere aduerſus Magos adhibenda quæſtio. Hanc enim parui à Magis fieri Iudices annotant: itaque fieri poſſet vt impune abirent Magi, propterea quod à quæſtione, ſi præfracte inficiari potuerint, plurimum ſoluűtur rei: quo inſtituto nullum grauius periculum poteſt accidere in quæſtione iſtius criminis maieſtatem Dei hominumque minuentis, & crimina omnia quæ homo comminiſci poteſt continentis *d*. Nam niſi Magum Satanas è manu Iudicum nequit eximere: tamẽ compertum illud eſt, niſi reſipuerint, à Satana non relinqui Magos, ſed ipſius quoque aduerſarii nomen ab ipſo indicari reis. Ex D. Adamo Martino Biebrano Præfecto audiui perſæpe Biebranam Sagam, cum quæſtio de ea haberetur, dixiſſe ipſi, Noui futurum vt me excipias male, & amplius prædixiſſe ipſo autore ſe igne perituram, cum nondum

a Bart. in d. l. 5. de adult. ff. gl. l. ict° fuſt. de iis qui notãt. infa. Bartol. & alii Docto. in l. quoniam. de infa. Alexa. & Soc. in l. magiſt. de iuriſdict.

b l. vnius. §. teſtes. de quęſt. & cap. literas. de prȩſumpt. extra.

c c. tua nos. c. veſtra de cohabitat. cleric. c. cum dilectus. de cõſangu. & affi. 2. q. 1. c. prohibentur. §. vltim.

d l. 3. 4. & vlt. de malefi. C. c. vergentis de hęr.

nondum lata fuiſſet ſententia: etſi hoc culpa euenit carnificis, qui eam ex ſententia ſtrangulare iuſſus non potuit. Contra vero diſſuadet eis Satanas ne verum enuntient, & nonnunquam etiam torturæ ſenſum adimit *e*, vt inquiſitor Sprangerus ait, qui Sagas non temere quæſtioni admouendas cenſet. Hæc mea tamen fuerit ſententia, ſi puella ætate parua puerue fuerit, aut tenera mulier, aut deliciis aſſuetus iuuenis, ſi præſumptiones fuerint violentæ, vt aliis cum terrore exhibeatur quæſtio, & ſubdatur aliis: at Sagis vetulis minime, quæ obfirmationis callum in nequitia ſua obduxerint. Sed poſtquam ab homine torto veritas expreſſa eſt, eum ſtudioſe oportet aſſeruari ne cum eo diabolus colloquatur, deinde poſt horas 24. eandem confeſſionem iterato repeti, vt Rex Ludouicus XII. edicto ſanxit. Nam perſeuerari in confeſſione opus eſt, vt neceſſaria fiat probatio, vt edictum præcipit compluribus Areſtis confirmatum *a*. Alioqui ſi extra quæſtionem Saga reuocauerit confeſſionem ſuam, non poteſt hoc argumẽto ad mortẽ damnari *b* aliaue pœna corporali affici, niſi præſumptiones aliæ exſtiterint. Diximus antea Edictum Ludouici XII. (quo cauet ne ad teſtimonium vnius inculpati teſtis ſubiiciatur quæſtioni reus niſi alia indicia acceſſerint) non obtinere in iſto crimine, vbi difficillimum eſt probationem inueniri. Etenim ſi ob læſæ maieſtatis humanę crimen ex ſola præſumptione legitime in quæſtionem rapi ſuſpectus poteſt *c*: vt ſem-

e Paris de puteo in tracta. de Syndi. c. tortura. Sylu: Prieras in tract. de ſtrigib. demonſt. Mirand. li. 4. cap. 5. Paulus Grilland in tractat. de quæſt. 4. q. Hippolitus, Marſi. in l. repetit. coll. 4. de quęſt. vide ſupra li. 4. c. 1.

a an. 1535. menſe Auguſto.

b l. 1. §. D. Seuerus de quæſt. ff. l ſicut. eod. C.

c Faber in l. ſi quis. ad l. Iul. maieſtatis. C.

ſemper fuit obſeruatum: præterea ſi in aliis criminibus ex conſtantiſſimo Doctorum cõſenſu *d* ob ſermonem vnici inculpati teſtis quæſtionẽ licet offerre reo, & ad cõdemnationem mortis, ſi duo teſtes idem pro teſtimonio dixerint, ex lege Dei & inſtitutis humanis procedere: plane iuſtius multo futurum eſt, ſi reum prompte Iudices (vt Baldus & Alexander loquũtur) ad quæſtionem applicauerint ob crimen tam abominãdum *e* ſi vnus teſtis inculpatus dicat, aut violentæ vrgenteſque grauiter præſumptiones extẽt. Nam vnus inculpatus teſtis dimidium probationis efficit. Exempli cauſa, ſi teſtabitur maritus ſe ab vxore in Magorum conuentus deductum eſſe, & negabit illa, torturæ debet ſubiici, niſi aut capitale odium aut periurium viri adduxerit. Hæc enim duo in teſtibus infirmandis capita ſemper admitti ſolent: inprimis vero periuri hominis teſtimonium nunquam admittitur ad præſumptionem aut indicium conſtituendum, niſi aut teſtis certus aut præſumptio violentiſſima eum adiuuerit: verbi gratia, ſi comperietur ſignatus Magus, quo indicio Triſcalanus retexit plurimos. Ego tamen cum Danæo ſentio principes quoſque Magos carere ſigno, aut illud habere loco tam abdito, vt eos ſigno retegi ſit difficillimum. Nam à Valeſio quodam nobili viro accepi quoſdam à diabolo ſub palpebrarum altera, quoſdam ſub vno ex labiis, quoſdam in podice obſignari. Triſcalanus autẽ dicebat ſignatis Magis ineſſe quaſi

d Accurſ. in d. l ſi quis. & ibi Bald. & Salic. Matthæus Afflictus in conſt. Neapolit. ti. de iis qui fideiuſſores. n. 17. licet verba l. mariti. de quæſtion. ff. repugnare videantur.

e Bald. in l. 3. de epiſc. aud. C. Ang. in l. 1. de maleſic. C. & in l. quicunque. de ſeru. fugit. C. Alex. li. 3. cõſ. 6c. Afflictus in cõſuetud. Neapol. li. 3. de nox. ca. 2. c. teſtimonium. de teſtib. & c. ſicut nobis. fine. Raphael Fulgo. conſ. 173 & conſ. 107. & Decius conſ. 189.

quaſi veſtigium leporis, & quamuis ad oſſa vſq; indatur acus, locum tamẽ ſenſus expertem eſſe. Firmiſſima quidem præſumptio hæc, & cum indiciis aliis ſufficiens vt procedatur ad condemnationem: quemadmodum etiam ſermo reſipiſcentis Magi conſcios in morte accuſantis præſumptio eſt contra alios vehementiſſima: hoc enim præſumi opus eſt *a*, cum pœnituerit ipſum & Deum inuocauerit, ab eo rem vere enuntiatam eſſe. Sed illius dicto fidem non conuenit adhiberi ſi mortem obſtinatus oppetat, vt plerique faciunt ab auditione verbi Dei abhorrentes vehementiſſime. Atque hæc circumſcriptio illius regulæ futura eſt quã veteres Doctores tradiderunt, morientem præſumi ex veritate dicere. Maiores itaq; ex ſermonibus eiuſmodi ad condemnationem procedebãt, vt obſeruatum eſt in læſæ maieſtatis crimine. Sic Nero intimos & familiares quoſq; curauit interfici ex ſermone moriẽtium, qui tamen nihil aliud inter moriẽdum ſpectabant quam vt de aduerſariis vltionem ſumerent. Verum iſta omnia ex prudentis Iudicis & conſiderati iudicio pendent, vt obſeruet an vltionis ſtudio loquatur moriturus, *b* & diligenter quærat an vllæ inimicitiæ contra delatos præceſſerint. Saga quædam Beronda nomine Malbeci ad Bellomontium Lomanienſe cremata eſt, quæ iamiam moritura cum interrogaretur an nobilis quædam fœmina quam indicauerat fuiſſet in eo numero, nobilis autem fœmina cum ea commiſſa pernegaret.

a ex l. vlt. ad l. Iul. repet. & ca. ſancimus. 1. q. 7. l. cum quis decedẽs. §. codicillis. de legat. 2. ff. auth. quod obtinet. vbi Bal. de prob. & in l. 2. com. de legat. C. Doct. in cap. quamuis. de re iud. Alexa. in l. ſi de do. de col. C.

b Bald. in tit. de pace Cõſt. ver. vaſal. in fi. Iaſo. in l. 1. col. 2. Oldra. conſ. 192. viſo. Hippo. Marſi. in practic. §. reſtit. colu. 12. & in rubr. de fideiuſ. col. 7. 8. & ſeq. latiſ. Bar. in l. ſi quis in graui. §. 1. ad Syllan. ff.

ret, his verbis reſpondit Saga, *No ſabes tu pas qua lo dar rein cop que nos hemes lo baram a la crotz deu paſtis, tu partaues lo topin deus poſons?* id eſt, an neſcis cũ poſtremo ſaltationẽ haberemus ad crucem artocreatis, te portaſſe pharmacorum poculum? Ad hæc obmuteſcens fœmina non reſpondit quicquam, ita ſe conuictam oſtẽdit. Sin autem Magus obſtinatus moritur, cum certiſſimum Dei hominumque aduerſarium eſſe præſumitur, qui viuens omnes enecare cupiat: vt Nero facile Magorum princeps dictum illius qui cœlum & terram in cineres abire optans dicebat, *me moriente*, illius ergo dictum volens corrigere dicebat ἐμοῦ ζῶντος, me viuente. Hæc illa eſt ſpecies in qua prȩſumptionem vnam euertit altera *a*. Nec tamen debet teſtimonium morientis Iudex contemnere: fieri enim poteſt, vt ex veritate ſit: vt ſupra demonſtrauimus non raro Magos à Magis interire, & (quod ait Ieremias) Deum inimicos ſuos opera inimicorum euertere. Sed ſi is quem obfirmatus Magus accuſauit dixerit ad probationem ſui ſe ita ſemper vixiſſe vt virum bonum decet, audienda eſt illius defenſio: ſin autem eum contra ſuſpectum eſſe pateat, aut ante fuiſſe reum, ſed neque abſolutum ſententia neque damnatum, eum Magum eſſe præſumitur. Sed etſi legitur probationem contra præſumptionem iuris admitti non oportere *b*, & diuino iure in Sagam eſt homicidii & parricidii præſumptio: ferenda tamen eſt Saga, vt exhibeat aut viuos demõſtret

a l. diuus. de in inte. reſtit. 22. q. 2. c. eſt & c. ne quis arbitretur.
b l. antiquæ. ad Vellei. C. l. vltima ad Macedon. l. vltima. arbitrium tutelȩ. C. l. à diuo Pio. §. ſi pignora. de rȩ iudicata. ff. Alexand. in l. inter ſtipulãtem. §. 1. de verborũ obligat. & conſ. 47. & conſil. 91. coll finali. lib. 6. Roma. conſi. 250. Hippo. Marſil. in l. 1. §. ad quæſtionem. de quæſtionib. Specula. in tit. de præſumptionib.

eos de quorum nece accuſatur. Hæc enim defenſio coniuncta euidentiæ permanentis facti plus poteſt quam probationes omnes & præſumptiones contrariç: *a* quemadmodum ſupra oſtendimus veritatem permanentis facti contra Sagam probationem eſſe omnium euidentiſſimam. Regula autem iuris eſt *b*, probatiõnem minus legitimam in atrocibus & nocturnis maxime criminibus (quale iſtud eſt) ſufficere, quoties probatio certa non poteſt obtineri. Sapiens vero Iudex ad conſequendum veritatem omnes præſumptiones comportaturus eſt; modo ne id faciat quod multi Iudices in Germania ſolent. Hi enim aut Magos alios conquirunt, vt per eos ad ſaltum cribri reſciſcant an reus ſortes exerceat: aut pueruli templum adeuntibus nouos calceos axungia ſuilla perunctos curant indui, vt Magæ inde nequeāt egredi, niſi eis viſum fuerit qui pingues calceos ferunt: aut ambos pedes Sagæ & manus colligantes eam imponūt aquæ leniter, eamque ſi ſaga fuerit, in fundo mergi non poſſe putant. Hac enim via diabolus indicia, quæ ſancta oportet ſeruari, commutat in ſcholam Magiæ. Similiter ne illud faciat quod in libro Coniurationum Romæ & Auenione impreſſo legimus, vbi ratio exponitur faciendi caseũ mulieris Sagæ nomine, ex quo accuſetur. Nobis vero neq; illam formam, neq; alias conſimiles quas legimus, placet exponere. Verum quæſtio eſt ſi neque Magi exſtabit confeſſio, neq; incul-

patu

a Felin. in ca. quanto. de præſumptio. Bald in l. cõtra negãtem. cod. Roman. conſ. 350. col. 8. Alexa. in l. vnic. vt quæ deſunt aduocatis. C. & conſ. 118. col. pen.

b cap. præterea. cum gloſ. ext. de teſtib. Panor. in ca. venerab. col. 2. eo l. ſi ii qui adulr. ad l. Iul. de adulter. ff.

patus teſtis, neque permanentis facti euidentia, ſed violentæ præſumptiones erunt, puta à vicinis omnibus haberi pro Mago *a* aut bufones in ollis lociſue abditis alentem deprehendi, quamuis nemini ſit comminatus Magus, quid in hac cauſa ſtatui oporteat. Ego violentam præſumptionem eiuſmodi non ſufficere ſtatuo ad ſententiam mortis ferendam, ad alias pœnas ſufficere. Dicamus igitur de Magorum pœnis, quas pro amplitudine probationũ maleficiorumq; prudenter augeri minuiq; neceſſe eſt.

a à vicinis veritas melius haberi poteſt: Bart. in l: dominus horreorum locari. ff. & arg: l. ſi ita. §: mulier. & ibi Bar. de fund: inſtr. ff.

CAPVT V.

De pœnis quas merentur Magi.

DVo ſunt omnino modi quibus ſua Rebuſpubl. amplitudo conſeruatur, præmium & pœna: quorum vnus ad bonos pertinet, alter ad improbos, & niſi iuſte ex æquo & bono ſingulis tribuantur, nulla ſpes alia niſi ineuitabilis caſus Reipubl. maximæque ruinæ oſtenditur. Non quod pœnas de omnibus delictis ſumi neceſſarium videatur: nam neq; Iudices reis iudicandis ſufficerent, neque plectendis carnifices: imo vix vnum crimen è denis per Iudices caſtigatur, ſed tenuiſſimos ſolum quoſque videris pœnas luere, qui gratia amicis aut pecunia valent eos plerumque manus hominum effugere: quamquam nec amici nec facultates vllæ eos à Dei manu vindicaturæ ſunt. Hi autem fallũtur plurimum qui non alia de cauſa pœnas inſtitutas putant, quam ad caſtigãda maleficia. At hic mi-

nimus eſt me iudice fructus, qui ad Rempubl. inde perueniat: Maximus enim & ſummus omnium eſt, quod ſedatur ira Dei, præcipue ſi directe peccatum fuerit contra maieſtatem Dei, vt in hac cauſa eſt. Videmus itaq; *a* cum Dei populus ſeſe Moabitis adiungens ad Bahal pehoris ſacrificia declinaſſet, viginti quatuor millia ex eis occubuiſſe, & longe plures fuiſſe perituros, niſi repēte Pinhas Eleazaris filius iram Dei cernens exardeſcere vnum è ducibus populi cum Moabitide cubantem transfixiſſet. Tum mors deſiuit peruadere: Deus autē Moſi, Pinhas, inquit, ſedauit furorem meum ardente zelo quo zelotypus fuit honoris mei, & obſtitit ne populum iſtum perderem: dicito ei me fœdus cum ipſo ac poſteris ipſius initurū, vt ſacerdotio fungantur mihi. Poſtea trecentos annos vixit, eiuſque poſteri amplius bis mille annos ſacerdotio honore ampliſſimo perfuncti ſunt. Hic igitur primus punitionis improborū fructus, vt ſedetur ira Dei, & vindicta eius in vniuerſum populum auertatur. Ideoq; Iudicibus fuit imperatū *b*, ſi poſtquam perquiſiuerint autorē homicidii non poterunt deprendere, vt ſumentes vaccam ſacrificent in loco vbi cædes cōmiſſa fuerit, manus abluant vt innocentes facti, & Deum orent ne ob effuſum ſanguinem ira ſua populum perfundat. Secūdus punitionis fructus eſt, vt in regionem totā accerſatur Dei benedictio, prout in lege Dei ſcriptum eſt *c*. Poſtquam igni & gladio tradideritis oppidum è populo meo fratribuſq;

a Num. 25.

b Deut. 21.

c Deut. 13.

buſq; veſtris qui deſerentes Deum idola coluerint, & omnem animam homines & beſtias occideritis, aggerem è lapidibus trophæi loco accumulabitis: ac tum extendam amplas miſericordias meas erga vos, & gratiis vos benedictionibuſq; cumulabo. Tertius fructus ex improborum punitione procedẽs eſt, vt metus & terror incutiatur aliis: ſic enim lex Dei, *d* vt alii videntes punitionem metuant peccare. Quartus fructus, vt caueatur iis quos nondum infecit & corrupit improbitas, vt incolumes peſtilentia inficit atque elephantiaſis *a*. Quintus, vt improborum numerus minuatur: qua ſola ratione vetus Britanniæ conſuetudo ſancit ſuſpendi fures, quia nimius eorum numerus futurus eſſet. Atque hæc verba ineptæ illius conſuetudinis, *cum omnes regionis ſyluæ non ſatis factura eſſent, mors autem grauior ſit quidem puniendis furibus, ſed furtis impediendis leuior!* verumtamen conſuetudo iſto ſolo argumento nititur. Sextus, vt boni ſecure vitam poſſint tranſigere. Septimus, vt puniatur improbitas *b*. Hæc bona atque commoda ex improborum ſuppliciis proficiſcentia placuit attingere. Si quis autem modus vnquam exſtitit ſedandi iram Dei, benedictionem eius obtinendi, alios perterrendi aliorum ſuppliciis, hos ab illorum corruptione conſeruandi, improborum numerum minuendi, bonorum vitam confirmandi, & improbitates ſumme deteſtandas quas ingenium hominis excogitare poteſt puniendi, hic certe vnus eſt,

d Deut. 15. & 19.

a Leuit. 12. 13. & 14.

b Deut. 19.

vt omni rigore caſtigentur Magi. Quamquam non ſatis reſpondet rigoris vocabulum, cum nulla ſit tam crudelis pœna, quæ puniendę Magorũ improbitati queat ſufficere: omnia enim ipſorum ſcelera, blaſphemiæ, & inſtituta inuehuntur in maieſtatem Dei, vt mille artibus irritent & exacerbent eum. Plurimum apud veteres fuit dubitatum, quod genus mortis in eum inſtitueretur qui patrem aut matrem occidiſſet: vt ex lege Pompeia in parricidas conſtat, cuius nouum & accuratum ſupplicium lenius poſtea viſum eſt. Quamobrem Tarquezium maiorem, qui parentem ſuum Pictauienſem Electum occidi curauerat, Curia Parlamenti voluit diſcerpi candente forfice, diffringi artus ad rotam, ac poſtremo concremari: etſi ne hoc quidem pacto condignas pro merito pœnas is perferre videbatur, qui vitam ademit ei à quo acceperat. Altero quoque Areſto eiuſdem Curiæ nobilis quædam fœmina, quæ virum ſuum occidi curauerat, viua exuſta eſt: quod illa ſatis patiẽter tulit, cruentam ſubuculam viri ſui ante oculos habens. Quidam etiam Magos dubitãt igni tradere, etiã eos qui pacto expreſſo ſe diabolo adiunxerunt. Horum enim præcipue vindictam diligentiſſime & ſummo iure oportet perſequi, vt iram Dei amoliamur vltionemq; nobis ſuperuenturam. Quoniam vero ſortilegiũ autores nihil amplius quam hæreſin eſſe interpretãtur (quamuis hæreſis vera læſæ maieſtatis diuinæ crimen eſt igne puniendum ex cap. vergẽtis.
de

de hæreticis) ideo tenenda eſt iſtius criminis à ſimplice hęreſi differentia. Primum enim hanc profeſſionẽ Magorum primam eſſe demonſtrauimus, quod Deum omnemq; religionem abnegant. Hominem qui Deum verum deſerit vt hæreat alteri Lex Dei iubet lapidibus obrui *a*, quod ſuppliciũ tradunt Hebręi interpretes eſſe grauiſſimum *b*. Hoc vero ante omnia oportet obſeruari. Mago enim (de quo dicimus) non videtur ſatis ſi Deum abneget vt religionem alteram amplectatur, ſed omni religioni veræ ac ſuperſtitioſæ renuntiat qua homines in offenſæ metu contineri poſſunt. Secundum Magorum crimen eſt, quod vbi Deo renuntiauerũt, maledicunt, blaſphemant, & prouocant eũ deſpectu maximo, & quemcunq; Deum aut idolum ante metuerint. Lex autem Dei, *c* Quiſquis Deum, inquit, blaſphemauerit, peccatum eius manebit in eo: & quiſquis maximum Dei nomen per cõtemptum pronuntiauerit, plectatur morte: qui locus Philonem torſit, omneſq; Hebręos Doctores mirifice. Videtur enim prius legis iſtius caput ad eos pertinere qui Deum ſuum quem pro Deo habent blaſphemauerint, & hos dici reportaturos peccatum ſuum. Alii interpretes dicũt ei qui blaſphemauerit Deum, nunquã cõdonari (quodcunq; tandem ſuppliciũ perferat) niſi ipſum pœnituerit: & eum qui maximũ Dei nomen audacius expreſſerit morte affici oportere. Ipſa Legis *d* verba obſeruatione digniſſima afferem⁹, חטאו: ונקב שם יהוה מות יומת

Primum Magorum crimen.

a Deut. 13.

b R. Maymõ. lib. 3, more hamebocin.

II. crimen.

c Leuit. 24.

d Leuit. 24.

 ונשא

איש איש כי יקלל אלהיו ונשא. Quamobrē Hebræi ſanctiſſimum Dei nomen neque ſcribunt vnquam, neq; pronuntiant. In priore autem legis capite videmus nō dici יהוה propriam Dei appellationem, ſed אלהים, quod nomen Diis omnibus & Angelis tribuitur. Etenim videtur Deus innuere ab iis blaſphemari Deum qui id blaſphemant quod Deum eſſe opinātur. Sic Deus qui corda & volūtates hominum ſcrutatur, cōſilia ipſorum reſpicit: vt cum olim Magi crucifixorum, quos deos putabant eſſe, manus & crura confringebant, aut ſumpta hoſtia bufones paſcebāt. Iam itaq; duplicem videmus & deteſtabilem Magorū impietatem eſſe, quod Deum verum non dubitant blaſphemare & quicquid diuinitate aliqua præditum eſſe putant, vt omnem pietatis opinionem euellant & offenſæ metū. Tertium crimen amplius abominandum eſt, quod dant fidem diabolo, adorant eum atque ſacrificant: & eorum ſceleratiſſimi facta foſſa vultum humi abiiciunt orantes ex animo & adorantes diabolum. Prout de Pamphila Lariſſana Saga in Theſſalia ante notauimus ex Apuleii teſtimonio. Sed ne procul abeamus, fuit in Laodunēſi ſuburbio, cui nomen eſt à valle, Saga menſe Maio M. D. LXXVIII. quæ idem fecit multis præſentibus. Iſtud autem abominandum ſcelus omnia ſupplicia quæ ab homine excogitari poſſunt grauitate ſuperat, cum diſertiſſimo Legis contextu præcipiat Deus a vt qui inclinatione ſolum honorē imaginibus quę Græci

III. Magorū crimen.

a Exod. 20. & 32.

Greci εἴδωλα vocant, habuerit, plectatur morte: Deut.13.&
nam Hebræum *Tiſtaueb*, Chaldæum *Tiſgud*, ni- 27.
hil quam inclinare denotat, quod omnes Lati- Num.25.
ni interpretes dixerunt adorare. At Magi non
ſatis eſſe ducunt, ſi adorauerint ſolum, aut co-
ram Satana ſe inclinauerint, niſi ſe dedant ei, o-
rentque & inuocent eum. Quartum crimen IV. Magorum crimen.
præcedente grauius eſt, quod permulti Magi
fuerunt conuicti adeoque confeſſi, ſe proge-
niem ſuam Satanæ deuouiſſe: qua impietate
Deus ſe in lege adduci pronuntiat *b* ad vltio- *b* Leuit.21.
nem in eos inflammandam, qui Molocho de- Deut.18.
dicauerint liberos, quem Ioſephus Priapum in-
terpretatur, Saturnum Philo, vtut ſit, Satanæ &
ſpiritibus malignis offerebantur. Quintum V. crimen.
prouehitur vlterius, Sagas fere ex confeſſione i-
pſarum conuictas eſſe, quod paruulos pueros
needum baptizatos ſacrificabant diabolo tol-
lentes in aera, deinde aciculam craſſam in caput
eorum inferentes vt eos enecarent, crimine
grauiſſimo. Sic Sprangerus narrat, vnam ſe au-
tore crematam eſſe, quæ hoc pacto vnum &
quadraginta necauerat. Sextum crimen horri- VI. Magorum crimen.
bilius ſuperiore eſt, quod Magis non eſt ſatis
ſuos ipſorum liberos diabolo ſacrificauiſſe &
cremauiſſe ſacrificiorum ritu, (aduerſus quæ
Deus lege inuehitur *a*, dicens, ſe populos terræ *a* Deut.18.
ob iſtam abominationem exſtirpaſſe) ſed eos
inde ab vtero deuouent Satanæ. Sic Raziorum
Baroni Satanas indixerat, vt filium ſuum adhuc
in vtero verſantem ſacrificaret, eoque pacto

matrem cum fœtu enecaret: quod ille fuerat facturus, niſi anteuertiſſet vxor, vt idem agnouit atque confeſſus eſt. Duplex vero parricidium turpiſſima coniunctum idololatria. Septimum ac frequentiſſimum eſt, quod iurati Magi promittunt diabolo, ſe quoſcunque poterunt ad cultum ipſius perducturos: idque re ipſa præſtant, vt ante demonſtrauimus. Lex autem Dei præcipit *a*, vt quiſquis ita vocatur, eum lapidibus curet obrui, qui animum ipſius ſollicitauerit. Octauum crimen eſt, quod honoris cauſa inuocatur & iuratur per nomen diaboli: nam Magi eum ſemper in ore habent, & per eum duntaxat iurant, niſi cum abnegatur Deus. Sic aperte veniunt contra legem Dei, quæ per alium quam per Dei nomen iurare vetat *b*, quamobrem Scriptura dicit, Da gloriam Deo, quam formulam Iudices cum à litigantibus aut teſtibus iuſiurandum exigerent, obſeruabant, dicentes, Tribue gloriam Deo. Nonum eſt, quod Magi inceſta colunt adulteria, & eo nomine omni ſeculo infamati atq; conuicti ſunt: nam eos docet Satanas neminem perfectum Magum aut Incantatorem eſſe, quin ſit ex patre & filia, aut ex matre & filio genitus. Quo ſpectat Catul. diſtich.

VII. Magorum crimen.

a Deut. 13.

IIX. crimen.

b Ierem. 5, 12.

IX. crimen.

Nam Magus ex matre & gnato gignatur oportet,
Si vera eſt Perſarum impia relligio.

Epiphanius contra Gnoſticos & Athenagoras in Apologia inceſtum Magis frequentem eſſe annotant. Omnia hæc impia ſcelera directe in

Deum

Deum & honorem ipſius committuntur, quæ ſummo iure vlciſci tenentur Iudices, vt iram Dei à nobis amoliantur. Cætera Magorum crimina ad iniuriam hominibus factam pertinent, & quæ illi cum poſſunt vlciſcuntur. At nihil tantopere odit Deus *a*, quam vt videat Iudices iniurias ſibi aut aliis factas vlciſci, horrendas vero blaſphemias diſſimulare, quæ in maieſtatem Dei euomuntur, quales à Magis pronuntiari ante oſtendimus. Alia itaque crimina perſequamur. Decimum eſt, Sagas homicidiorum artem exercere, adeoque infantium cędes committere, ac poſtea elixare, donec humorem & carnem eorum fecerint potabilem: quod Sprangerus ex ipſarum confeſſionibus ſcribit cognouiſſe, & Baptiſta Porta Neapolitanus libro de Magia. Neque omittendum illud eſt, infantes prius ab eis enecari quam fuerint baptizati, quibus quatuor circumſtantiis exaggeratur crimen homicidii. Vndecimum crimen eſt, quod humanas carnes ac puerorum maxime comedunt Sagæ, & palam bibunt ſanguinem: quod ſcelus admirabatur Horatius, cum diceret:

a 1. Sam. 2.

X. crimen.

XI. crimen.

Neu pranſæ Lamiæ viuum puerum extrahat aluo.

Verumtamen iſtud eſt exploratiſſimum. Quod ſi pueros habere non poſſunt, hominum cadauera è ſepulchris effodiunt, aut ſuſpenſorum eximunt è patibulis, prout perſæpe compertum eſt. Huc pertinet quod Lucanus olim cecinit:

---Laqueum nodosq; nocenteis

Ore

Ore ſuo rupit, pendentia corpora carpſit,
Abraſit cruces, percuſſaq́; viſcera nimbis
Vulſit, & incoctas admiſſo Sole medullas.

Propterea ſe Apuleius narrat, cum Lariſſam Theſſaliæ aduenifſet, ſex aureos lucratum eſſe ex nocturna corporis vnius cuſtodia, eo quod Sagæ (per quas illa regio famoſa effecta eſt) niſi certa cuſtodia adhiberetur, veniebant intro quacunque forma videbatur, & oſſium tenus circumrodebant corpora. Hæc vero deteſtabilis perſuaſio à diabolo mentibus humanis inditur, vt alii alios cædant vorentque & euertant humanum genus. Hoc etiam addendum, Magos omnes plurimum eſſe veneficos, quo vno crimine ad mortem damnari poſſunt ex Cornelia lege de Sicariis, quamuis non fuerit venenum traditum, l.1. in verbo, venenum confeceris de ſicariis, ff. Homicidium autem & lege Dei *a* & humanis legibus *b* capitale iudicatur: ſimiliter qui carne humana veſcuntur aut veſcendam præbent, morte digni ſunt. Sic Lutetiæ dulciarius piſtor è ſuſpenſorum carne faciens artocreata, viuus crematus eſt, domus euerſa, & interdictum ne ædificaretur denuo: ſic locus perdiu in icuncularum vico deſertus manſit. Duodecimum crimen ſingulare eſt, quod venenis & ſortilegiis enecant ab homicidio ſimplice diſparatis lege Cornelia de ſicariis & veneficis, ff. grauior enim offenſa eſt, ſi quem veneno quam ſi aperta vi ſuſtuleris, & grauius adhuc eſt necare ſortilegio quam veneno. Grauius eſt, inquit

a Deut. 19.
b toto tit. ad l. Cornel. de ſicariis, C.

XII. crimen.

Lex ſ,

Lex *c*, occidere veneno quam gladio. Decimumtertium Magorum crimen eſt frequentiſſimum, quod ab eis pecora enecantur. Ideo Auguſtanus quidam Magus an. M. D.LXIX. forficibus diſcerptus eſt, quod redempto corio pecorum mortem eis intuliſſet. Decimumquartum eſt ordinarium expreſſum Lege, quod fruges necant, & famem ſterilitatemque inuehunt in regionem totam. Decimumquintum eſt, quod Sagæ cum diabolo rem habent, etiam dum maritis accubant, vt omnes confiteri ſupra notauimus. Hæc deteſtabilia quindecim crimina, quorum minimum morte dignum eſt accuratiſſima: non quod ſinguli Magi rei ſint criminum iſtorum omnium, ſed illud tamen compertum eſt, Magos, qui cum diabolo expreſſe pepigerunt, reos omnium iſtorum ſcelerum fere, aut certe plurimorum eſſe. Cum autem multa crimina & multis actionibus ab homine committuntur, ſingulorum pœnas oportet repeti: neque vnum impunitum relinqui ex concurrente altero *a*, ſed plures pœnas (vt ait Bartolus *b*) diſtinctas imponi ſiue legibus & inſtitutis, ſiue arbitratu Iudicis *c*. Si plura crimina in facto eodem committuntur, idem iudicium eſt: niſi crimina ſint vnius ſpeciei, vt parricidium in homicidiis quidem numeratur *d*, ſed reus ſola parricidarum pœna tenebitur: lex autem Dei pœnam capitalem ſanciens non diſtinguit minutatim Magorum ſcelera, ſed Sagam viuere ſimpliciter vetat, מכשפה לא תחיה:

quem

c l.1. de malefi.C.

XIII. crimen.

XIV. crimen.

XV. crimen.

a l.nunquam de priuatis delict.ff.

b ex l 3. de termino moto. ff.l.prætor. §. ſi mihi plures, de iniur. ff. l. ſi adulterium cum inceſtu. de adult.ff.

c l.non eſt nouum. de acti. empt.l.qui ſe pulchri. de ſepulc.viol.C.

d l. Senatus. de accuſat.ff. & ibi Bart.l. prætor edixit. §.1. de iniur.ff.

quem in locum Hebræus Philo his verbis, *lo techaie*, ſignificari dicit. Sagam eodem die quo euicta fuerit morte afficiendam fuiſſe, & ita à maioribus obſeruatum. Sic ergo non ſolum grauitatem criminis exponit Deus *e*, ſed etiam demonſtrat, quantopere expetat, vt iuſtitiæ leges in iſtos homines exerceantur. Nominatim vero Lex morti Sagam adiudicat, ne pœna ob ſexum minuatur: vt legitime in omnibus aliis criminibus obſeruatur, l.ſacrilegii, de peculatu, ff.l.ſi adulterium, §. ſtuprum, de adulter. ff. cap. ſicut de homicidio. Plus enim eſt offenſionis in cæde fœminæ quam viri, ait Ariſtoteles in Problematis lib. 29. cap. 11. Itaque ſi nihil aduerſus Magum probabitur idololatriæ, blaſphemiæ, ſacrificiorum, parricidiorum, homicidiorum, adulteriorum, ſcortationum cum Satana, & aliorum ſcelerum: cum tamen probatum fuerit, Magum reum eſſe, meretur mortem. Amplius Iura ciuilia *f*: nam non ſolum ea, cui expreſſo pacto cum Satana conuenit, afficienda eſt morte, ſed etiam is, qui Sagas conſulit: hæc enim tantopere ſunt abominationi ex Lege, vt ea modo hoſtes ſalutis communis *g*, modo ob facinorum magnitudinem Magos maleficos *h*, modo peregrinos naturæ *i*, (hos, inquit, tanquam naturæ peregrinos feralis peſtis abſumat) modo hoſtes humani generis *k* nominet. Auguſtinus etiam in libro de Ciuitate Dei Magos appellat maleficos ob maleficiorum magnitudinem. Quod autem ad Magos aulicos, quia iſtud malum

e Exod. 22.

f l. nemo aruſpice, de malefi.C.

g l. vlt. eod.

h l. nemo, eod.

i l. multi. eod.

k l. etſi. de malefi.C.

lum quam maxime poteſt accedit Principes, idque non noſtra ſolum memoria, ſed ab omni ſeculo, ad Rempublicam totam euertendam; (nam Principes eodem pellicit, à quibus populares itidem pertrahuntur) hanc ob cauſam lex inſignis extat *a*, qua ita ſancitur, ſi quis Magus, vel magicis cantaminibus adſuetus, aut aruſpex, aut ariolus, aut certe augur, vel etiam Mathematicus, aut enarrandis ſomniis occultans artem aliquam diuinandi, quibuſcunque tandem præditus honoribus & potentia ſit, in Comitatu Principis fuerit, vt præſidio dignitatis exutus cruciatus & tormenta non fugiat. Hanc legem literis aureis in portas Principum incidi oporteret: peſtem enim capitaliorem in Comitatu eorum non inueneris. Vt autem agnoſcamus, quantis laudibus Principes Ethnici digniores ſint Chriſtianis multis, apud quos faciunt ſtipendia Magi, mulierem Martham nomine, Marii temporibus in exilium à Senatu Rom. miſſam legimus *b*, quæ ſe totius prælii aduerſus Cimbros euentum prædicturam confirmabat: & Claudius Cæſar in Rom. equitem agi ſummo iure voluit, adeo vt morte mulctatus fuerit *c*, & publicata bona, eo quod galli gallinacei ouum circumferret (alii ſerpentis dicunt) vt eo pacto religionem falleret Iudicum, litemque gratia vinceret. Fuerunt homines imperante Tiberio ex minima opinione Necromantię ad mortem damnati *d*. Caracalla Imperator etiam condemnauit eos, qui herbas & alia id genus

ad

a d.l.etſi.

b Plutarch. in Mario.

c Tacitus. Plin. lib. 29. cap.3.

d Tacitus.

Spartian.in Caracalla. ad curandas febres faucibus appenderant *e*: quod Deus lege prohibet, cum ritus Amorrhæorum & Cananæorum abominatur. Nam in eis Moſes Maymonis ligaturas numerat, quas etiam Auguſtinus damnat, vt ſupra demonſtrauimus. Hoc iudicium Caracallæ Cæſaris oculis eorum proponi conuenit, qui lege Dei abutentes condonant execrabilia Magorum ſcelera, ex quibus tam multa mala perpetimur. Sed eos qui res iſtas præbent, non qui imprudentes accipiunt bona fide, eos, inquam, perſequendos in iure cenſeo, (iſta enim idololatriæ & ſortilegiorum principia ſunt) quo exemplo palam demonſtrabitur, Magos, qui expreſſæ cum Satana pactionis tenentur, mereri mortem. Cumque ſit ante omnia deteſtandum crimen, eo grauior pœna conuenit maleficio: nempe aut lapidationis, vbi hoc genus pœnæ receptum eſt, aut ignis atque incendii, quod ſupplicium fere apud Chriſtianos iam olim fuit obſeruatum. In Belgico & multis Germaniæ partibus damnatæ mulieres immerguntur aqua: verum Sagas colligatis artubus in aquam proiectas compertum eſt non poſſe mergi, niſi admota vi in aquam inferatur caput, vt ſupra diximus. Quod ſi præter ſortilegii crimen ſiue confeſſione, ſiue teſtibus, ſiue facti euidentia probetur, aliquem à Saga enectum eſſe, infantem vero maxime, crimen eſt grauius. Et quamuis ſorte quam Saga ad inimicum tollendum iniecerit, alterum comperiatur enectum eſſe, digna tamen eſt mor-

morte: aut ſi philtrum cogitans mortem intulerit, etiam quæ Saga non eſt, ex facto meretur mortem, ait lex *a*. Sed huius leniorem eſſe pœnam conuenit, quæ non fuerit Saga. Nihil tamen plerumque tam difficile eſt quam probatio, & in ea maxime Iudices occupantur. Quamobrem ſi neq; inculpati teſtes, neq; reorum confeſſio, neq; euidentia facti habebitur, (quæ tria eſſe genera probationum diximus, ex quibus mortis iudicium ferri poteſt) ſed præſumptiones ſolum erunt, vtrum infirmæ ſint an violentæ præſumptiones animaduertimus. Si præſumptiones infirmæ fuerint *b*, neque reum oportet vt Magum condemnari neque abſolui, ſed amplius dicere ad commoditatem quæſtionis, & interea è vinculis reum eximere. Sin autem violentæ fuerint, an ad condemnationem mortis procedi ſit opus dubitatur, propter diſcrimen huius criminis ab aliis ampliſſimum. In aliis enim criminibus nemo ex præſumptione licet violentiſſima damnari ad mortem poteſt *c*: ad alias vero pœnas, puto trimeres, flagra, mulctam honorariam aut pecuniariam pro qualitate perſonarum *d* & probationum grauitate damnari poteſt. Itaque videtur in iſto abominando crimine ad iudicium mortis ex violentis præſumptionibus procedi poſſe. Verumtamen ex violentis præſumptionibus ſtatuendam non cenſeo mortis condemnationem, ſed alias omnes pœnas excepta morte. Hoc nos in pari cauſa docet Lex Dei, dicens *e*, Si quod ex

a l. ſi quis aliquid, §. qui abortiones, de pœnis, ff.

b Bald. in l. fi. de probat. C. & in l. presbyteri. de Epiſ. C.

c l. abſentem, de pœnis, ff. l. vlt. de proba. C. l. ſinguli. de accuſ. C. Gand. in tractat. malefi. ſub rub. quando puniantur plu. Ancharan. con. 217. Alex Im. conſ 15. li. 1. & conſ. 14. li. 3. Cæpolla conſ. 41. Caſtren. conſ. 192. Alc. conſ. 81. li. 5. Angel. de malefic. in verbo, & Andream. n. 22.

d l. capitalium. §. in ſeruorum, de pœnis, ff. l. vlti. de incendio, ff.

e Deut. 13.

oppidis popularium tuorum audiueris, apud alios inſtare, vt Deum æternum deſerant, orentque Deos alios, veritatem rei diligenter peruestiga. Si eam certam eſſe cognoueris, tum incolas illius oppidi obſideto, perrumpito, igne cædibuſque miſceto. Veritatem igitur teneri certo opus eſt, vt ſententia feratur mortis. Hic vero dixerit quiſpiam, Aut abſoluere, aut damnare opus eſt. Si verum crimen eſt, mors non ſuffecerit: ſin falſum, oportet abſoluere, aut certe ampliare, donec amplius quæſtione habita cognoſcatur, reum vero hac lege vinculis ſoluere, vt vadimonium eodem ſtatu obeat, &c. non ſupplicio corpus afficere, aut honorem cuiquam ob præſumptiones adimere, ex priſca Rom. lege *a*, apud quos tres erant notæ *b*: vna A. altera C. tertia NL: abſoluo, condemno, non liquet. Reſpondemus, hanc iudiciorum formam ſublatam eſſe *c*, & alteram extra ordinem inuectam, cum Romani imperium obtinerent. Nam illud dictum legis, Actore non probante reus abſoluitur, verum eſt: ſed ea demum probatio eſt non ſolum quæ probat neceſſario, ſed etiam quæ ad indubitatam probationem accedit proxime. Inprimis vero eorum criminum, quæ clam committi ſolent, probatio ex bonis certiſque rationibus petita ſufficit, quod Baldus *d* & Ioannes Andreas *e* hoc modo dixerunt, ratione difficilis probationis ſufficit probatio præſumptiua: quam ob cauſam probatio quoq; domeſticorum teſtium admittitur in rebus clam geſtis

a l. vlt. de probat. l. ſciant, eo. C. l. qui accuſare, & D. ibidem.

b Aſcanius in Verrem.

c l. ordo, de public. iudic. ff.

d in l. quicunque, de ſeru. fugit. eo. vlt. ver. & nota octauo, & in auth. quas actiones, circa fin. de ſacroſanct. C.

e in c. cum diœceſi, gloſ. ſuper verbo, argumentis, & in c. illo vos, de pignor. & in c. ad noſtram, de emptio.

ſtis intra priuatos parietes *a*, quam probationem alioqui fora excluderent *b*. Magorum autem ſcelus de nocte fere committitur, deſerto loco & ab hominibus remoto, iiſque modis, quos nemo præſumere vel cogitare poſſit. Violentas igitur præſumptiones in cauſa tam deteſtabili haberi ſufficit, vt ſupplicia corporibus quantumuis grauia, capitali ſolum excepto, irrogentur, fuſtigationes, ſectiones, notæ, perpetua vincula, mulctæ pecuniariæ, publicationes, & pœnæ conſimiles, præterquam exſilium, niſi in locum aliquem certum relegetur Magus. Solent enim plerumq; Magi ſolum vertere vbi rectè ſunt, peſtemque importare alii: ſin vno in loco iubentur conſiſtere, vbi ſe obſeruari & in ſuſpicione eſſe viderint, nihil audent amplius. De perpetuo autem carcere, etſi ex communi iure prohibetur *c*, melius tamen in Canonico iure proſpectum eſt, maxime vero in præſente cauſa. Nihil enim tantopere formidant Magi quam carcerem, prout carcer modus eſt potentiſſimus ad veritatem exprimendam & afferendam reſipiſcentiam: ſed alii comites expertes rei Magicæ ſemper ſunt adiungendi, quia dum ſoli ſunt eos à diabolo in ſua improbitate confirmari monſtrauit experientia, aut etiam vt ipſi mortem ſibi conſciſcant adiuuari. Si igitur Saga bufonibus, lacertis, hoſtiis, oſſibus, pinguibulve ignotis inſtructa deprehenditur, & famoſa eſt rerum magicarum nomine, præſumptiones ſunt validiſſimę: ſi aliquando reprehenſa in iure,

a l. conſenſu, de repud. & ibi Bar & in l. lex quæ tuto res, de adminiſtr. tut. & Cynus in l. parentes, de teſt. C. Not. in c. 3. loco, de proba. & in c. veniens, 2. de teſtib. & in c. cum dilecti, de elect. *b* l omnibus, & ibi Doct. de teſtib. C.

c l. mandatis, de pœnis, ff.

nec abſoluta eſt, vehemens eſt præſumptio: ſi ex ſtabulo inimici aut ouili viſa fuerit egredi, poſteaque pecudes moriantur, aut ſi ii moriantur vel languęſcant, quibus interminatæ ſint Sagæ, ſiue vnus ſiue plures, violenta eſt præſumptio. Ex his præſumptionibus, vt neque vllius confeſſionis neque teſtium exſtet probatio, in pœnas tamen illas condemnare debent, præterquam ad mortem. Hæc nobis regula tenenda eſt *a*, ſublata mortis pœna & rigore legum mitigata, cum præſumptionibus agitur: neque eorum probanda ſententia, qui ex præſumptionibus licet violentiſſimis corporalem pœnam irrogari non poſſe putant *b*, ſequuti opinionem Alberti Gandini & Pauli Caſtrenſis. Hic enim (vt gloriatur ipſe) impedimento fuit, ne corporali pœna afficeretur prædo *c*, qui deprehenſus fuerat ſtricto gladio è loco exiens, vbi inimicus recens occiſus compertus eſt, & cui etiam occiſori pater imperauerat, ne regrederetur domum, quin rem confectam reſciuiſſet, deinde vero poſt rem geſtam eum pater admonuit, vt fuga ſibi conſuleret: quod in iure fuit comprobatum. Humanus ſpiritus, ait Paulus Caſtrenſis, non poterat dubitare, quin is, qui accuſabatur, cædem perpetrauiſſet, vteunque inficiaretur: verumtamen non fuit affectus corporali pœna. Atque in hanc ſententiam Bononienſes Docto-

a Ant. But. Pan. Felin. Io. And. in c. affert, de præſump. text. in c. illud, de clerie. ſecundum Felin. in c. qualiter & quando.

b Gand. in trac. de malefic. tit. de præſum. col. 3. Spec. tit. de præſump. §. ſpecies, ver. in ſumma. Oldr. conſ. 129. viſo. Bal. in l. præsbyt. col. 1. verſ. & adde. de Epiſ. C. & in l. non eſt verif. quod met. ff. & in l. eius, §. 1. de teſtib. & in l. ſciant cuncti, de probat. C. fin. verſ. 6. vbi etiam. Caſtrenſ. Bal. in l. fugitiui, column. 2. & ibi Cæpolla vltim. charta, de ſeru. fugit. Cod. Bald. in cap. 1. fin. tit. quibus mod. feudum amit. Ancharan. in reg. ſemel malus, colu. 10. de reg. iur.

c Caſtrenſ. conſ. 299. viſa col. vlt. lib. 2.

Doctores conſenſerunt *a*, freti quodammodo antiqua Rom. opinione, abſoluendum plane aut condemnandum ex lege, aut amplius decernendum dimiſſo reo: cum tamen ex inſignibus præſumptionibus omnes ſemper mulctam pecuniariam committi cenſeant. Quid ita mulctam? inquies. Etenim ſi præſumptiones eas non eſſe iudicant, ex quibus ferri ſententia poſſit, non debent rei ad mulctam condemnari, maxime cum homo damnatus criminis, ſi ſoluendo non eſt, ex diuinis & humanis legibus corpore pœnas luere teneatur *b*. Sin autem reum ex violentis præſumptionibus pœna dignum iudicent, quare dubitauerint in enormi crimine ad corporalem pœnam procedere? Iudices huius regni & fora non ſequuntur Italicorum Doctorum ſententiam, ſed in pœnam corporalem damnant pro modo probationis, non ſolum in hoc, verum etiam in omnibus aliis criminibus, quæ ab huius atrocitate abſunt longiſſime. Nobilem virum Cenomannum noui, (cuius nomen propter honorem neceſſariorum illius reticebo) qui poſtquam certo conſilio inimicum ſuum occidiſſet, cum literis ad patruum fuit comprehenſus, quibus orabat ad ſe pecuniam mitti, vt veniam criminis impetraret. Interrogatus negat manum ſuam eſſe. Simo Cornutus actuarius eum iubet ſcribere, ſed ita ſcriptionem ſuam diſſimulat, vt nulla ſimilitudo huic cum illa intercederet. Biennium fuit in carcere ſine alia probatione, tandem ve-

a Gand. in tract. maleſic. tit. de præſump. Rom. in l. 1 §. ſi quis in villa, ſſ. ad Syllan. Franci. Aretin. in l. eius qui. §. ſi cui, de teſtam. Barbat. conſ. 26. col. 7. verſ. modo, lib. 1. & conſ. 23. ſapientiſſimus, col. vlt. lib. 2. Alex. in l. 1. col. 8. verſu ad vnum, ſi cer pet ff. & conſ. 15. viſo proceſſu col. 2. libr. 1. & conſ. 115. in cauſa lib. 3. & conſ. 2. poſt princ. lib. 7. con. 188. col. vltima, li. 7.

b l. 1. §. generaliter, de pœnis, ff. l. ſi quis id quod. de iuriſdictio. ff.

ro ad annos nouem fuit ad remigium relegatus, (vt ipſe mihi confeſſus eſt) cum nihil niſi præſumptiones haberentur. Frequentia ſunt in hoc regno iudicia eiuſmodi, neglecta Doctorum Italicorum ſententia. In Belgico & certis Germaniæ locis ratio diuerſa eſt. Sunt enim (vt aiunt) conſuetudines quædam & inſtitutiones Caroli Magni, quibus ex rumore & admodum infirmis præſumptionibus morte plectuntur rei: quod etiam nuper in Carinthia factum eſt, vbi ex præſumptione morti tradebatur homo, ac poſtea inſtituebatur capitalis quæſtio. Sic improbe iuſtitiæ illudebatur. Sed vbi ex violentis præſumptionibus quales ſupra expoſuimus iudicium fuit conſtitutum, iudicium corporalis ſupplicii opus eſt pronuntiari. Alioqui impunita ſemper manebunt ſcelera, ſi ea demum crimina, quæ in oculis ad manum ſunt commiſſa, puniantur: quod malum Iureconſultus adduxit *a*, vt eo caſu ad condemnationem procedatur, quamuis ex offendentium multorum numero quis pœnæ debeat ſubiici dubitetur. Nam etſi illic de damno agitur, quæ tamen eſt mulctæ pecuniariæ in cauſa ciuili ratio, eadem eſt ſuppliciorum corporalium in criminali cauſa, inprimis vero enormium criminum, cuiuſmodi illud eſt quod agitur. Quanquam non obſcure demonſtrat Baldus *b*, ex præſumptionibus ad corporales pœnas inſtituendas procedendum eſſe, cum ait, mitius agi in pœnis corporalibus, quando eſt dolus præſumptus & non verus,

a l. ita vulneratus, ad l. Aquil. ff. l. ſi in rixa, eod. l. item mola, §. ſed ſi plures.

b in c. 50. in fine, tit. quib. modis feudum amitt.

ſerus, & citat l. 1. ad legem Corneliam, de ſicariis, ff. Præſtat quidem, fateor, abſolui ſontem quam innocentem damnari: ſed eum, qui præſumptionibus certis conuincitur, innocentem non eſſe contendo, vt fuit is, qui prope occiſum ſolus cum gladio cruento fuit deprehenſus, & aliis coniecturis oppreſſus, quas modo annotauimus. Quamobrem Henricus II. in hoc regno edictum ſalutare ſanxit promulgatum & relatum in acta Anno M. D. LVI. quo mulierem eo loco haberi iubet ac ſi fœtum occidiſſet, ac morte affici, quæ grauiditatem partumque celauerit, eum ſine baptiſmo ſiuerit emori, neque teſtimonium cuiuſquam adhibuerit: fidemque haberi vetat dicenti, mortuum fœtum ex vtero prodiiſſe. Hoc multis decretis ab eo tempore fuit obſeruatum. Perditæ enim & deploratæ mulieres necabant fœtum, eaſque Sagæ ad illud facinus inſtigabant. Hęc iuris pręſumptio, ex quo edictum latum eſt: edictum vero ex humana præſumptione natum, eaque vehementiſſima, ſed non æque valida ac præſumptiones illæ, quas ante diximus: & tamen ex ea non ſolum ad corporale ſupplicium, ſed etiam ad mortem proceditur. Verumtamen fieri poteſt vt mulier ad integrum ſuum honorem conſeruandum, fœtum ſuum, grauiditatem partumq; celet, & fœtus quem ſtudioſe fuiſſet educatura in doloribus expiret puerperii: ſed quia hac ſpecie nō raro animaduerſum eſt, parricidia plurima perpetrari, dū puer mortuus naſci dici-

tur, ſapienter fuit inſtitutum, præſumptionem iſtam ſufficere, vt vindicando ſanguini innoxio ad capitalem pœnam procedatur. Nam ex vno incommodo, quod raro contingit, non eſt committendum, vt bona lex & ſalutaris omittatur *a*. Ac propterea mulierem Mureti ad Sueſſiones morti adiudicandam cenſui, quæ cælata grauiditate & partu infantem humi in horto condiderat menſe Martio Anno M. D. LXXVIII. Quin etiam in cauſa non perinde graui, ſi qui accuſati adulterii, deinde abſoluti, ſi ergo coniugium poſtea iniuerint, prout ipſis i repudio licuiſſet *b*, eos Lex ſummo iure puniri præcipit velut adulteros *c*: hi autem ad mortem damnantur lege. Item ſi cui ter maritus denuntiauerit, ne cum vxore verſetur, ſi eos ſine crimine ſimul verſantes offenderit, huic lege permittitur, vt eos interficiat ſine vlla forenſis cognitionis formula *d*. Et quod grauius eſt, Nicolaus Palermitanus Abbas licere negat Iudicibus pœnam legis minuere, quæ tamen præſumptionibus ſolum humanis nititur. Etenim legum præſumptio nihil eſt aliud quam humana eorum præſumptio, qui ob præſumptiones tulerunt legem: imo ex præſente facto lex præſumit præteritum, atq; ex præſumptionibus procedit ad condemnationem mortis, vt ante demonſtrauimus. Hoc vero accurate opus eſt obſeruari, quod ea de cauſa ſolum fuit inſtitutum: quia difficillime poſſunt adulteri in facto deprehendi. Quanto igitur magis neceſſe eſt procedi ad cor-

a l. 3. & 4. de legi. ff. Sic Cato dicebat, nullam legem omnibus ſatis commodam eſſe.

b l. ſi qui adulterii, de adult. C.

c l. quamuis eo. C.

d auth. matri & auię, §. his quoque. Pano. in c. accedens, verſi. non obſtat, de accuſ. Matheſ. in ſingu. 116.

ad corporales pœnas, cum violentæ præſumptiones aduerſus Magos extant? Sed ſi qua ineſt facti euidentia, tum veniendum eſt ad capitalem pœnam: verbi gratia, ſi quis rei magicæ accuſatus deprehendatur humana membra, maxime vero puerulorum habens, oportet libere ad condemnationem mortis procedere. Ineſt enim permanentis facti euidentia, ſi quis magicarum ſortium accuſatus ad curandum alterum clara voce diabolum inuocauerit, aut ſummiſſa voce in terram proſtratus magiſtrum paruum (vt vocant) orauerit: itaque capitalis pœna eſt intrepide decernenda. Sic M. Ioan. Martinus viuam cremari Sagam S. Probæ iuſſit ſententia lata, quæ ſtructorem S. Probæ accuſabatur impotentem & tonicum effeciſſe. Hæc balneum fieri mandauerat, & tribus lacertis in ſudario datis iuſſerat eos cõuolutos in balneum à ſtructore proiici cum his verbis, abi in nomine diaboli. Nã diaboli inuocatio eſt deteſtabilis idololatria, qua ſola conuinci poterat licet nihil fateretur, neque de infirmato ſtructore exſtaret probatio: multi enim faſcinum morbumq; aliis Magis immiſſum eximunt. De his autem cognoſci in iure opus eſt, ſi neque à natura eſſe neque conuenire remedia videbuntur (vt tres illi lacerti qui nunquam poſtea in balneo comperti ſunt, & ſicut Andina Saga, cuius meminimus, ad curationes cerebro felium, veneno certiſſimo, corui capite, aliiſque ſortibus vtebatur) & adhibitis aliis præſumptionibus ac quæſtioni-

 bus

bus ad corporale ſupplicium peruenire. Quod ſi diabolum inuocet aut appellat Saga, tum ob antegreſſas rationes ſine cunctatione damnari ad mortẽ debet, nec mortem quidem vulgarẽ, ſed viua cremari hæc portenta debent, prout conſuetudo publica iam olim à Chriſtianis recepta eſt: quam conſuetudinem & generalem legem non poſſit legitime Iudex omittere, de ea derogare, pœnamue minuere, nisi qua grauiſſima ratio & maxima exſtiterit. Nam perinde eſſe ait Lex *a* pœnam minueris aut omnino ſuſtuleris: imo vero Iudicem reum eſſe ſtatuit qui legitimam pœnam condonat aut minuit *b*: Et ſi Iudex, inquit, non vindicat repertum, tegere vt conſcius criminoſa feſtinat: & quod amplius eſt, iudicem eo nomine notat infamia. Atque hoc in iure eſt extra omnem controuerſiam *c*. Quinetiam eum qui pœnam legitimam remiſerit aut diminuerit, lex modo bonorum publicatione *d*, modo exſilio *e*, modo aliis pœnis pro ratione peccati mulctari iubet *f*: nonnunquam etiam eouſque inuehit vt iudicem eadem pœna caſtigari velit, quam reus conuictus fuiſſet perpeſſurus, quemadmodum his verbis innuit, *niſi ipſe pati velit quod aliis diſſimulando conceſſit*. *g*. In hanc ſententiam Andreas Iſernius

narrat

a l.ſeruos.ſi. de vi. pu. C. Lucas Pen. l. 1.col.l. verbo diſtulerit, pr. de ſortil. lib. 12.C.

b l.2. fin. de commerc. C. & ibi Bald. c. ſicut inquit, c. negligere. 2 q.7. & c. error. 80. diſt. l. 1. de carce pr. C.

c d.l.ſeruos. Hoſtienſ. & Ioan. And. in nou. in verbo eadẽ Pan. fin. & Dec. co. vl. in c. de cauſis de offi deleg. Rom. ſing 77 Ioa. Plat. in l. 1. de deſert. C.

d tex. in d.l.1. de deſerto. Pan. in l. ſi veri. §. de viro. 26. fal. ſoluto matrim.

e tex. in auth. vt neq; milit. neq; fœde. *f* l.1. fin. & ibi Bald. vlt. not demũ op C.l. ſi quis ſepulch. de ſepulch. violat. C & l. præter. §. diuus. eod. ti. & l.1. pub. lætit. C. Bar. & Bald. in l. mancip. de ſeruis fugitiuis. C. *g* l. nulli. ſine, ne ſacrũ baptiſma. C. And. Iſer. in c. 1. tit. q̃ ſunt reg. Caſt. in l. etſi ſenerior. col. 1. Io. And in c. qualiter. col. 7. de accu Bar. in Clem. in verbo ſalutẽ, co. 13. ver. 13. l. Chriſtian. fin. de paganis C. Faber in d.l. nulli.

narrat Carolum Francum I. eius nominis Regem Neapolitanum iuſſiſſe vt ſuſpenderetur Iudex, qui certo occiſori pœnam hanc ſolum indixerat vt ei præſcinderetur manus. Quod ſi Iudex qui ſupplicium maieſtatis læſæ remiſerit aut etiam minuerit, reus eſt, ſuppliciumq; læſæ maieſtatis ſubire tenetur lege, quãto æquius eſt teneri iudicem qui ſupplicium viro dimiſerit minueritue læſæ diuinæ maieſtatis reo? Commodiſſimam iudicii iſtius rationem Tullius affert his verbis: Non iſtum Verrem maius in ſe ſcelus concepiſſe cum fama ſpoliaret, cum tot homines innocentes necaret; cum ciues Rom. morte, cruciatu, cruce afficeret, cum prædones accepta pecunia dimitteret, quam eos qui iſtum tot, tantis, tam nefariis ſceleribus compertum iurati ſententia ſua liberarent. Idem quoque de iudicibus Sagas, licet conuictas, abſoluentibus dici poteſt, qui ſe hoc ſolum excuſant nomine ſe id non poſſe credere, quod de Sagis dicitur, eaſq; mortem promereri. Sic enim vocatur in dubium lex Dei, humanæ leges & hiſtoriæ, & executiones innumeræ & annis bis aut ter mille hac de cauſa factæ, & tribuitur Magis impunitas. Si quis autem in hoc regno ſupplicia criminum eſſe arbitraria dixerit, fateor illud quidem, niſi edicto aut conſuetudine pœna definita ſit: antiquiſſima autem conſuetudo in tota Europa obtinet, vt viui concrementur Magi. Hactenus de iis precipue Magis diximus, qui iurati pacto & ſocietate cum Satana conſtringuntur

guntur. Sed alii quoque ſunt Magi de quibus libro ſecundo egimus, non perinde quidem deteſtandi, ſed tamen actionibus diabolicis cum diabolo communicant. Eiuſmodi ſunt qui nodant ligulas damnabili ſcelere: ex quibus etſi nonnulli ſunt qui hoc ſine expreſſa conuentione aut ſocietate cum diabolo inita faciunt, actio nihilominus eſt diabolica & ſupplicio capitali digna *a*. Nam quiſquis artem iſtam colit, Dei legem omnino ac naturā violat, impediens effectum matrimonii quem Lex Dei imperat: cū hac de cauſa aut matrimonia ſolui oporteat *b*, aut ſine prole conuiuere, quod plane eſt ſacrilegum. Neq; vero negari poteſt quin ſit homicida: tam enim homicida eſt qui liberorum procreationem impedit, quam qui alium iugulat. Tertio mutuam matrimonii amicitiam tollit ſanctiſſimum naturæ & ſocietatis humanæ vinculum, odiumque Vatinianum affert. Quarto eodem momento fit iſta nodatio quo ſanctas voces miniſter pronuntiat, & dum quique debet ad Deum attēdere, nodator voces interſerit myſteriaq; diabolica, impietate execranda. Quinto cauſam affert ſcortationibus & adulteriis ex eo conſequentibus: nodati enim cum ſimul verſantur, vruntur cupiditatibus & ruunt in adulteria. Sexto multæ eam ob cauſam committuntur cædes hominum à quibus id procurari ſuſpicio eſt, quamuis ne in mente quidem habuerint. Hæc igitur quinque aut ſex crimina notadores perpetrant, quæ modo annotauimus

a Lucas Penna ad hoc litus l.1. de priua. carcer. C. & l.2. de ſepul. viol. & l. vlt. ad l. Iul. de vi publ. & l. præcipit. C. de cau. larg.
b c. vlt. de frigid. & maleſi. c. ſi per ſortiarias. 33. q. 8.

mus

mus vt iudices (quorum auctoritate ſaccularii vel crumeniſecæ ſuſpenduntur) iſtud capitale ſcelus impune non ſinant effugere: quod Iudex quidam Niortanus fecit, qui poſtulato præpeditorum coniugum mulierem, cuius facto vicina nubens ſic fuerat impedita à coniugali officio, egit in vincula, & nunquam egreſſuram interminatus eſt, niſi impedimentum eximeret. Sed cum hæc elapſo triduo nouis cõiugibus indixiſſet, vt ſimul concumberent, ſoluti coniuges certiorem fecerunt iudicem, & ille impunem demiſit maleficam eo quod plurimi etiam pueri hanc artem colerent. Cum itaq; hoc crimen pullulet, atque hæc Magorum principia & fundaméta ſint, omnino capitali pœna in iſtud crimen (quod ex diametro Legi Dei & naturæ aduerſatur) oportet animaduertere. Quod ſi quis dum nodare cupit in facto deprehendatur, aut nodationem feciſſe comperiatur, ſed eo irritam quod timentes Dei nodari nequeant, is flagris primum ferroque candente dignus eſt. Si enim is qui venenum miſcuit, quamuis conſilium non aſſequatur, tenetur homicidarum ſubire pœnas, vt lex diſerte *a* Doctorumque iudicia ſtatuunt: ſi vir cum veneno deprehenſus, aut illud emiſſe aut vendidiſſe compertus, in eamdem pœnam condemnatur *b*: ſi denique is qui monialis attentat pudicitiam *c*, licet re infecta damnatur ad mortem, quibus tamen in rebus eſt crimen vnicum: certe multo æquius eſt nodatores iſtos, qui facultatem ſuam eo contulerunt

a l. 1. §. præterea. l. eiuſdem. de ſicar. D. in l ſi quis non dicam. de epiſc. C.
b D. l. 1. eo.
c D. l. 1. & l. vltim. de cupreſſ. C. l. vlt. de indicta viduit. C.

lerunt vt genituram auerterent, grauius quam flagris caſtigari, cum maxima ſit criminis atrocitas, & Doctores vno ore ſtatuant *a* conatum licet irritũ in atrocibus maleficiis capitali pœna plectendum eſſe: adeoq; ſtudium & voluntatem (vt fere obſeruatur) capitalem eſſe in læſæ maieſtatis crimine *b*. Nunc igitur læſæ maieſtatis diuinæ crimen eſſe demonſtrauimus, cum Sacramenta aut preces ſacræ carminibus diabolicis inſpurcãtur: licet in aliis criminibus conatuum minor ſit quam effecti pœna *c*. Quod autem de nodantium conatu diximus, eadem ratione ad Magos pertinet qui iniecerunt ſortem aut ianuas inũxerunt, quãuis nullius mors conſequuta ſit: maxime cum lex ei pœnam homicidarum irroget qui cum veneno comprehenſus fuerit, aut illud emerit, etiam nullo effectu conſequuto. *d* Cætera Magiæ genera quæ noſcendis rebus futuris exercentur, puta Geomantia & alia eiuſmodi, quæ libro ſecundo notauimus, cum diuinationes diabolicæ ſint commentaque diaboli omnia verbo Dei vetita, ea quicunque coluerint & conuicti fuerint colere, primum pecuniaria aut honoraria mulcta oportet affici, ſecundo flagris & candente ferro, tertio ſuſpendio. Qui autem ſeſe medicinam facturos pollicentur dempto (vt aiunt) carmine, aut diabolicis artibus procellas arcent, imbreſue & grandines auertunt, hos quidem Lex puniri non ſinit *e*: ſed iſtos tamen medicos interrogandos eſſe & perueſtigandos confirmo,

vt

a D. in l. ſi quis non dicam.

b l. cogitationis. de pœnis, & ibi Doctores.

c l. 1. pr. de extraord. crim. ff. l. quamuis, de adult. C. Bald. in l. 1. §. hæc autem. quod quiſq; iur. ff. Alexa. con. ponderatis li. 1 col. pen. Bald. cõſ 443. Mœchus. lib. 3. gl. in §. in ſumma. de iniur. inſt. Floria. in l. item ſi obſtetrix, fin. ad l. Aquil. ff. Cœpol. in rep. l. fugit. col. 12. Fel. in c. ex literis. de conſtit. Bald. con. 34. in caſus talis. li. 1. fine.

d l. 3. ad ſica. ff.

e l. 3. de ma.

vt cognoſcatur an ſint Magi: quod ſi nulla probatio habebitur, ipſis nihilominus indicta corporali pœna interdicendum ne medicinam exerceant, & ſtudioſe quid agant obſeruandum. Chiromantiam vero (qua ex lineamentis manuum fere audent quidam futuros ſucceſſus prædicere) quicunq; exercuerint, iis primum ſub pœna arbitraria volumus interdici illius vſu: libros vero Chiromantiæ & Geomantiæ, qui vbique venales proſtant, concremari, & Typographis librariiſq; interdici ne porro excudant aut vendant, conſtituta in eos qui ſecus faxint, 1. pecuniaria mulcta, 2. honoraria. Ne quis vero ſe nomine ignorationis excuſari putet, neceſſe fuerit autorū nomina ſpeciatim exprimi, & in mandatis Iudici cuiq; dare vt libros Magicos qui faciundis inuentariis deprehenſi fuerint comburat illico. Hęc enim Iudices Ethnici factitarunt, neq; in rerum diuidundarum numero cenſuerunt iſta *a*, vt Epheſi quoq; in primitiua Eccleſia fuiſſe legimus obſeruatum *b*. Sic impia iſta ſcelera quæ Chriſtiani diſſimulāt, ab antiquis capitali ſupplicio legimus fuiſſe vindicata. Ab Apronio Romano Prætore Hilarium quemdam ad mortem damnatum fuiſſe legimus *c*, conuictum Mago filium ſuum inſtituendum tradidiſſe, eumque ex Eccleſia ad necem fuiſſe raptum: hæc enim legis verba ſunt *d*, culpam ſimilem eſſe tam prohibita diſcere quam docere. Valentem quoque Cæſarem *e*, cum reſciuiſſet Iamblichum Alectryomantia ſcruta-

a l. cætera. fam. herciſc. ff.
b in Actis Apo.
c Ammia. Marcellin. lib. 26.
d l. 4. de maleſi. C.
e Socrat. li. 4. c. 29. Soro. li. 6. c. 35. Nicephor. li. 11. c. 45. Zonaras lib. 3. in vita Valen.

ſcrutatum eſſe quis ab ipſo Imperator futurus eſſet, foueam Iamblicho ante obitum curauiſſe, & omnes conſcios aut ſuſpectos eneccaſſe ſupra annotauimus. Præterea Baſſiani cuiuſdam bona publicata ſunt eo quod de vxore diuinos cõſuluiſſet eos *a*, vtrum ea filium filiamue eſſet paritura. Alius Lollianus *b* nomine iuuenis admodum in exſilium miſſus & bona fiſco annotata ſunt, quod librum magicũ exſcripſiſſet: & pręſtigiatori cuidam Sicitidæ adſtantium oculos faſcinanti, oculi ſententia lata fuerunt eruti *c*. Præſtigiatores autem & faſcinatores, & quicunque Necromantiam, Pſychagogiam, Goetiam, & improbatas artes alias exercent, pactione expreſſa teneri cum Satana eſt compertiſſimum. Naturalem vero Aſtrologiam & cognitionem eius quod attinet, quia per eam admirabilia Dei opera, cœleſtium luminum conuerſatio, anni, & tempeſtates noſcuntur, eſtque ad medicinam & meteoricorum inſtrumentorum vſum neceſſaria, hanc certe cum aliis non oportet confundere: ſed eorum abuſum auerſari, qui conditionem vitamque hominum ſe prædicturos ex ea pollicentur, inſtituto diffidentiæ Dei & impietati maximæ coniunctiſſimo. Itaque præſtãtiſſima hæc ſcientia fuit infeſta criminationibus, adeo vt his appellationibus, Aſtrologus, Mathematicus, Chaldæus, in legibus ſæpe intelligantur Magi *d*. At non abuſus nomine decet præclaras explodi ſcientias: alioqui artes ſcientiaſque omnes & ipſam legem Dei neceſſe foret

a Ammia. Marcell. lib. 29.

b Niceph. lib. 10.

c Nicetas li. 4.

d l. 2. de malef. & mathem. l. item apud. §. ſi quis aſtrologus. de iniur. ff. l. vl. de malef. & mathem. C. Valerianus li. 1. c. 4. ait Chaldæos ex Italia exire iuſſos intra 10. diem Coſſ. Popilio Lenate, & Lucio Calphurnio.

ſoret condemnari. Sic permagni viri cum rectũ vſum Aſtrologiæ & abuſum non ſeparauiſſent, in errorem plurimos induxerunt. Ioannes Frãciſcus Picus Mirandulanus Princeps eam præter modum criminatus eſt, Philippus vero Melanchthon plus ſatis diuinatrici Aſtrologiæ tribuit. Ægyptii cum neq; abuſum poſſent tollere neque ſcientiam prohibere, hominibus Aſtrologos diuinos conſulentibus indixerunt canonẽ, quem Blaſcunomion velut ſcrutinium ſtultorum appellabant: quemadmodum memoria noſtra quidam illos fures & prædones conſulũt quos vocant Ægyptios, maxima ex parte Magos, vt iudiciis pleriſq; compertum eſt. Deniq; quibuſcunque in rebus mens humana ſuperſtitioſo metu conſternatur, aut à fiducia in Deum vnicum reuocetur, vt vanitati cuilibet hæreat, illis Deus offenditur, eaq; demum vera eſt idololatria: propterea pœnas grauiſſimas in iſtos homines Ethnici decreuerunt, *a* quemadmodum in conſtitutione M. Aurelii hæc verba legimus: *b Si quis aliquid fecerit quo leues animi ſuperſtitione terreantur, D. Marcus in inſulam relegandum hunc reſcripſit.* Accurate igitur animaduertenda eſt ſortilegiorum diſtinctio, vt recte turpitudo & grauitas magicorum ſcelerum diiudicari poſſit, tum quæ homines conuentione expreſſa cum Satana iuncti commiſerint, tum quæ nodatores aliorumque ſortilegiorum artifices. Sunt enim quædam eiuſmodi quæ à magiſtratu nec tolli nec puniri poſſunt: vt communis illa

a l. ſi quis aliquid. de pœnis. ff. l. ſaccularii. §. ſunt quædam. de extraord. crim. ff.

b l. ſi quis aliquid. de pœn. ff.

multorum ſuperſtitio à qua Ethnici metuebant, in agro nendum non eſſe, inauſpicatum eſſe ſi è ſiniſtra nare ſanguis effluxerit, aut ſi ante prandium mulieri grauidæ occurratur. Verum longe grauior eorum eſt ſuperſtitio qui chartaceos orbiculos de collo pendentes, aut conſecratam hoſtiam in pera circumferunt (vt penes gentilem Præſidem deprehendit hoſtiam carnifex, qui in patibulo montis falconis ſuſpédit eum) & ſuperſtitiones aliæ conſimiles, quæ à Scriptura ſacra & Rabbi Maymonide inter vias Amorrhæorum numerantur, & ſeueriſſime in lege Dei ac Prophetis ob diffidentiam à Deo & inſanam erga res creatas idololatriam prohibẽtur: quod malum non aliter poteſt quam Dei verbo corrigi. Agyrtas vero & nugiuẽdulos circumforaneos Magiſtratus caſtigare tenetur, & in exſilium relegare. Si enim Cæſares Ethnici exſilio mulctauerũt eos, qui exercebãt iſta quo léues animi ſuperſtitione terrerentur *a*, quid Chriſtianos eis oportet facere? & eis pariter qui, vt Aureliis & Bernæ, ſpiritus effingunt? Hos certe mortis reos eſſe conſtat, vt Bernæ effectum eſt. Quid eis qui flentem inducũt crucifixum? quod Mureti ad Tholoſam, in Picardia, & Aureliis in æde S. Pet. puellaris factum eſt: ſed hæc omnibus tentatis impune abierunt. Hæc vero duplex eſt in ſacerdotibus & paſtoribus impietas: multo maioris, inquam, impietatis ſacerdos tenetur aut paſtor, qui pactus cum Satana deteſtabile ſortilegium ex ſacrificio facit.

a d. l. ſi quis aliquid de pœnis. ff.

Etenim

Etenim omnes Theologi vno ore docent à Sacerdote non conſecrari, niſi conſecrãdi intentionem habuerit, quamuis Sacramentalia verba pronunciet. Itaque Lugduni Curio S. Ioannis minoris viuus crematus eſt anno milleſimo quingenteſimo quadrageſimo octauo, eo quod dixiſſet (prout in iure confeſſus eſt) ſe in miſſa non conſecrare hoſtiam, vt damnationi parochos ſuos ſubiiceret, quia ſibi (vt aiebat) lis cum ipſis erat: etſi iuſtam miſeri popelli ignorantiam excuſabat Deus. Quanto grauius igitur ſupplicium meretur Sacerdos Magus, qui blaſphemat horribiliter conſecrationis loco? Quamobrem princeps Plato in legibus *b* ſcripſit, Sacerdotem magum ſine exoratione morte plectendum eſſe: turpitudo enim Magicarum ſortium in eo qui procurat ſacrà eſt atrociſſima, cum ea quæ ſanctificare debuit polluat, inquinet, ac execrabilibus blaſphemiis obruat. Itaque Sueſſionum Curio, Froiſſardo teſte, qui bufonem baptizauerat, hoſtiamque ſacratam ei miniſtrauerat, viuus exuſtus eſt, neglecta autoritate Canonum qui Sacerdotes Magos ſolum excommunicari iubent *c*: etſi hoc poteſt regeri, non præiudicare pœnam Eccleſiaſticam quin magiſtratus laici ſupplicia ſua irrogent. Quemadmodum autem ex proportione iuſtitiæ harmonicæ grauior pœna, & atrocius crimen eſt pro perſonarum de quibus agitur qualitate, vt ſi medicus veneficio vtitur, ſi tutor pupillæ vim facit, ſi Iudex iniuria afficit, ſi au-

b lib. 11. de legib.

c c. ſi quis clericus. ex concil. Aurelia. & c. aliquant. ex conci. Agathenſi. & c. ſi quis Epiſc. ex conc. Tholet. 26. q. 5.

ſi aurifex monetam adulterat, ſi vaſallus prodit dominum, ſi patriam vendit ciuis, ſi principem ſuum occidit ſubditus, ſi Princeps fidem non præſtat, hi grauiores merentur pœnas & ii omnino qui contra ſuum officium venerint *a*: ſic etiam Sacerdos Magiam colens non iſtis ſolum omnibus peior eſt, ſed etiam Magos omnes alios execratione vincit qui nō fungūtur ſacerdotio: hic enim Deum ſuum deſerit ſe expoſiturus diabolo *b*, & res ſacras prodit quas ſanctas & inuiolatas debuit ante omnes conſeruare. Quiſquis itaq; Sacerdos aut miniſter conuictus fuerit ſpeculis, annulis, ſecuribus, cribris, & rebus conſimilibus, quæ etiam ſine expreſſa diaboli inuocatione adhibentur, magicas ſortes exercuiſſe, mortis ſupplicio dignus eſt, cæteri vero exſilii. In criminibus aliis, præter ſortilegia & ſacrilegia, iniquum foret Sacerdotem puniri grauius, ob cuius dignitatem ſupplicia oportet minui: & qui Sacerdotes aut miniſtros Dei offenderit eum oportet puniri grauius quā aliarum offenſarum nomine, quia maior eſt ipſius dignitas propter quam ipſe inuiolatus & ſacer manere debet *c*. Si quando vero eo dementiæ venit vt Satanæ ſeipſum voueat, ſatis magna pœna infligi non poteſt. Ex innumeris enim iudiciis ſæpe compertum eſt, Magos aut ſacerdotes eſſe, aut conſciis vti Sacerdotibus, qui ſiue pecunia ſiue gratia adducti Miſſas pro Magis canunt, hoſtias ſubminiſtrant eis, puram membranam conſecrant, annulos, notatas charactebus

a l. quis decurio. de falſis. l. quædam de pœnis. ff. Thomas prima 2. q. 7. art. vltim. Dinus, Bal. Sal. Iacob. Arena in l. nemo. de ſumma Trinit. C.

b l. presbyt. de Epiſc. C. l. qui. de pœnis. Rom. ſing. 476. & 669. Bal. in c. ſi quis vero. de pace iuram. Fel. in c. paſtorales. de iureiur.

c Philo in lib. de ſacrificiis. Leuit. 2.

ribus laminas, & alia eiuſmodi imponunt altaribus aut ſubdunt linteis, prout non raro compertum eſt. Sic nuper deprehenſus eſt Curio: ſed impune abiit fretus autore optimo qui ipſi annulũ dederat linteis altaris, dum caneretur miſſa, ſupponendum. Secundum Sacerdotes & adminiſtros Dei, Magiſtratus iuſtitiæ cuſtodes & depoſitarii ſunt perueſtigandi, & ſi qui deprehendantur ſummo iure puniendi. Nam ſi quis magiſtratu fungens in eo numero fuerit, præbebit effugia Magis, eoque pacto regnum Satanæ promouebit. Primaria vero in Magiſtratũ præſumptio eſt cum Magum eſſẽ, cum ludificatur ſortes: ſic enim riſus ſpecie virus lethale obtegit. Vt autem Areopagitas legum cuſtodes mãdauit Solon, ſi leges infregiſſent, aureã ſui ponderis ſtatuam perſoluere, Plutarcho teſte: *a* ſic Magiſtratum magum qui pœnas de Magis tenetur repoſcere, ſi viam euadẽdi eis aperiat, caſtigari opus eſt ſeueriſſime; fecit enim Iudicum diſſimulatio, vt hoc malum in infinitum propagaretur, cum Triſcalanus Regi Carolo IX. dixerit in hoc regno eſſe amplius trecenta Magorum millia. Aulicos item Magos promiſcue ſine conditionis diſcrimine, vt Lex ait, *b* cruciatibus exponi eſt æquiſſimum. Nec immerito lex ſeuere Magos aulicos iubet pœnas luere: vnicus enim in comitatu Magus omnibus viris fœminiſq; principibus corrumpendis ſufficit qui ſequũtur aulam, adeoq; ſummo principi peruertendo: quia principes curioſe ſtudent præſtigias

a in Solone.

b l. nemo aruſpice. de maleſi. C.

Magorum videre & cognoſcere, tãquam ſi hac via aliquid magni effecturi eſſent. Satanæ vero nihil antiquius quam vt eo principes attrahat, quia ſimulac immerſi ſunt, nihil procurãt aliud quam vt voluntati illius pareant, omnem religionem ludificentur, exemplum popularibus adulterii, inceſtus, parricidii, crudelitatis, exactionumque præbeant, & ſeditiones inter ſubditos bellaq; ciuilia moueant ad ſpectandas cædes exhibẽdaq; diabolo ſacrificia ſanguinis innoxii, quę ei ſunt acceptiſſima, prout improborum conſeruationi conſulit. Hos ex ordine ſequuntur matres, quæ filias ſuas in diabolicos cœtus deduxerint. Ac filiæ quidem, ſi matres ſuas ante indicauerint quam in iure cognitio de eis inſtitueretur, duobus nominibus merentur veniam, tum quia factum accuſarunt, tum quia ipſas pœnitet: Sin poſt cognitionem ſuſceptam, minores ætate & reſipiſcentes virgis cædi ſuffecerit, deinde vero honeſtæ alicui matronæ inſtituendas committi. Nam etſi in caſtigandis delictis ætati minorum veniam iniquum eſt dari, aliquid tamẽ ait lex *a*, de rigore legum oportet reſecari, præſertim ſi reus minor fuerit anno 18. *b*. Sin autem neque expreſſa pacta neq; magicorum conuentuum aditum fateri voluerit, ſed aliorum vincatur teſtimoniis, morti adiudicandus eſt: ſic enim firmum ſtatumq; conſilium cum diabolis initum à ſe fuiſſe oſtenderit. Si enim lex impubem puerum *c*, qui dum occidebatur herus non exclamauerit nec occiſores accuſa-

a l. 1. ſi aduer. delict. C. l. auxilium. de minor. ff.

b auth. ſi captiui, cum gl. de Epiſc. & cle. C. Iacob. Are. Sal. in l. ſi quis in tantum, vnde vi. C. Philipp. Corn. conſi. 247. lib. 1.

c l. excipiuntur. ad Sylla. ff.

accuſauerit, addicit morti (vt puer vndecim annos natus qui puellam ictu lapidis occiſam abdiderat, decreto Curiæ anno M. CCC. XCIIII. ſirpicula ad patibulum tractus vitam finiuit laqueo) multo æquius eſt puerum magum qui pubertatem attigerit capitali ſupplicio affici, niſi diabolicos cœtus indicauerit, maxime ſi præoccupatus in iure & conuictus inficiabitur. Nam etſi parẽtes Magi liberos ſuos diabolis dicare ſolent, hi ſimul atq; ex vtero proceſſerunt, illi antequam in lucem fuerint editi: tamen diabolos expreſſe cum pueris ſibi dicatis non ante paciſci demonſtrauimus, quam pubertatẽ attigerint, vt ex interrogationibus Ioannæ Haruilleriæ didicimus, quæ ſe quidẽ à matre Satanę fuiſſe dicatam expoſuit, ſed non ante nuptui traditam ei, neq; de cõcubitu à Satana, & de abnegatione Dei & omnis religionis compellatam, quã duodecimum ętatis annum attigiſſet. Similiter Magdalena Crucia Cordubenſiũ in Hiſpania monialiũ Abbatiſſa confeſſa eſt, Satanã rem non ante ſecum habuiſſe quam duodecimũ annum ageret. Sed ſupplicium ignis, cui maiores annis adiudicari oportet, mitigari poteſt. In hac autẽ cauſa tam execrabili ſuppliciũ ob imbecillitatẽ ſexus fœminei non debet minui, niſi ſeria pœnitentia ductæ Deum ex animo inuocabũt: qua in ſpecie ſupplicio ignis ſublato pœnitentẽ præfocari aut ſtrangulari ęquũ eſt. Quiſquis autẽ in pactione cum diabolo perſtiterit ἀμετανοήτως, vt pleriq; faciũt, eũ ſupplicio ignis oportet
 ſubiici,

ſubiici, ac non pœnam (quæ ex iure & lege Dei capitalis eſt) minui, ſiue baptiſmi nomine ſiue pœnitentię: quæ pœnam aliquatenus imminuit *a*. nulla enim pœnitentia ſuppliciũ iſtud abolere poteſt *b*, cum Eccleſiæ potius & canonici iuris conſilium ſit iuſtitiam coli *c*. Quamobrem Canoniſtæ omnes conſentiunt eum quem pœnituit ſui criminis in foro laico accuſari & puniri poſſe; nam Eccleſiæ abſolutio, inquit Baldus *d*, nullum præiudicium brachio ſeculari facit. Plerique etiam Doctores & ciuilis iuris & Canonici *e* pœnitẽtiam aiunt quamuis ampliſſimam nihil de grauitate ſupplicii legibus imperati deminuere. In hanc ſententiã ſcribit Decius ſe iudicium contra Iudæum pronuntiauiſſe, qui ad ſupplicium criminis à ſe commiſſi minuendum Chriſtianus eſſe voluerat: ſed magiſtratum Paduæ de ſentẽtia doctorum omnium nihil de pœna derogaſſe. Idem quoque iudicium Theologorum eſt *f*, & lex ipſa Dei hominem qui certo conſilio alterum occiderit à ſacro altari necãdum iubet abripi, ne forte religionis, libertatis, aut pœnitentiæ velo ſe obtegant improbi vt ſupplicia legibus inſtituta queant euadere, ſed potius quocunq; modo meritas pœnas luat improbitas: quem ad ſcopum omnes Iurecoſſ. animũm

a li, 4. ſenten. & c, quod autem. 32, q. 1. & c. vlt, de pœn. item diſt. 7. & c. 2. ſi. de conſec, diſtin, 4. Cald. Anton. Butri, Imola, Felin, in cap. de his. de accuſ. gl. vlt. 49. diſt,

b l. 2. §. ſi quis à pr. ne quid in loco pub. ff. & c. ſuper eo. de off. de leg. & c. ex tuarũ, de author. & vſu pallii,

c c, 1, de alien, feu, & can. vl. 29. q vltima.

d in l placet. de ſacroſ. eccleſ. C,

e in c. admonere ver, pœni, 3 : , q 2. & gloſ. Inno. & Hoſtienſ, in col. vlti, fin, Ioan Andr Andr. But Panorm. in c. gaudemus, de diuort, Marian. & Fr, in d c, de his, de accu, Card. in Clem 1. §, ſane, de vſur. Luc. Penna in l fi. apparitor. col. pen. de cohortib, C. li. 12. Deci⁹ in c. quæ in Eccleſia, col. vlt, de conſt, & con. 130,

f, Alex Ales. in 4. ſent. q. 20. mem. 1. art. Bonau. in d 4. ſen. diſt. 2 art. 1, q. itẽ Thomas in 3. parte ſum. q. 68, ar. 5, Aſteſan⁹ li, 4. ti. itẽ. 4, ar. 1, col. vl. Ant Flo. in 1 parte 3. q. pr. ti. 14. c. 13,

animum aduerterunt maxime *a*. Atque hæc reſponſio ad eorum dicta, qui ſpecie pœnitentiæ Magis effugia nituntur comparare. Nam ſi homicidam cum reſipuerit nihilominus morte iubemur afficere, cur effugiat Magus millies ſceleratior? De iis autem hæc volumus accipi, quos anteuertit cognitio Iudicum, & qui ſe poſtea ingerunt in monaſteria, non alio conſilio, quam vt domus dicata ſanctimoniæ ſpelunca parricidarum atque Magorum ſit. Non eſt igitur, quod eorum Magorum perſecutionem Magiſtratus differat, qui ſe in monaſteria iudiciis præuenti conferunt, ſed eorum ſupplicium exemplo eſſe aliis opus eſt neglecta amictus priuilegiorumque ratione: quibus (vtcunque alii ſtatuerint *b*) non debet eſſe in hac cauſa locus. Nam ſi homicidam Lex Dei ab altari ſacro rapi ad ſupplicium iubet, quid Magum parricidis omnibus deteriorem recluſum monaſterio à iuſtiſſimis pœnis iure eripuerit? Si vero præuentus quidem, ſed non conuictus Magus fatebitur verum, & conſortes criminis indicabit, non alienum à ratione fuerit, ſi pœnitebit eum, ſupplicium ignis mitigari *c*, cum quia minus reus eſt, tum quia cæteri hac via ad confeſſionem veri & reſipiſcentiam adducuntur. Athenis etiam, ait

a l. ita vulneratus, fin. ad l. Aquil. ff. l. conueniri, de pactis dotalib. l. ſi maritus, §. legis, verſu cæterum, de adulter. ff.

b Oldrad. conſ. 4. quod laicus. Bar. in l. de pœnis. Bald. in l. 1. fine. an ſer. ex fac. ſup. Cæpolla cautela 9. Iaſ. in l. pen. princ. vlt. not. de iuriſdict. Bar. Gulielm. Iaco. Butrig. & Bald. in l. vlt. qui ſatisd. Ioan. Andr. in c. 1. de oblat. ad ratio. Cynus in auth. cauſa quæ fit, de Epiſco.

c l. 1. ne tut. vel cur. Cod. authent. ſed nouo iure, Cod. de pœna Iud. qui male iud. cap. vltim. & ibi gloſſ. de furt. & cap. inter corporalia, verſic. ſane, de transl. Epiſc. & cap. vltim. & ibi gloſſ. 50. diſtinct. & cap. ſi quis omnem fin. 1. q. 7. & c. non dicatis 12. q. 1. gloſ not. in l. non omne, §. vlt. de re milit. Panor. in c. at ſi clerici, & ibid. Felin. col. 2. l. edicto princ. de iure fiſci, l. 3. §. vlt. de al. iu.

ait Plutarchus in Alcibiade, reus abſoluebatur, qui nec dum conuictus fatebatur: ſed lex ita non obtinuit, quia conſequebatur ex ea maleficiorum impunitas. Imo vero ex diuina lege *a*, qui furtum ſuum Sacerdoti fatebatur, furtum reſtituere & quintam ſuperaddere tenebatur præter oblationem peccati: multo igitur minus lenienda pœna eſt, ſi confeſſus euinci potuerit *b*. Si quis vero neque accuſatus, neque præuentus, neque reus actus fatebitur, qui conuinci non potuerat, & facti pœnitentia ductus conſcios accuſabit, hic venia dignus eſt: non quod iſtud capitale non ſit adorauiſſe Satanam & Deum abnegaſſe, ſed vita huic permittenda eſt, cum vt ſit delationis præmium, tum vt hac arte alliciantur cæteri. Alioqui confeſſio *c*, quæ præuentionem ſequuta ante probationem facta eſt vllamve probationis ſpeciem, minuere quidem, at non tollere ſupplicium poteſt *d*: niſi forte edicto aut lege diſerte caueatur, ne Iudices pœnam lege conſtitutam minuant: ita enim voluntaria confeſſio accuſationem antegreſſa *e* nec abſolutionem nec leuamen vllum afferret ſupplicii. Hic enim legis interdictum plus poteſt, quam Magiſtratuum omnium autoritas. Quæſtionem aliquis forte iniecerit, ſi Princeps vaſallum, dominus ſubditum, herus ſeruum, pater filium, aut mater filiam coegerit cum Magis facere, adire cœtus, abnegare Dominum, an ii legalibus pœnis teneantur? Equidem quæſtionem hanc nihili eſſe duco, cuius ſpecies

nec

a Exod. 22. & Num. 5.

b Pan. & Felin. in c. at ſi clerici, col. 2. verſ. nota. de iud. extra gloſ. in c. 3. 50. diſt. per c. vlt. 24. diſt.

c Pan. in c. de hoc, de ſimonia.

d Bald. in l. ea quæ, de condict. indeb. C. q. 10. c. vlt. de iuram. calum. lib. 6. Bal. in l. contra negantem, col. 1. de l. Aquil. C. & in c. vaſallus, ibi col. 3 ſi de feudo fuer. controuer. & in l. 1 §. porro, col. 4. tit. quę fu. prima cau. feu. Ang. in §. ex maleſi. col. 8. Barbat. conſ. 28.

e l. id quod ſer. §. 1. de pecul. leg. & ibi Bar. & l. pa-

nec vera eſt nec veriſimilis, quia plenam aſſenſionem liberamque hominum voluntatem Satanas poſtulat, prout exemplis ante commonſtrauimus. Quod ſi quis pater aut dominus tanta improbitate eſſet, qui filium ſuum eo compelleret, vt abnegaret Deum, non continuo Magus aut ſupplicii in Magos conſtituti reus hic dicendus eſſet: nam peccatum niſi voluntarium non eſt peccatum, vt Auguſtinus inquit. Atque in hac quidem cauſa ii legibus abſoluuntur *a*, quos neceſſe fuit obſequi: eorum vero, qui potuerunt non obſequi, ſed reuerentia aliqua ducti paruerunt, pœnæ ſummo iure non repetuntur, ſed lenius cum eis agitur. Verum hoc ad atrocia crimina pertinere non poteſt, ad iſtud vero inprimis deteſtandum minime: cum in hac cauſa Lex Dei occidi mandet *b*, quiſquis facinus ſolum ſuaſerit tam execrabile. At puellæ erga matrem, pueri erga patrem, ſeruuli erga herum obſequium pœnam mitigari flagitat, ſi ante confeſſio & pœnitentia quam conuictio pateat *c*. Huc accommodari poteſt illud Senecæ in Thyeſte, *quem peccaſſe pœnitet pene eſt innocens*, ſi vera fuerit ac non ficta pœnitentia. Et quamuis Principis aut ſummi Magiſtratus preces plus poſſint quam violentia *d*, obſequium tamen

lam, §. vlt. de rit. nupt. ff. Bald. in l. ex quæ, q. 2. de condic. indeb. C. Pet. Ancharan. in c. perpetuæ, col. 1. de elect. lib. 6 Florian in l 2. ad l. Aquil. Ang. Aretin. in tract. malefic. in verbo deducta 4. parte. Bald. in l. vlt. col. 2. de exec. rei iudic. C.

a l. ſed & ſi viuus, §. ſi iuſſu domin. de iniur. ff. & l. vlt. fin. & ibi gl. de bo. damn. & l. ſeruus, & ibi de actio. & oblig. ff. l. liberorum, §. excuſantur, de iis qui notant. infam. ff. l. liber homo, 2. ad leg. Aquil. ff. l. ad ea, de regulis iuris. ff. authentic. ſed nouo iure, de cuſtod. reor. l. ſi ſeruus, de ſepulchr. viol. Codic. & ibi Faber, Gellius libr. 2. capit. 7. *b* Deuter. 13. *c* l. ſeruos, & ibi Bald. & Salicet. ad leg. Iul de vi public. Cod. & in l. 2. & ibi gloſſ. Faber & D. de ſepul. vio. C. glo. in c dixit Dominus 14. quæſt. 5. & in cap. quod quis, de regul. lib. 6. *d* l. 1. quod iuſſu, & ibi gloſ. Bart. in tractat.

tamen in tam execrando ſcelere caret excuſatione: nam neque Principi imperium eſt in ſubditum contra legem Dei, neque vlla ſubdito ad obſequendum neceſſitas. Iubet tamen æquitas ſupplicio adhiberi modum, ſi confeſſio facti pœnitentiaque aderit: ſin autem aperta vis iuſtusque mortis metus preſſerit immorigerum, (etſi mori præſtat quam obſequi) hic tamen obſequium ad euitandam pœnam corporalem præſtitum quodammodo accuſatione dignum eſt *a*, etiamſi Magus ſortilegio quo fuit impulſus hominem occidere, non eſſet propterea homicidarum pœnam ſubiturus *b*. Doli enim & fraudis non poteſt accuſari, modo præciſa fuerit (vt dixi) indicta morte aut cruciatu impulſio *c*. Sed quid de eo dicturi ſumus, qui Deum & ſuam religionem abnegans ſe dedit Satanæ lege mancipii, vt reualeſcat à morbo, vt à metu mortis hoſtisve liberetur? quo ſupplicio dignus eſt, qui ſeipſum vouet Satanæ, vt curetur à morbo incurabili? etſi antea oſtendimus, vix fieri, vt vnus ex denis, idque à ſortilegiis ſolum reualeſcat. Certe imperitus aliquis in hac cauſa quodammodo à ſupplicio capitali excuſatus eſſet, non autem literatus quiſpiam: licet in iſto crimine nullus ſit ignorantiæ locus. Nemo enim auſit bona fide dicere per errorem factum, vt Deo Creatori ſuo renuntiaret, & ſe Satanæ permitteret: præterea ex omnibus iudiciis conſtat, voluntatem liberam Satanæ acceptam eſſe. Error vero hominum in illicitis demum ſortile-

gio-

de tyran. q. 7. Caſtr. conſ. 70. col. 4. lib. 4. Innoc. in c. petitio, prin. de iureiur. Socin. conſ. 263. can. rogo 11. q. 3.

a D. in c. ſacris, de iis, quæ vi metus ve cau. & c. presbyteros, 50. diſt. Alex. Ales in 3 parte ſummæ, q. 41. membro 4. artic. 7.

b Bal. in §. iniuria, ti. de pactis iuram. firmandis. & Petrus in l. ſcientiam, §. qui cum aliter, ad l. Aqui. Cynus & Faber in l. 1. vnde vi. C. Bar. in l. 2. noxali. ff.

c l. metum autem, de eo quod met. ff. l. rani, de regul. iur. ff.

giorum formis eſt excuſabilis, quæ non habent conuentionem cum Satana iuramento confirmatam, vt ſunt annulorum, ſpeculorum, cribrorum, & ſimilium ſortes, in quibus multi (vt ante diximus) aliorum exemplum imitantur. Sed hæc tamen actione prima non oportet impune abire, quin potius aliquo pacto mulctari, ſecunda corpore pœnas luere, tertia ad mortem damnari: cum ſaccularius tertio conuictus ex generali conſuetudine vltimo ſupplicio afficiatur plurimum *a*. Quid autem fiet illis, qui malignos ſpiritus inuocarunt, eisq; pelliciendis ſuos ritus myſticos obſeruarunt, licet non aduenerit Satanas (quamquam ſemper aduenit) neque reſponderit? Imitatur enim ſcorta callidiſſima, quæ rogari expetunt. Horum profecto non tentamentum ſolum eſt, ſed deteſtabile ſortilegium, idque perfectum atque abſolutum. Hic eſt igitur pœnæ capitali locus, neque in hac cauſa æquum fuerit de pœnis minui, quæ in conatus irritos ac non effectos conſtitutæ ſunt *b*: non enim conatus ſimplex, ſed geſtum ſcelus atque perfectum dicendum eſt *c*, cum inuocatus fuerit & oratus Satanas, quod certiſſima Dei renuntiatione coniunctum eſt. Is ergo diuinis legibus & humanis abutitur, qui ea ſpecie ignoſcit pœnitenti Mago, quod hæretico pœnitenti Leges *d* & Canones *e* iubeant condonari: etſi magiſtratus permultis locis antehac ita proſpexerint, vt quiſquis die Veneris edebat carnes viuus igni traderetur, niſi hominem pœnite-

a Angel. de maleficiis, verbo etiam veſtem, pag. 198. Gandin. in tract. de malefic. rub. de furibus, & lege Friderici de pace Conſtantiæ.

b l 1. §. diuus, & ibi Bart. ad l. Corn. de ſicar. ff. & in l. ſi in rixa, col. 1. eod. Bal. in l. ſi quis non dicam, de Epiſc. C. & l. is qui cum telo, & duab. ſeq. de ſicariis, C.

c Bal. Alex. Salic. in limita. l. ſi quis, non dicam, de Epiſ. C.

d l. Manichæos, de hæretic. C.

e c. ad abolendam, §. pœnitenti, de hæretic. li. 6.

nitteret, (ſicut apud Andes anno M.D.XXXIX. factum eſt) ſi pœnitebat, per commiſerationem vitam finiri laqueo iubebatur. Quiſquis enim rem legi Dei aduerſantem credit, vt ſit hæreticus; tamen opinione mutata conſcientia integra permanet. Qui vero Satanam adorat Deumve abnegat, (quæ duo ſunt coniunctiſſima) is rem efficit, quæ non poteſt non eſſe facta: prout in iure dicitur, factum infectum eſſe non poteſt. Si qui autem Deo non renuntiauerint, ſed characteres, circulos, & inuocationes vſurpauerint, prout in libris vetitis ſcriptas inuenerunt, nec familiaris (vt vocant) ſpiritus aduenerit, perſonarum diſcrimen oportet obſeruari. Si imperitus fecerit, neſciens iſtos ſpiritus è numero diabolorum eſſe, huic honoraria & pecuniaria mulcta imperabitur. Nam etſi voluntas effectu carens pœnas non luit in Gallia *a*, eſt tamen aliquis effectus in hac cauſa, puta inuocatio. Sin autem literatus vir & iudicio valens vtatur inuocatione, reus eſt mortis: ſciens enim prudens Satanam inuocauit, vt vident omnes. Quod ſi vir in mulctam honorariam damnatus maleficii iſtius nomine recuſet contumaciter iudicatum facere, hunc morti adiudicari neceſſe eſt, quemadmodum ex decreto Curiæ die 17. April. M.D.XXIX. Ioanne Berquino factum eſt, qui honorariam mulctam hæreſeos nomine recuſans ſubire, damnatus eſt ad ignem viuus, & ſtatim iudicium effectum. Quod tamen in Gallia conatus irritus pœnas dicitur

a Bar. in l. ſi rixa, & l. 1. §. diuus, de ſicar. ff. Ang. de malef. verbo in platea, nu. 31. Doct. in l. ſi quis non dicam, de Epiſcop. C. & ibi Baldus.

non

non lucre, non ſemper verum eſt: cum in atrocibus criminibus conatus effectu carens puniatur *a*, & qui venenum præbuit, re non ſequuta, quamuis non æque grauiter, puniatur: quod in omnibus delictis obtinet. Non eſt autem in poteſtate Principum, vt crimen condonent, quod Lex Dei capite plecti iubet, vt eſt ſortilegium. Principes certe Deo permagnam iniuriam faciunt, ſi tam horrenda maleficia directe in maieſtatem ipſius commiſſa condonauerint, cum minimus quiſque Princeps iniurias ſibi factas capitali pœna vindicet. Quamobrem quicunque Magis effugia comparant, aut eos ſummo iure punire nolunt, ii pro certo habeant fore vt Magorum arbitrio à Deo permittantur: ſimiliterque regionem, quæ eos tolerauit, peſte, fame, bellis afflictum iri: & qui vlti fuerint, eos benedictionem Dei percepturos eiuſque furorem ſedaturos. Atque hæc cauſa eſt, cur virum magicarum ſortium accuſatum nunquam planè abſolui conuenit, niſi accuſatorem iudicemve calumniatum eſſe luceat meridie clarius: horum enim ſcelerum probatio adeo abſtruſa & difficilis eſt, vt ex centenis Magorum millibus ne vnus quidem accuſaretur aut pœnas lueret, ſi defecti probationibus aduerſarii ad ordinarias iudiciorum leges cogerentur: ac propterea in cauſis criminalibus edicto prohibentur Iudices, ne id ſinant fieri, niſi res comparatæ ſint: quamuis Lacedæmonios Plutarch. ſcribat de more nunquam

a Bal. Salic. in l. ſi quis non dicam, de Epiſ. C. & in l. cogitationis, de pœnis, vbi Bart. l. is qui cum telo, de ſicar. C. & Bart. in l. generaliter, §. 1. de calumniat. ff.

quam plane ſecundum reos iudicaſſe, ſed carcere ſolum liberauiſſe ad reuocationem vſque in omni crimine. Cum Sibylla Dinſcops Saga in Ducatu Cliuenſi cremata eſſet, ſupra annotauimus, manum quæ viatores inſectabat momento deſtitiſſe. Cremata quoque Biebrana ad Laodunum Saga, lues quæ veneficiis homines & pecora infeſtabat, fuit ſublata. Nec illud omittendum eſt, quod ex D. Adamo Martino illius iudice accepimus, cum illa mulieri cuidam comminata dixiſſet, eam nunquam puerum lacte vberum ſuorum alituram, exaruiſſe vbera: & quamuis multos ex eo tempore pepererit, nihilominus lacte caruiſſe, donec Saga iudicio facto cremaretur viua, Deo iudice iuſtiſſimo, contra quam Iudices (quibus ſtrangulari eam placuerat) conſtituerant, & cogitabat carnifex. Etſi grauius eſt obrui lapidibus, (quod Lege Dei præcipitur) quam viuum cremari, vt Moſes Ramban annotat *a*. Memini me in Malleo maleficarum legere, peſtem de vico Germaniæ in agro Conſtantienſi non abiuiſſe, donec Sagam quandam humo eruiſſent, & in cinerem redegiſſent corpus. Sic Verignii ad Cucium fœmina quædam fuit accuſata & traducta multorum maleficiorum nomine, qua liberata ex probationum defectu pecudes innumeræ & homines enecti ſunt, vt ex incolis audiuimus. Hæc menſe Aprili Anno M. D. LXXIX. deceſſit de vita: ex eo Verigniani homines & pecudes quieuerunt ab hoc malo, nec amplius vt ſole-

a Lib. 3. more nebocim.

ſolebant moriuntur maleficiis. Ex his facile cognoſcitur, ceſſare effecta cauſis præcipuis eorum deſinentibus: quæ tamen Deus pro voluntate ſua ſolet immittere ad eos, quos viſum fuerit affligendos.

OPINIONVM IOANNIS WIERI CONFVTATIO.

SVB finem iſtius operis, cum prope eſſet vt excuderetur, Typographus cui mandaueram miſit ad me nouum Ioannis Wieri Medici librũ de Lamiis, in quo defendit, Magos & Magas ſuppliciis affici non oportere: hoc impreſſionem operis diſtulit. Iamdiu fuerat Wierus in hac ſententia [a]: quia vero leui brachio firmamenta opinionis illius attigerant quidam, nec ei valde obſtiterant, ſic ille reſpondit, vt ſi victoriam adeptus eſſet. Hæc mihi data eſt ad reſpondendnm occaſio: non quod abripiar odio, ſed primum ad tuendum honorem Dei, contra quem ſe armauit ille: ſecundo, vt quorundam Iudicum opinionem eximam, quorum iſte mutatam ſua opera ſententiam fuiſſe gloriatur, & tantum ſuis libris effectum,

[a] lib. de præſtigiis.

vt iam lege optima è vinculis liberentur Magi, Iudices alios, quorum calculis damnantur illi, vocans carnifices. Hoc ab vllo homine dici non mediocriter miratus ſum, cum opinionem iſtam ab homine aut imperitiſſimo aut improbiſſimo neceſſe ſit proficiſci. Ex libris autem Ioann. Wieri animaduertimus, cum non imperitum, ſed Medicum eſſe. Verumtamen in libris ſuis mille ſortilegia damnabilia edocet *a*, etiamque voces, inuocationes, figuras, circulos, characteres apponit Magorum principum, qui poſt omnem hominum memoriam extiterint, vt execrabilia mille ſcelera, quæ ſine horrore non potui legere, perpetrentur. Præterea ſingulos autores Magos ſeculorum omnium adducit & celeberrimos, vt à legentibus conſulantur: & (quod grauius eſt) in fine libri de præſtigiis excuſi Baſil. M.D.LXXVIII. Monarchiæ diabolicæ indicem conſcripſit, nomina & cognomina 72. Principum exponens & diabolorum 7405926. ſaluo errore calculi. Nam diabolorum plebem in legiones refert, quibus ſingulis ſexies millenos ſexcentenos ſexagenos ſenos attribuit, addens eorum conditiones, proprietates, & quos ad vſus inuocari poſſint. Poſtquam vero doſes diabolorum docuit religioſiſſime, hæc verba ſubiicit, ſed hoc nefarium eſt. In lege 1. §. Medicos, de variis cognitionibus, ff. dicitur, eum vocari Medicum non oportere qui incantauit, qui imprecatus eſt, qui (vt vulgari verbo impoſtorum vtar) exorcizauit: non ſunt

a Li 3. & 4. de præſtigiis.

iſta

iſta medicinæ genera: Id vero Lex Dei non impoſturam ſimplicem, ſed deteſtabilem impietatem eſſe dicit. Is igitur dici impoſtor poteſt, cui non ſatis eſt exercere, ſed qui etiam libris impreſſis ſcelera docet eiuſmodi, eaque vt fucet, aliquid de Deo & lege ipſius nonnunquam interſerit: qua fraude Satanas & adminiſtri eius ſemper abutuntur, vt obducto rerum ſanctarum velo impietatis genera quælibet venditent: Fernelius inquit *a*, Magum à ſe fuiſſe viſum, qui orationes & voces ſacras cum barbaris confuſas enuntians, quicquid placuerat in ſpeculo videndum exhibebat: idem narrat Origenes & Græcus interpres Syneſii *b*. De Wiero autem & ſimilibus illud merito prædicari poteſt, quod Dionyſius ad Soſipatrum de Apollophane, diuinis aduerſus Deum nefarie vtitur. Itaque fatetur Wierus, ſe Ioannis Tritemii Steganographiam exſcripſiſſe, quam in muſæo Magiſtri ſui Agrippæ repererat, librum orationibus dæmonumque inuocationibus plenum, & ſupra omnes libros (vt ait Carolus Bouillus) deteſtabilem. Lollianum quendam iuuenem mulctatum exſilio, & bona eius publicata legimus *c*, quod librum magicum deſcripſiſſet: quid igitur ille mereatur, qui defendit eam, adeoque ſcriptis & ſermone docet? Non eſt igitur Wiero cum Dei meminit habenda fides, in cuius libris blaſphemiæ tam horribiles offenduntur. Vt enim nullum venenum tam capitale eſt quam illud, quod ex ſaccharo aut condimentis ſuauibus

a Lib. I. de abditis rerum cauſis.

b In libr. περὶ ἐνυπνίων.

c Niceph. lib. 20.

infunditur, quia auidius ſorbetur & difficilius egeritur: ſic nulla eſt maior impietas quam cui pietatis ſpecies prætexitur. Satanæ fuiſſe Magos omnis generis ante oſtendimus. Fuerunt complures Papæ, vt Cardinalis Beno, Nauclerus, & Platina ſcribunt, fuerunt Reges, Principes, Sacerdotes, Concionatores, Iudices, & Medici permultis locis, fuerunt denique in omnibus opificiis. Sed gratiores certè adminiſtros non habet iis, qui alios efficiunt Magos, eoſque in ſua retia ſermone aut ſcriptis pertrahunt, & qui impedimento ſunt, ne pœnas luant meritas. Guilhelmum Luranum, Theologiæ Doctorem, Concionatorem celebrem *a*, ante notauimus ob crimen Magiæ Pictauii damnatum eſſe Anno M. CCCC. LIII. die 12. Decembris, teſtimoniis & confeſſione propria conuictum, (quæ adhuc in actis Pictauienſibus exſtant, vt ex Saluerto Pictonum Præſide cognoui) quod mutuo obligationis inſtrumento cum Satana confecto (hoc autem penes eum fuit deprehenſum) renuntians Deo & ſacrificans diabolo promiſiſſet ſe prædicaturum, (vt fecit) fabulas eſſe, quicquid de Magis dicitur, crudele factum eſſe, ad mortem damnari Magos: hoc pacto, inquit ille, Magorum punitio ceſſauit, regnumque Satanæ augeſcente in infinitum Magorum numero fuit confirmatum. Nondum omnes ſocii Concionatoris iſtius perierunt. Etenim nuper Sacerdos exſtitit Motanus nomine, famoſus Magus, qui agebat exorciſtam: diabolus

a Petrus Mamor. in flagello maleficor.

vero

vero nullius cauſa ſe exiturum quam iſtius prædicabat. Wierum diem ſcribentem legimus, quod ille Diabologiæ Doctor prædicabat. Neque vero leuiter illud omittendum, quod Wierus confitetur *a*, ſe fuiſſe Agrippæ diſcipulum Magorum ſua ætate facile principis, nec diſcipulum modo ſed adminiſtrum & ſeruum: bibiſſe, comediſſe, & cubuiſſe cum eo, (vt fatetur ipſe) poſtquam Agrippa diuortium ab vxore fecerat. Quod autem Paulus Iouius *b* & alii ſcripſerunt, nigrum Agrippæ canem, quem vocabat dominum, poſtquam ille in Xenodochio Gratianopoli vita defunctus eſt, ſe coram omnibus in fluuium dediſſe precipitem, nec fuiſſe viſum ab eo tempore: hunc, ſcribit Wierus, non fuiſſe canis ſpecie Satanam, ſed verum canem, quem ipſe loro poſt Agrippam duxerit, eumq; medium inter Agrippam & ipſum cubuiſſe. Cum vero Magi recordatur magiſtri ſui, fidelis memoriæ Agrippa, inquit *c*, aut venerandi præceptoris mei Agrippæ: quamuis nemo ſana mente præditus non confiteatur lectis Agrippæ libris eum inter Magos principatum obtinere. Manifeſtum illud eſt ex epiſtolis, quas adiecit ad finem libri tertii de occulta Philoſophia, vbi ad Italum quendam ordinis Auguſtiniani ſcribens clauem occultæ Philoſophiæ à ſe amicis ſolum dicit aſſeruari: is autem liber quartus eſt, diſcipulorum & amicorum Agrippæ opera poſt magiſtri obitum mandatus typis, qui liber tanquam clara luce deteſtabile Magiæ venenum

a Lib. 2. ca. 5. de præſtigiis.

b In Elogiis.

c Lib. 3. cap. 35.

retegit, omnes dæmonum inuocationes, circulos, characteres, & ſacrificia Satanæ oblata. Hactenus qui vir fuerit Agrippa placuit oſtendere, ne cui videatur mirum, ſi Wierus tantopere ad defenſionem Magorum exarſerit, vt Magiſtratus ſæuos carnifices & lanios non dubitet appellare. Quinetiam legem Dei conatur corrumpere *a*, vbi ſic dicitur, *Præſtigiatricem non ſines viuere*: arripiens enim Græcam interpretationem affirmat legis ſenſum eſſe, vt Venefici ac non Magi tradantur morti, & fretus voce æquiuoca Hebraicum textum præterit, cuius maxima eſt euidentia. Atqui hæc Legis verba ſunt, מכשפהלאתחיה. Hebræum vocabulum fit à כשה, quod eſt præſtigias oculis offundere: vnde מכשפים dicuntur præſtigiatores in Exodo *b* & aliis Scripturæ locis *c*, quos annotauimus, vbi vox non alios deſignat quam Magos. Sed quoniam Magi hominibus mortem plurimum afferunt, & pulueribus, oſſibus, ac venenatis animalibus abutuntur, eos Græci φαρμακέας, φαρμακοὺς, & φαρμακευτὰς dixerunt, fœminas vero φαρμακίδας & φαρμακεύτειας, prout pars Magorum maxima Medicos ſolet ac Exorciſtas agere. Wierus autem fucum volens legi Dei facere verbis Hebraicæ ſcriptæ, obducta ſpecie Græcæ interpretationis turpiter lapſus eſt, cum ait, Veneficos φαρμακεύους appellari, quod vitio typographi non accidiſſe accentus arguit: nam etiam itidem ſcriptum eſt in præfatione libri de præſtigiis, & lib. 3. cap. 38. & lib. 6. cap. 22. & libri de

a Exod. 21.

b Exod. 7.

c Haba. 3. Miche. 5. 2. Reg. 9. 2. Paralip. 33. Eſai. 47. Ierem. 27. Daniel. 2. Nahum. 13.

deLamiis cap. 4. cum φαρμακείας aut per craſin φαρμακεῖς fuiſſet dicturus. Sed in rebus lapſus longe eſt grauior. Nam Hebræus Philo & ſeptuaginta duo interpretes commodiore Græca voce deſtituti ſic interpretantur Mecaſpha, qua ſignificantur Sagæ. Græcum autem φαρμακεῖς & ſeplaſiarios ſeu pharmacopœos, & veneficos, & infectores, & herbarios, & Magos denotat, & eos qui olim purificabant impurata templa, & qui eiiciebant diabolos, (hos lex impoſtores & exorciſtas vocat *a*) quod Euſtathius in librum vigeſimum ſecundum Odiſſcæ annotauit ſub finem. A Græcis autem plerumq; ac non ὁμωνύμως Magos appellari φαρμακοὺς, non autem veneficos, demonſtrat Dioſcorides, cum de Rhamno inquit: ἀποκρύει τὰς τῶν φαρμακέων κακουργίας, & Ariſtoteles agens de Hippomane lib. 6. cap. 18. de hiſtoria animalium, Magos τοὺς περὶ τὰς φαρμακείας vocat, cum Hippomanes tradit, vſui eſſe Magis: quod tamen non venenum eſſe vſus Magorum indicat, qui ex eo conficiunt amatoria. Theocritus etiam Hippomanes herbam eſſe narrat in Theſſalia naſcentem, hoc eſt, Theſſaliæ pharmacum. Hæc in Ecloga Sagæ, (φαρμακεύτριαν nominat) quæ carminibus, votis, precibus & inuocationibus omnibus vtitur apud aſtra & dæmonas, adhibita volucri, quam Græci ἴυγγα, Latini Motacillam, Galli *Mouette* nominant, non ad tollendum veneficio, ſed ad pelliciendũ amaſium qui procul aberat: nam Motacillæ non eſt inſuauis cibus. Quamquã Seruius

a l. 1. §. Medicos, de variis cognitionibus, ff.

voce ἴυγγος ait ſignificari fiſtulam ſonandis Magorum criminibus accommodam; itaq; oſtendit, nihil veneni eſſe, vtrauis ſignificatione ceperis. Ariſtoteles *a* etiam de Sippe volucri loquens eodem ſenſu φαρμακείαν accipit, cuius hæc verba ſunt: Σίππη τὸ μὲν ἦθος μάχιμος, τὴν δὲ διάνοιαν ἐθισὸς, καὶ εὐθύμων καὶ εὔβιοτος· καὶ λέγεται φαρμακεία εἶναι διὰ τὸ πολυίδεις εἶναι. Et in Hippocrate *b* legimus, πεφαρμένους dici, quos ſortilegiis affecerunt Magi: totus enim liber de Morbo ſacro in Magos ſcriptus eſt, (μάγους, γόητας, φαρμακοὺς, ἀγύρτας vocat) qui ſe gloriantur, inquit, Lunam deducere, Solem obſcurare, tempeſtates ciere, Deos ſubiicere. Nemo autem eſt qui neſciat, Magos ſine veneno enecare, ſeu pomum dantes, ſeu manu aut virga attingentes: vt Pataui Sagam à ſe viſam Cardanus ſcribit, quæ puerum enecauit illico, dum virga leniter dorſum illius contingeret. Medea Saga zelotypa quod Glauca Regis Creontis filia Iaſoni quem deperibat nuberet, coronam auream miſit ei nuptiarum die, cumq; eam capiti ſuo impoſuiſſet Glauca, exarſit flamma, ex qua repente obiit, vt Euripides in Medea ſcribit, φαρμάκων τῶν σῶν ὕπο, inquit, hoc eſt, non venenis tuis, ſed pharmacis. Medea enim ſuos ipſius liberos dicitur ſacrificauiſſe, vt Glaucæ mortem inferre poſſet: quod è ſacrificiorum genere oportet accipi, l. ex Senatuſconſulto, de ſicar. ff. Ex Sc. eadē legis Corneliæ pœna tenetur, qui mala ſacrificia fecerit, habuerit, puta deteſtabilia Magorum ſacrificia, non a. Pagano-

a Lib. 9. cap. 17. de hiſtoria animalium.

b Lib. de Morbo ſacro.

ganorum (vt Accurſius in gloſſa tradidit) cum auctor ipſe legis Paganus eſſet: vnde apparet Senatum ad legis contra ſicarios latæ interpretationem decretũ addere in eos qui ſcelerata Magorum ſacrificia fecerint, habuerint. Verum vt optime differentia conſtet veneni à ſortilegio (quod vtrumque ſonat φαρμακεία, vt Latina voce veneficii & naturale venenum & ſortilegium deſignatur) Platonem lib. 11. de legibus oportet conſulere. Alterum enim ab altero diſtinguens capitalem pœnã in Sacerdotes & aruſpices decernit, qui ſacrificiis, ligaturis, incantationibus; aliiſue ſortilegiis (ἢ τῶν τοιούτων φαρμακείων ὡντινωνοῦν, inquit) hominem enecauerint. Atque hæc legis illius inſcriptio, λόγος ὅδε ὁ νόμος περὶ φαρμακείας: in quà ligaturas eiuſmodi nominat illecebras & incantamẽta κατὰ δεσπέσεις, ἐπαγωγὰς, ἐπωδὰς. Tum vero alterum legis caput ſubiicit de eo qui veneficio ἄνευ μαντικῆς vtitur: deinde Magos adiicit mirabilibus modis operari, & qui incredibiles plane viderentur niſi obſeruaiſſent alii, cum cereas ſuas imagines in compitis, ad parentum ſepulchra, ſub ianuis ponerent. Ex quibus manifeſtum eſt iam Platonis ſeculo & ante illud in vſu fuiſſe cereos typos, quos Magi noſtri (licet Platonem non legerint) imitantur, & quibus ope Satanæ mortem hominibus afferunt. Quamobrem Azo in hæc verba l. 1. de maleficis & mathematicis, plus eſt occidere veneno quam gladio, addit, venenum arte magica datum: & in l. venenum. ad l. Corneliam de ſica-

riis,& l.venenum. de verb. ſignif. ff. vox veneni vtrumque complectitur. Sed quoniam Wierus ambigua Ioſephi interpretatione nititur, agedum,ne legem Dei amplius corrumpat, τὸ ὁμώνυμον ei detrahamus.Philonem igitur Hebr. cōſulamus ſocium Ioſephi & familiarem: hic caput illud legis Dei Hebræis verbis conſcriptum Græce interpretans in libro de ſingularibus legibus,lex Dei,inquit *a*, à Magis & veneficis abhorret (μάγους καὶ φαρμακευτὰς vocat) qui modis artibuſque damnandis mille mala perpetrant, & eos quo die fuerīt intercepti morte mulctari iubet: quemadmodum ſancit l.vltima.de malefic. C. vt qui Magum retexerit illico ad publicum pertrahat. Tum explicatis magorū & maleficorum ſceleribus Philo naturalē Magiam, id eſt, Phyſicam ab incantatorum magorū præſtigiatorumque magia diſtinguit exorciſmis & incantationibus abutentium, odia capitalia amicis ingerentium, aliaque ſcelera incredibilia committentium. Ex his itaque euidens Io. Wieri calumnia tenetur manifeſto, defendentis legem nolle vt mulieres Magæ, ſed veneficæ ſolum mulctentur morte. In hac quæſtione omnium maxima diutius hæreo, vt cognoſcatur an tot innocentes, vt Wierus loquitur, abſolui oporteat, & vtrum præſtet calumniis hominis inſiſtere quam autoritati legis diuinæ obſequi, quæ præſtigiatricē die vnico relinqui vetat ſuperſtitem. Et quis,obſecro, Hebræam linguam & Dei legem melius quam Hebræi & Prophetæ intelli-

a Lib. περὶ τῶν ἀναφερομένων ἐν εἴδει νόμων.

Intelligat? Elias autem Leuites omne ὁμώνυμον ſublaturus vocem Mecaſpha exponit Lamiam, qua voce Horatius *a*: *a* In arte poetica,

Neu pranſæ Lamiæ viuum puerum extrahat aluo.

Heſychius λαμιώδεις γυναικὰς nominat; etſi Euſtathius in Homerum ſcribit *b* voce Lamiæ ſignificari dæmonem ſpecie muliebri, eodemq; ſenſu ait PhiloſtratusLamiam pueros deuorantem Corintho ab Apollonio Tyaneo expulſam eſſe. *b* in Odyſſ, 13. num. 33. vide Dion. Chryſoſt. in Lyb. fabu. in vita Apollonii. Wierus dicit Scripturam ſacram nuſquam Lamiarum meminiſſe: certe, nam vox Græca eſt, at teſtamentum vetus ſcriptum Hebraice; Eſaias vero ob ſortilegia Babylonem deteſtatus ait, non eſſe mãſurum lapidem vnum alteri impoſitum, prout re vera effectũ eſt (iamdiu enim non potuit quiſquam lapidem vnicum è ruderibus oſtendere illius oppidi, cuius ambitus fuit milliarium triginta, ſiue itineris tridui, vt narrat Herodotus) ſed illic Satyros & Dæmonas ſaltaturos eſſe, & ibi commoraturam Lamiam. Hebraice vocatur לִילִית, 72. interpretes ἐμπῦσαν vertunt, Latini Lamiam eodem ſenſu. Cum autem plerumque Dæmones ſpectentur in deſertis locis, prout eſt maxima ex parte Africa, Lamiam in hiſtoria Africana deſcribit Dion ſimilem feræ habenti vultum fœminæ elegantiſſimum, mammas & pectus pelliciendis viatoribus regenti, modeſtis & gratis oculis: cæterum loco pedum habere ſerpentis caput, & ſquamigerum ſerpentem eſſe, qui hominem cum primũ acceſſit vorat auidiſſime: quo referri poteſt

illud

illud Ieremiæ, Lamiæ nudarunt vbera, Threno. 4. ideoq; iſti ſpiritus voratores appellantur ſiue Lamię παρὰ τὸ λέλαμμαι, aut à voce λαμὸς, id eſt, ingluuies, vt ait Porphyrio *a*: & eodem iure piſcis omnia deuorans, etiam homines integros, teſte Nicandro Colophonio *b*, appellatur Lamia: cumque Sagæ humanum ſanguinem hauriant auidiſſime, eas Apuleius nominat Lamias. Sic ea nominatur quæ ſectis faucibus Socratis (id ſodalis Apuleii nomen) accubantis ei atque dormientis ſanguinem excepit vaſe & obduxit plagam: quod experrectus Socrates ſe non ſentire dicebat ludificabaturque, & poſtridie tamē vita defunctus eſt. Huc illa pertinet Salomonis allegoria, Aquilam pullos ſanguine paſcere, id eſt, Satanam iſto cibo ſubditos ſuos educare: & à dæmonibus ſpiritibuſque malignis amari ſacrificia ſcribit Porphyrius libro περὶ ἀρχῆς τῶν ἐμψύχων. non indigno qui latinus fiat. Quamobrem Deus populum ſuum à ſacrificiis dæmonum auocare volens, ſanguinem ſuper altare & ad dexteram eius effundi iubet: atque vt omnes intelligant id à ſe iuberi vt populum ſuum ab impiis illis ſcelerib⁹ abſtrahat, ſic ait; Nec vobis vnquam deinceps accidat, vt euntes ſacrificetis diabolis & Satyris, quos ſequuti commiſiſtis idololatriam & adulteria. Solebant enim (ait R. Moſes Maymonis *c*) dęmonibus ſacrificare ſub arboribus & collibus, partemque ſanguinis in foſſam iniicere, ad cuius ambitum cōuiuabuntur cum malignis ſpiritibus. Sic accipimus illud legis

a In illud Horat. neu pranſæ Lamiæ.

b apud Euſtath. in Odyſſ. 13.

c lib. 3. more nebocim.

legis diuinæ caput *a*. Ne comedatis ſuper ſanguine, & præſtigiatores ne ſitis. Hebræa verba ſunt על הדם, quæ interpretes vertunt *cum ſanguine* præter naturam præpoſitionis על ſignificantis ſuper, quia videlicet morem illum non animaduerterant, quem R. Maymonides ſcribit à Chaldæis profectum eſſe. Itaque Propheta Nahum *b* ſcortũ Babylonis Metropoleos Chaldæorum deteſtatus, dicit Babylonem præſtigiis potentem eſſe, & omnes populos terræ præſtigias ſuas docuiſſe: vbi Propheta vocibus iiſdem vtitur מכשפים & בכשפיה, quæ R. Dauid Kimhi interpretatur בעביתם pari Magorum ſignificatione, & Chaldæus Paraphraſtes Ionathan Vrielis filius exponit חרשין, id eſt, ſortilegia. Hic enim & tollit homonymiam, & verum illuſtrat Scripturæ ſenſum. Id autem foret ineptum, ſi quis venena populis & Regibus terræ à Babylone ſubminiſtrata diceret, cum ſit vbique veneni copia, vt Plinius expoſtulat: Babylonios vero Magorum principes exſtitiſſe apud omnes conſtat, & inter Græcos Latinoſq; conuenit eam ob cauſam Chaldæi nomine ſortilegum ſignificari, diuinum, magum. Sic Heſychius, χαλδαῖοι, τὸ γένος τῶν Μάγων: ſic ſæpe Tullius *c*, ſic leges noſtræ *d*, ſic etiam Scripturæ ſacræ *e*. Nam cum in libro Regum dicitur Iezabelæ Reginæ Samariæ ſortibus inquinata fuiſſe terra, legitur vox illa מכשפים, qua non poſſunt venena intelligi: cum Prophetas Dei (quos odio capitali oderat) & Nabothũ aperta vi,

a Leuit. 19.

b. Nahum. 3. 4.

c Lib. de diuinat.

d l. nemo de malefic. & mathe. C.

e Daniel. 10. Eſai. 47. 1. Reg. 18.

ex ſexus fragilitate accidit: nam inexſuperabilem pertuicaciam in pleriſque cernimus, eaſque ferendo quæſtionis tormento ſæpe viros antecellere: vt coniuratione in Neronem fuit exploratum *a*, & poſt mortem Hippiæ Athenarum tyranni (cum fœminæ ſibi ipſis linguas præciderent vt omnem veritatis conſequendæ ſpem tortoribus eriperēt) & plurimarum quoque fœminarum martyriis. Illud maiorem veri ſpeciem habuerit, ſi dicamus iſtud vi brutæ cupiditatis effici, quæ eo fœminam redigit vt perfruatur ſuis cupiditatibus aut ſeſe vindicet: qua ex cauſa videtur Plato inter virum & animantem brutam, fœminam collocauiſſe. Etenim grandiora eſſe videmus fœminarum viſcera quam virorum, qui non perinde feruent cupiditatum violentia: hominum vero capita craſſiora, quia plus cerebro prudentiaque valent quam fœminę. Hoc illud eſt quod Poetę olim figurabant, cum Palladem ſapientię Deam è Iouis cerebro natam ſine matre dicerent, vt oſtenderent nunquam à mulieribus manare ſapientiam, quę naturam brutarum animantium accedunt propius: nam etiam fœminam, quę ſeduxit virum, Satanas primum aggreſſus eſt. Pręterea ſic Deo viſum fuiſſe ſtatuo in ordinem cogere & debilitare Satanam, cum facultatem plerumque ac inprimis ei concederet in creaturas indigniores, puta ſerpentes, muſcas, & alias quę lege Dei immundę dicũtur eſſe, deinde in alias ſimiliter expertes rationis potius

a Tacitus lib. 14.

tius quam in homines, tum in fœminas potius quam in viros, poſtremo in eos potius qui vitam more pecudum brutarum trãſigunt quam in cæteros. Adde quod Satanas fœminarum opera viros & liberos eodem pertrahit. Stabit itaq; diuinæ legis conſtitutio, præſtigiatrices ſtatim morte mulctari oportere: & Wieri calumnia contra legem Dei & magiſtratus probe officio fungentes repudiabitur. Wierus enim aſſentitur *a* Sagis communicationem cum diabolis & pactum intercedere, eaſque ope diaboli non pauca ſcelera committere: idem vero libro de Lamiis modo pactionem interueniri negat, modo probari non poſſe ait, modo Sagarum confeſſioni non habendam fidem, falli quæ putant ea fieri à ſe pro confeſſione dicunt, eas morbo melancholico infeſtari. Atque hunc prætextum imperiti & Magi adhibent, vt effugium paribus afferant, regnumque Satanæ adaugeant. Quicunque antehac dixerunt id eſſe à melancholia, non eſſe dæmonas putauerũt, nec fortaſſe dæmonas Deumue vllum crediderunt ſubſiſtere. Wierus autem Deum fatetur eſſe, fatentur etiam diaboli (vt in Scriptura legimus) & de potentia illius cõtremiſcunt: fatetur etiam omnibus ſcriptis bonos & malignos ſpiritus exiſtere, quibus cum homine ſocietas pactumque interuenit. Et quare Magorum exportationes, maleficia, actioneſque mirabiles oportuit acceptas ferre melãcholiæ? quare (id quod eſt incredibilius) fœminas melancholicas efficere? nam

a Lib. 2. de præſtig. ca. 4. & 8 & 34. & lib. 4. cap. 14. & lib. 5. c. 9. & ſæpe alibi.

id

id eſſe admirandum notauit antiquitas ac inauditum potius, cum nunquam fœmina ex melácholia aut vir gaudio moriatur, ſed contra fœminas complures ſumma lætitia enecat *a*. Certe Wierus, vt eſt Medicus, nõ poteſt ignorare humorem fœminæ plane aduerſari aduſtæ melancholiæ vnde furor naſcitur, ſiue à bile flaua aduſta oriatur, ſiue à ſucco melancholico, vt inter omnes medicos conuenit: Vtrumq; enim procedit à calore & ſiccitate nimia, vt Galenus ſcribit libro de atra bile. At fœminæ frigidę à natura & humidæ ſunt, vt idem autor, omnes Grçci, Latini, & Arabes vno conſenſu docent. Ideoq; Galenus *b* ſcribit virum calida & ſicca conſtitutione in regione calida & ſicca per æſtatem in melancholiæ morbũ incidere: cum tamẽ Olaus magnus, Gaſpar Peucerus, Saxo Grammaticus, & Wierus ipſe cum Germanicis omnib. Magorum Quæſitoribus aſſentiantur ſub Arcton vbi congelaſcit mare, in Germania, per Alpes, & apud Allobrogas omnia Sagis circũfluere. Populos autem Boreales conſtat tam abeſſe à meláncholia, quam abſunt à pituita Afri. Illos enim albos eſſe videris, virentibus oculis, rufis & tenuibus capillis, rubicũda facie, hilares & loquaces: quę omnia humori melancholico plane aduerſantur. Quinetiam Hippocrates libro ἐπιδημιῶν primo, & Galenus ibidem confirmant fœminarum in genere certiorem eſſe quam virorũ valetudinem ob profluuium menſtruum, quo ab innumerabilibus morbis vindicantur.

a Plinius lib. 7. Valerius Max. Solinus.

b Lib. de atra bile.

Nunquam fœminæ, ait Hippocrates, podagra, nunquam pulmonum exulceratione, Galenus

a Lib. de venæ ſectione.

inquit *a*, nunquam epilepſia, aut apoplexia, aut phreneſi, aut lethargo, aut conuulſionibus, aut tremore infeſtantur dum menſes profluunt. Et

b Lib. de morbo ſacro.

quamuis dicat Hippocrates *b* comitialium & dæmoniacorum morbum (quem vocabant ſacrum) naturalem eſſe, hunc tamen pituitoſis ſolum ait accidere, bilioſis nunquam: quod Wierus Medicus non potuit ignorare. Fœminas autem fere dæmoniacas potius eſſe quam viros ſupra demonſtrauimus, & Sagas ſæpe corpore exportari, ſæpe ἐκστατικῶς abripi modis diabolicis, animaque à corpore ſeparata, & corpore rigente experte ſenſus. Illud vero Magis ridiculum, quod Sagarum morbus dicitur à melancholia procedere, cum morbi ex melan-

c Galen. lib. de atra bile.

cholia nati periculo ſemper coniuncti ſint *c*. Verumtamen videmus Sagas in arte iſta quadraginta annos aut quinquaginta verſatas inde à duodecimo ætatis anno (vt Ioanna Haruilleria, quæ viua cremata eſt die 29. Aprilis M. D. LXXVIII. & Magdalena Crucia Cordubenſis Abbatiſſa in Hiſpania M. D. XLV.) familiaritatem coluiſſe, & conſortium cum diabolo habuiſſe, illam quadraginta, hanc triginta annis. Neceſſe eſt itaque Wierus fateatur inſulſum eſſe, indignum Medico, & craſſiſſimæ ignorantiæ vitium (etſi ignorantiam quid dico?) ſi melancholici morbi fœminis tribuuntur, quibus illi non Magis competunt quam

lauda-

laudabilia effecta temperatæ melancholiæ, quæ virum (vt priſci omnes philoſophi & medici annotarunt) ſapientem, modeſtum, & conſideratum efficit: *a* nam affectiones iſtæ non mulieri amplius quam ignis aquæ cohærere poſſunt. Salomo *b* quoque ante omnes temperamenti muliebris peritiſſimus ſe vidiſſe ait de millenis viris ſapientem vnum, ſed ex omnibus fœminis ne vnam quidem. Nunc igitur lymphatorum hominum errorem omittamus, qui fœminas ſtatuunt eſſe melancholicas. Etenim Wierus ipſe videns ſuum illud velum melancholiæ certiſſima demonſtratione ſublatum eſſe, & euidētiſſima veritate tot diuinarum humanarumque legum, tot gentium omnium & populorum hiſtoriis, tot confeſſionibus volūtariis aut vi extortis, tot iudiciis, conuictionibus, condemnationibus, executionibus ab annis ter mille toto orbe terrarum editis: alteram techna̅m ſed obeſiorem commentus eſt, vt Magorum ſupplicia impediat: cum Sagas dixit *c* à diabolo ſeductas eſſe, eiſq; perſuaſum eſſe quod ipſe fecerit id ab eis effici. Itaque in ſpeciem ſe vehementiſſime Satanæ aduerſari ſimulat, re conſeruat Magos, id eſt (vt paucis explicemus) colludit verbis cum Satana, reipſa vero amplitudinem & poteſtatem illius ſtabilit, cum non ignoret magiſtratui neque iuris dicundi, neque diabolos prehendendi facultatem eſſe. Atqui hoc argumento abſoluuntur non ſolum Magi, ſed etiā occiſores omnes, latrones, ince-

a Ariſtot. in problem. ſectio. 30. prin.
b In Prouerb.
c Cap. 4. & ca. vlt. de Lamiis.

ſtuoſi, parricidæ, & quicunq; ab hoſte humani generis ad maleficia committenda impelluntur. Deinde vero laudibus effert mirifice *a* mulctam in Papali Camera imperatã, quæ ad veniam conſequendam binum ducatorum eſt in quamque pœnitentem Sagam: tum dicit alibi *b* ſi defenderet non ſolum ex lege Dei non eſſe mortem Sagis irrogandam, ſed ne vllam quidem Sagarum mentionem exſtare in Scriptura ſacra, ipſum non facile conuictum iri. Hic ego teſtem appello Deum & legem ipſius ad iſtum hominem euincendum, appello ſexcentos Bibliorum locos *c*. Imo vero vt cernamus oculis nihil eſſe corã Deo tam abominabile, nihil frequentius in Scriptura ſacra prohiberi, Baleham à Deo inſpiratus, quamuis ſummopere inſtante Balaco Moabitarum Rege ne faceret, populo Iſraelis benedixit, & tanquam Propheta rationem reddidit: nam neq; incantator eſt, inquit, neq; Magus in iſto populo, ſed Deus ipſi cum opus eſt exponit volũtatem ſuam. Cumq; Deo placuit oſtendere quantopere à magicis ſortibus abhorreret, inquit, Cauete vobis pro vita veſtra, ne ſequamini conſuetudines abominandas iſtarum gentium quas excidi è terra propter ſortilegia, magicas artes, & diuinationes, atque ibidem nouem recenſet genera quibus reliqua continentur *d*. Sed illud inprimis oportet obſeruari, non homicidii, parricidii, inceſtus, tyrannidis, idololatriæ nomine Deum dicere populos illos à ſe exterminari, ſed ob ſortes magicas:

a Lib. de Lamiis cap. 24.

b Lib. 3. de præſtig. c. 35.

c Exod. 7. & 8. & 9. & 22. Leuit. 19. & 20. Deut. 18. 2. Reg. 9. & 21. & 23. 2. Paral. 33. Eſai. 8. & 34. & 47. Daniel. 2. Mich. 3. & 5. Ezech. 13. Ierem. 19. 23. 27. & 50. Actor. 16. Nahum. 3. Num. 13.

d Deut. 18.

cas: & quoniam populi ſuos liberos diabolo Moloch conſecrabant ad faciẽda ſortilegia ſua, Deum præcipere vt quiſquis rem iſtam abominãdam commiſerit lapidibus obruatur *a*, morte omnium (vt R. Maymonides ait *b*) crudeliſſima: tum vero Deum adiicere ſe furorem ſuum immiſſurum contra populum qui impune ſcelera iſta abire ſiuerit. Itaque volens Samuel grauitatem peccati regi Sauli exponere, Peccatum, inquit, tuum æque magnum eſt ac Magorum crimen. Similiter vt demonſtretur quantopere Manaſſem Regem Deus exhorruit, ſcriptum eſt Manaſſem ſuis execrandis ſceleribus prouocaſſe Deum, atque ſubiicitur eum fuiſſe Magum, & conuentionem cum diabolis iniuiſſe: itaque ſpoliatum fuiſſe regno, & numella in carcere fuiſſe coercitum. Et quamuis eum poſtea pœnituerit, eo tamen exſtincto poſt annos quinquaginta Ieremiæ dixit Deus *c* Igne & cædibus delebo iſtud oppidum propter execrabilia ſcelera Manaſſis Regis: de loco vero Topheth vbi Satanæ ſacrificauerat, dicitur is fore locus cædium ad vindictam iræ diuinæ (vt contigit) exercendam. Similiter libro IV. Regum cap. 17. dicuntur decem tribus exterminatæ & in exilium raptæ, quod in res Magicas & ſortilegia incumberent. Atque hos quidem locos apprime conuenit obſeruari; nititur enim hoc vno crimine decem tribuum captiuitas: de duabus autem reliquis tribubus dicitur Deus (qui ad vltiones eſt tardiſſimus) poſt annos quinqua-

a Leuit. 20.
b Lib. 3. more nebocim.
c Ierem. 19. & 15.

ginta ſortilegia Manaſſis vindicaſſe, cum igne cædibuſq; permiſta fuerũt Hieroſolyma & duæ
a Ierem. 15. tribus deportatæ. Alibi vero dicitur *a*, Gladiꝰ ad diuinos, gladius ad Chaldæos: & apud Michæ-
b Miche. 5. am *b*, delebo è terra Magos diuinoſque. Et cum Eſaias euerſionem Babyloni minatur, cædes & incendia, omnes hę calamitates, inquit, euenient tibi propter amplitudinem ſcelerum tuorum execrabilium quę commiſiſti cum Magis tuis. Deniq; infinitũ eſſet omnes ſacræ Scripturæ locos minutatim expendere: vt miſſos faciamus Doctores, Legiſlatores, Philoſophos, Hiſtoricos exemplis circumfluentes, ex quibus apparet Magos poſt omnem hominum memoriam Deo & hominibus viſos fuiſſe execrabiles. In hanc quoq; ſententiam ſupra annotauimus ab Auguſtino ſcribi, ſupplicia contra Magos ab omnibus ſectis decreta eſſe: vt demonſtraremus Wierum quidem legiſſe optime & intellexiſſe pœnas diuinis & humanis legibus conſtitutas, ſed de induſtria appetiuiſſe cauillis atque calumniis, cum eas non de Magis dixit, ſed de veneficis ſolum agere. Iam igitur videamus quid Lamiarum nomine intelligat: in hoc enim vertitur tota diſputatio. Hæc Wieri definitio *c*. La-
c Lib. 7. de præſtig. cap. 1. & lib. de Lamiis, cap. 5. mia eſt quæ ob fœdus præſtigioſum aut imaginarium cum dæmone initũ, proprie ex ſuo delectu, vel maligno dæmonis inſtinctu impulſuue, illiuſq; ope qualiacunq; mala vel cogitatione, vel imprecatione, vel re ludicra atq; ad inſtitutum opus inepta deſignare putatur: id eſt (vt

paucis

paucis contraham) Saga eſt quæ putatur fœdus habere cũ dæmonibus, & id quod non facit ope eorum facere. Hic vero nemo non videt, ſi multum Wierus ab arte medica aberrauit cum de melancholia fœminarum ageret, eum iterum errare in ratione Dialectica & longe grauius, cũ definitionem in imaginatione ponit; proprium enim definitionis munus eſt vt tanquam digito pertingat & commonſtret oculis germanam rei naturam ſiue eſſentiam, cuius eſt definitio. Id vero magis eſt ridiculum, quod in definitione ſex diſiunctiones coaceruat: cum vitioſa ſit definitio, ait Ariſtoteles *a*, quæ vel vnicam diſiunctionem continet, velut ſi dixeris, occiſor eſt is qui percutere putatur, aut occidere, aut ludificari alterum. Huic perſimilis eſt Wieri definitio. Atqui ſi ea Saga eſt, quæ putatur eſſe, & non eſt Saga aut Lamia, certe nec fuerunt de Lamiis ſcribendi libri, nec perueſtiganda rei quæ non eſt definitio. Primũ enim quæritur vtrum id quo de agitur ſit in rerum natura, necne igitur an ſit; tum quid ſit, deinde quale ſit, poſtremo cur ſit. Librum igitur Wieri de Lamiis deleri oportuit, non autem rei quæ nuſquam eſt definitionem poni: qui lapſus in re philoſophica eſt vitioſiſſimus. Wierus tamen ſortilegum *b*, quem Magum infamem vocat, definit eum qui conatur accerſere & inuocare diabolum, vt ſe exhibeat & ad poſtulata reſpondeat. Hæc paucis placuit annotare: nam Wieri definitio paginam prope continet, ac diſiunctiones

a Lib. 6. Topic.

b Lib. 2. de præſtigiis cap. 2.

duodecim. Non ita facile conuinci Petrus de Appono potuit, qui Dæmonas exiſtere non audebat confiteri, tum vt eleuaret opinionē vulgi (nam Magus habebatur vulgo) tum vt alios eodem perduceret: at Wierus poſtquam confeſſus eſt eſſe malignos ſpiritus, etiamq; indicē eorum cōſcripſit ad fin. lib. de præſt. Magis præterea confeſſus eſt communicationem cum Satana & fœdus intercedere, mirum eſt profecto quod idem negat Sagam cum Satana fœderatam eſſe, idque totum imaginarium aſſerit, cum diſerte lex Dei Sagę cum maligno ſpiritu fœdere iunctæ meminerit. Quia vero Inquiſitores quinque *a*, qui ſummatim infinitum Sagarum numerum conſcripſerunt, quæ in Germania ipſis autoribus fuerunt neci traditæ, compererunt ex confeſſione omnium eas cum Satana fœdus conſertis manibus pepigiſſe, hic Wierus *b* adducit fieri non poſſe vt conſerantur manus, quia dæmones, inquit, non carnea ſed ſpirituali concretione conſtant. Atqui vox concretionis naturæ ſpirituum omnino aduerſatur: nihil eſt, ait Tullius *c*, in animis concretum, nihil miſtum: idque ex Ariſtotele *d*, qui intellectum vocat ἀμικτον καὶ ἀπαθῆ. Quod ſi in ſpirituum natura concretio admittitur, id quoque fatendum erit eis eſſe corpora: vt fecit Auguſtinus ſequutus definitionem Apuleii, qui dæmonas vocat natura corporeos, item Philoponus Peripateticus *e*, Porphyrius *f* Iamblich' *g*, Plethon, Pſellus, Plotinus Academici, & Gaudentius

Merula

a In malleo maleficarum.

b Lib. de Lamiis, cap. 7.

c In Tuſcul. qu.

d Lib. 2. de anima.

e Lib. de anima.

f Lib. περὶ ἀποχῆς τῶν ἐμψύχων.

g Lib. de myſter.

Merula, hoc vno argumento freti quod res incorporea non poſſit quicquam à corporea perpeti. Itaque Baſilius ipſe æque Angelis ac Dæmonibus eſſe conſtituit corpora, eademque occaſione veteres dixerunt, dæmonibus diuiſionem contingere. Communis vero Theolog. opinio, ac nominati Ioannis Damaſceni, Gregorii Nazianzeni, Thomæ Aquinatis *a* & Magiſtri ſententiarum eſt, Dæmonas & Angelos eadem natura eſſe, omnes formas puras ſimplices; quamuis in eam quoque rem conſentiunt, bonos & malignos ſpiritus ſibi cum opus eſt formare corpus aſpectabile, vt id σωματικῶς efficiant, quod volunt. Plena eſt Scriptura exemplis, vt viſionis Abrahamo oblatæ, Iacobo, Moſi, Eliæ, Manohæ, Abacucho, Tobiæ, aliiſque innumeris. Pleni ſunt libri Iamblichi de myſteriis Ægyptiorum, Plutarchi *b*, Procli, Porphyrii, & Plotini, denique omnes totius antiquitatis libri ad noſtrum vſque ſeculum: vt Olaus Magnus ſcribit, frequentiſſime in regionibus ſingulis ad Boream ſitis ſpiritus ſpectari humana forma, qui tangunt hominum dexteras, poſteaque euaneſcunt. Verumtamen ponamus nec naturæ concretionem in dæmonibus eſſe, nec eos corpus vllum aſſumere, ſed naturas eſſe puras, ſimplices, & plane diſparatas, vt de Angelis ſiue intelligentiis loquitur Ariſtoteles: Wierus tamen negare non poteſt, quin velit illudere, cum argumento iſto abutitur, vt probet, nullum pactum hominibus, nullam cõuentionem

a lib. 3. Sentent.

b lib. περὶ τῶν ἐκλελοιπότων χρηστηρίων.

cum Satana intercedere. Etenim ad conuentionem ſimplex conſenſus ſufficit, qui conſenſus ſine ſtipulatione, ſine verbo, ſine ſcriptura, oculo & nutu ſolo, ait lex *a*, fieri poteſt. Imo Wierus ipſe annuit, Magos paciſci & conuentionem inire cum Satana, & hunc eos alloqui & reſponſa dare. Cur vero Magos potius quam Magas? nam lex Dei de Magis fœminis diſerte loquitur, & nos fœminas exemplis innumeris infeſtiores hoc malo quam viros eſſe ſupra commonſtrauimus. Amplius etiam Wierus aſſentitur *b*, dæmonas ſibi corpora hominum beſtiarumque aſſumere: adeo vt ex ſcriptis ipſius iudicari queat contradictio, & ἀνακόλουθον concluſionum ipſius vinci. Nobiſcum enim in eo conuenit, quod dæmonas tradit exportare homines & in aera efferre ſine corpore: cuius rei plurimas adducit hiſtorias *c*, & viſas à ſeipſo narrat. Ridet quoque Wierus *d* ſuauiter Magorum cum dæmonibus copulationem, quam omnis antiquitas omneſque populi certiſſimam eſſe duxerunt, & Theologi confirmarunt. Auguſtinus ipſe libro 15. de Ciuitate Dei, magnæ impudentiæ ſcribit eſſe, ſi quis hoc negauerit. Hæc illius verba: Dæmones creberrima fama eſt, quos Latini Incubos, Galli Duſios vocant, mulierem attentare atque peragere concubitus: & hanc aſſidue immunditiam & attentare & efficere plures taleſque aſſeuerant, vt hoc negare impudentiæ eſſe videatur. Conſtat apud omnes, non eſſe moris, vt fœminæ de ſcortationibus

a l. nutu, de legat. 3. ff. lib. 2. de præſtig. cap. 2.

b Lib. de Lamiis, cap. 16. & lib. 3. de præſtigiis, cap. 12. & lib. 4. cap. 14.

c Lib. 3. & 4. de præſtigiis.

d Lib. de Lamiis.

nibus ſuis glorientur: qui ergo faterentur illæ, rem ſibi fuiſſe cum diabolis, niſi ita ſe habuiſſet? Omnes autem Germaniæ, Hiſpaniæ, Galliæ, Italiæque Iudices monumentis literarum conſignarunt, & nos legimus, Sagas omnes iudicio ipſorum condemnatas, fuiſſe confeſſas & in ſuis confeſſionibus ad mortem vſque perſtitiſſe, complures etiam quibus venia data eſt dixiſſe, copulationem ſibi fuiſſe cum dæmonibus, & frigidum illorum ſemen expertas eſſe, vt ex libro Quæſitorum quinque *a* (per quos innumeri fuerunt ad mortem damnati) & ex Paulo Grillando *b* didicimus. Demonſtraui ſupra multis ſingularium iudiciorum exemplis, quæ ad me perlata ſunt, id optime cum factis ἀβασανίστως confeſſionibus, tum conuictionibus certis comprobari: neque dubium eſt, quin ſcortationis corporeæ cupiditas fœminas præſertim ad ſpiritualem ſcortationem pertrahat. Huc referri poteſt abominanda illa & execrabilis impietas expreſſa Lege *c*, qua omnes qui diabolo Pehoris ſeſe cõiunxerant, miſere dicuntur periiſſe. Cumq; lex Dei *d* prohibuit, ne Saga ſinatur viuere, paulo poſt ſubiicit, qui animanti brutę concubuerit, plectatur morte. Verborum autem in lege Dei ſeries obſcure perſtringit turpia & incredibilia ſcelera. Sic vbi dicitur: Nõ offeres Deo mercedẽ meretricis aut pretiũ canis, ſcortorum cõiunctio cum canibus oſtenditur, quam inſignibus exemplis ante demonſtrauimus: & Leuitici 17. dicitur: Nec euntes amplius ſacri-

a In Malleo maleficarũ.
b Lib. de ſortileg.
c Deut. 4.
d Exod. 22.

ſacrificabitis Satyris, veſtris diabolis, poſt quos ſcortati eſtis. Sed cum Wierus Medicus animaduerteret, neque oppilationem hepatis, neque lienteriam ſanis & incolumibus fœminis adſcribi poſſe, atque hunc morbum dormienti ſolum accidere: à tota vero antiquitate non ſolum dæmonum (quos Græci Ephialtas, Latini Incubos vocant) cum fœminis copulationem, ſed etiam virorum cum dæmonibus ſpecie muliebri, Hiphialtas vocant aut Succubos, eamque inter vigilandum fieri, & in quibuſdam 30. aut 40. an. perdurare, vt ipſe Wierus agnoſcit: propterea non dixit, hunc morbum eſſe in Magis, ſed negauit, dicens, fœminas eſſe melancholicas, quæ id ſe putant facere quod non faciunt. Atqui nunquam ex eis cremantur furioſæ *a*: ſed fraus in eis cernitur, diſcretio, iudicium, quo negant conſtanter factum, vt quædam faciunt, aut excuſant veniamque poſtulant, vt aliæ, aut ſe abdunt & proripiunt fuga, quæ actiones furioſorum non ſunt. Adde quod conuictiones, teſtimonia, comparationes teſtium, & confeſſiones gentium omnium ad Indos occidentales vſque maximam inter ſe habent conuenientiam & ſimilitudinem, itē dæmonum cum fœminis copulationes: vt in hiſtoriis Indicis legimus, & ſupra annotauimus. Vnum ex Wiero libenter quæſiuerim, quiſnam iſte ſit Sagarum morbus, quo puerulos qui deprehenduntur occiſi putant ſe occidiſſe, quo elixant & liquant eos, vt pinguedinem ex eis habeant, vt fatentur illæ

a l. diuus, de offic. præſid. ff. l. pœna, §. ſane de parrici. ff.

illæ & ſæpe compertæ ſunt. Imaginantur (ait Wierus *a*) ſe id totum effeciſſe, falluntur tamen: Cui vero in tam execrando ſcelere fides habebitur, niſi oculis habeatur? niſi ſenſui? niſi tactui? niſi inculpatis teſtibus? niſi confeſſionibus voluntarie aut ad quæſtionis tormenta factis? niſi denique euidenti & permanenti facto, vbi fuerint deprehenſæ? Sprangerus ſcribit *b*, obſtetricem vnam, quæ frequenter aderat puerperiis, in Conſtantienſi agro fuiſſe morti traditam, eo quod 41. pueros recentes ab vtero necauiſſet, inditis clam in eorum capita grandibus aciculis. Eadem parricidia à Medea Saga legimus fuiſſe perpetrata, cum modo fratrem, modo ſuos ipſius liberos occideret. Sortes quoque magicas Canidiæ apud Horatium legimus *c*, Erichthonis apud Lucanum, bufones, angues, oſſa, quæ Sagæ noſtræ plerumque ferunt & quibus comperiuntur inſtructæ. Nulla ſors magica eſt, quam Orpheus ante annos fere ter mille non deſcripſerit, & Homerus ex parte, quam lex Dei ante annos ter mille quingentos non annotauerit. Supra ex Ammiano exemplum Magi adduximus, qui mulierem grauidam exſecuit, vt haberet fœtum, Valente imperium obtinente. Ante annos 100. Raziorum Baro conuictus eſt, quod poſt multas puerorum cædes vxorem ſuam prægnantem conatus ſit diſcindere, vt Satanæ ſacrificaret filium, idque edoctus à Satana, cui nihil gratius poteſt accidere: non autem vt pingue haberet ad res deteſtabiles con-

a Lib. de Lamiis cap. 8.

b In malleo malefic.

c Lib. Epodon. ode 5.

conſumendum. Iſta Satanę eſt perſuaſio, vt Magos adducat ad parricidia: nam pingue infantis defuncti ex natura lege ineptum eſſe ſuis rebus prædicant. Demonſtrauit modo id exemplum, quod adducebamus puerorum 41. quos interemit Saga, necdum baptizatos, ſed Satanæ conſecratos. Wierus autem ſimulans ſe nihil eorum credere, quæ tam bene quàm magiſter ipſius Agrippa nouit, auſus eſt ſcribere ac potius fingere, ſe Baptiſtæ Portæ Itali opinionem ſequi, eumque ſummopere laudibus euehit. Scribit tamen iſte, Sagas ſibi confeſſas eſſe, vnguentum à ſe ex pueris elixis & liquatis fieri, & pharmaca quædam adhiberi, quæ hic diſſimulari præſtat. Sic re ipſa docet, parricidia iſta committere, idque ex falſa diaboli perſuaſione hoc vnguento fieri, vt homines huc illuc tranſuolent. Sagæ autem Gallicæ nec agiliores nec leuiores ſunt Germanicis aut Italicis: verumtamen pars earum maxima (vt in Cenomannis, Verberianis, Lognianis apud Poteзanos, quas ante obſeruauimus) ſcopis ſolum, quas inter crura ponebant, & verbis quibuſdam vtentes, in aera ſubito attollebantur: & Paulus quoque Grillandus earum plurimas, quas in Italia necari vidit, confeſſas narrat, hircum ipſis præ foribus adeſſe, quem conſcendebant exportandæ ſine pingui vnguentove vllo. Baptiſtam Italum in libro de Magia, id eſt, ſortilegio, & Wierum in id videmus incumbere, vt iſtud vnguentum eſſe doceant facultate naturali & ſoporifera, ne quis pe-

ricu-

riculum dubitet facere. Etenim herbæ ſoporiferæ ſunt mandragora, papauer, ſolanum mortiferum, hyoſciamus, cicuta: at nunquam Medicus Græcus, Arabs, aut Latinus exſtitit, qui dorſo, brachiis, cruribus vnguenta impoſuerit, quibus eo vſque hominem ſoporaret, vt plane careret ſenſu. Sin autem quid extrinſecus adhibuerit, frontale fortaſſe fuerit ex ſeminibus frigidis, quæ miſtionibus & infuſionibus emendantur. Pingue vero (vt Medicorum placitis exponitur) calidum eſt & inflammat natura ſua. Quo igitur pacto afferret ſomnum, ſiue dorſo ſiue brachiis adhibitum? ſomnum enim faciunt venę carotides ſanguinem à corde ad cerebrum exportantes, & lenis humorum fluxus (qui vt vapores in aerem, ſic in cerebrum aſcenderunt) ſuauiter in partes cordi adiunctas recidens. Verum vt doceamus, animam à Satana extra corpus abripi, tanquam ſi vitæ & ſenſus expers relictum eſſet, (quemadmodum in capite de ecſtaſi diſſeruimus) neq; id ſomno ſimplici adſcribendum eſſe, omnia ſimplicia ſoporifera manifeſtum eſt impedire non poſſe, quin homo, quamuis ſoporatus & ſepultus ſomno, ignem cuti admotum ſentiat: Magos vero in ecſtaſin abreptos nec ignem ſentire nec dolorem vllum, eſt exploratiſſimum, vt ſupra demonſtrauimus, in locum Virgilii agentis de Saga:

---*Quæ ſe promittit ſoluere mentes.*

Alio quoque argumento, quod nullæ machinæ labefactare poſſunt, confirmamus, neq; id vnguen-

guentum efficere, neque ſomnum eſſe, ſed vere animam extra corpus abripi: nempe quod omnes qui ſic rapiuntur poſt ſemihoram redeunt, aut ſimulac videtur ipſis: hoc vero homines narcoticis ſoporati non poſſunt, ſed vnum duosve interdum dies obruti ſomno permanent. Vſus præterea comprobauit homines ecſtaſi abreptos, (vt ante oſtendimus *a*) veritatem rerum ad centeſimum miliare geſtarum annotare. Illud vero notari conuenit, vnguenti illius confectionem, quam autor Magiæ naturalis docet, non ex ſimplice vllo ſoporifero conſtitutam eſſe, ſed ex periculoſis venenis compluribus. D. Auguſtinus de hac ecſtaſi (quam certam eſſe & indubitatam affirmat) loquens, & vires diaboli admirans: Serpit, inquit, hoc malum dæmonis per omnes aditus ſenſuales, dat ſe figuris, accommodat ſe coloribus, adhæret ſonis, odoribus ſe ſubiicit. Si ergo dæmones iuſtiſſime annuente Deo animam à corpore ſeparare poſſunt, ecqui non poſſent eos corpore exportare? Illud enim multo plus habet admirationis, ſi ſoluta anima ſeparabitur à corpore atque eodem reuertetur, quam ſi corpus animaque ſimul à diabolo auferantur. Equidem iſtam ecſtaſin ſiue aphæreſin ſecundum legis diuinæ teſtimonia validiſſimum eſſe argumentum iudico, quo demonſtremus, animas immortales eſſe, & Ariſtoteleam illam decidamus hypotheſin *b*, animam, ſi quid poteſt ſine corpore, immortalem eſſe: corpus enim Magorum principes

a In c. de ecſtaſi.

b Lib. 2. de Anima.

pes (qui id experientia, vt Orpheus, cognouerant) carcerem dicunt animæ. Empedocles & Zoroaſtes nobiliſſimi ſua ætate Magi ſepulchrum vocant, Plato σῶμα; corpus, tanquam σῆμα, monumentum, appellari putat, quod Socrates animæ cauernam appellabat *a*. Ad argumenta & rationes iſtas, quas Wierus non ſoluit, adeſt clarorum virorum omnium ab omni ſeculo autoritas Plutarchi *b*, à quo plura & innumerabilia exempla afferuntur, Plotini *c*, Plinii *d*, Auguſtini *e*, Thomæ Aquinatis *f*, Doctoris Bonauenturæ *g*, Durandi, Theologorum denique omnium, item Syluestris Prieræ, Pauli Grillandi *h*, & quæſitorum quinque Germaniæ *i*, qui de innumeris Sagis iudicia habuerunt, & acta earum breuiter in librum vnum retulerunt. Cum itaque præter autoritatem hominum tam multorum, ordinaria quoque ex infinitis iudiciis habeatur experientia, in quibus exſtant teſtimonia, repetitiones, comparationes teſtium; conuictiones & confeſſiones ad mortem vſque ſtabiles, non iſthæc pertinacia eſt Wieri, quod ſententiam contrariam defendit, ſed maxima impietas & ſtudium, quo rapitur vt Satanæ regnum amplificet. Viſa enim eſt Sagarum probatio, quæ cum de nocte abſuiſſent, confeſſæ veram cauſam abſentiæ ſuæ indicarunt. Tempus quoque viſum eſt, cum ii qui recentes in illos cœtus venerant, ope Dei implorata aut earum rerum quas videbant metu aut horrore concepto ſe procul à domo abeſſe compererunt ad

a Lib. 7. de Repub. Plato.
b Plutar. in Romulo.
c Plotin. li de anim.
d Plinius lib. 7.
e Auguſt. lib. 10. & 21. de ci. Dei.
f Thom. in ſecunda ſecundæ, q. 95. art. 5. tit. de ſuperſt. & in tract. primæ partis q. 8. & tit. de mirac. q. 16. art. 5. & 6. tit. de dæmon.
g Bonauen. in li. 3. ſen. diſt. 19. q. 3.
h Grilland. lib. 2. de ſort. ca. 7.
i in malleo malefic.

miliaria quinquaginta aut centum, & eo reuerſi maximis itineribus vnde ipſos Satanas momento exportauerat. Exempla recẽtis memoriæ notauimus, Lochianum, Lugdunenſe, Cenomannicum, Pictauienſe, Caſtellorufſanum, Lognianum, aliaque innumera apud autores à nobis adductes expoſita, qui omnia ſimul Wieri argumenta reſecant dicentis Magos eſſe melancholicos: iſtud enim de duobus ſaltem non poteſt dicere, qui domum itineribus maximis reuerterunt. Quamquam Wierus *a* ſibi ipſi contradicens paſſim aſſentitur Simonem Magum, cui Nero honorariam ſtatuam dedicauit, in aerem volauiſſe: quod priſci etiam Doctores *b* nec pauci conſignauerunt ſcriptis. Summæ igitur dementiæ iſtud eſt, Wierum confiteri Simonem Magũ per aera volitaſſe, & nihilominus contrariam ſententiam affirmare, falſi nempe Magos cæteros qui ſe per aera exportari in cœtus Magorum putent. An minus virium iam habet Satanas quam tum habuerit? hæc enim poſt mortem Chriſti geſta ſunt. Quin etiam Wierus ipſe *c* narrat hiſtrionem Magum à ſe in Germania viſum, qui ſpectante populo cœlum verſus aſcendebat clara luce, cumque vxor pedibus eum prehenderet pariter ſublatam eſſe, hac item comprehenſa ancillam ſurſum abiuiſſe: ita multo tempore in aere verſatos eſſe, corona populi attonita & miraculum admirante. Simile exemplum in Hugonis Floriacenſis hiſtoria legimus, Matiſconenſem quem-

a Lib. de Lamiis, cap. 3.

b Ambroſius in Hexamero, Irenæus, Euſebius, Clemens in itinerario, Hegeſ. lib. 3. de excid. Hieroſ. ca. 2. Niceph. li. 2. hiſt. eccleſ. c. 27. Fulg. li. 8. cap. 11.

c Lib. de præſt.

quemdam Comitem maxima voce clamantem, amici adiuuate me, abreptum in aera & delatum eſſe, nec deinceps viſum: ſicuti nec Romulus apparuit ex quo præſente exercitu in in aerem fuit ſublatus. Quamquam ex contextu Euangelii diſcimus Chriſtum à Satana ad templi verticem, deinde ad cacumen montis fuiſſe exportatum: vnde Aquinas conficit id dubio procul eſſe conſectarium, nihil minus Satanam ex permiſſione Dei aliis quoq; tranſferendis poſſe, cum certiſſime apud omnes ſanos conſtet verum hominem ac non imaginarium fuiſſe Chriſtum. Ego vero ſatis habuero, ſi Wierum ex ſermonibus ipſius & ſcriptis vicero. Idem enim *a* qui ſe homines vidiſſe ſcribit à diabolis in aerem ſublatos, eamque rem non eſſe abſurdam dicit: qui rem falſam ibidem ſcribit, quæſitum fuiſſe in Germania Magum qui ſe pollicebatur liberos Franciſci I. Regis Madrico ex arce educturum & ex Hiſpania in Galliam per aerem deuecturum eſſe, at nihil fuiſſe effectum, quod metueretur ne hoc duce ruerent & ruentibus ceruices diffringerentur: quin amplius libro 4. cap. 19. *b* ſcribit diabolum cauſidici ſpecie agentem cauſam, cum audiret aduerſarium diabolo ſeſe dedere ſi ab hoſpite pecuniam accepiſſet, dimiſſis confeſtim ſubſelliis periurium ſpectantibus omnibus exportaſſe, eamque hiſtoriam re vera in Germania confirmat accidiſſe: qui multis exportatorum à diabolo virorum accumulatis exemplis, id omni-

a Lib. 2. de præſtigiis. cap. 12. pag. 6.

b De præſtigiis.

no certum nullaque ex parte abſurdum concludit eſſe: idem ergo nihilominus in libro de Lamiis rem plane contrariam aſſerit, eoque pacto leuitatem ſui cerebri & confuſam inſtabilitatem omnibus vbique teſtatum facit. Ac multorum quidem Hiſtoricorum & Theologorum repudiat fidem *a*, verumtamen Legenda quoque aurea vtitur, ex S. Germani vita producens hiſtoriam, S. Germanum ad viſendam Sagarum ſaltationem abiuiſſe, inde repente ad cubilia virorum adueniſſe, in quibus illæ compertæ ſunt, tanquam ſi leuior Satana S. Germanus extitiſſet, ac non eadem celeritate qua deuexerat eas potuiſſet reuehere. Quod autem Wierus ait, non eſſe in propria Sagarum facultate, vt tonitru immittant aut grandinem, accipio lubens: ac ne homines quidem cereis imaginibus aut vocibus enecare poſſe. Sed illud negari non poteſt, & ipſe Wierus annuit, homines, beſtias, fruges à Satana perdi, niſi ſeruet Deus, idque ſacrificiis Magorum, votis & precibus, iuſtaque Dei permiſſione inimicos ſuos opera inimicorum vlciſcentis. Itaque Magi ante alios ſuppliciis mille digni ſunt, quod Deo renuntiauerint & Satanam adorauerint: & quidem grauioribus digni ſuppliciis, quam ſi ſuis ipſorum manibus parentes occidiſſent & ſegetes incendiſſent. Hæ enim offenſæ contra homines ſunt, ait Samuel *b*, illa directe petit maieſtatem Dei. Multo igitur magis ſupplicia merentur illi, qui & Deum ipſum non obſcure prouocant offenſionibus,

a Lib. 2. cap. 13. de præſtigiis.

b Lib. 1. cap. 2.

nibus,

nibus, & homines ſortibus ſuis enecant, & fruges perdunt: ac propterea 12. tabulis in eos conſtituebantur pœnæ, qui fruges incantaſſent: quod Wierum ludificari non miror, cum ipſam Dei legem petat calumniis. Atqui hoc poteſt regeri, debuiſſe Wierum de colore & hypoſtaſi vrinæ & rebus conſimilibus iudicium facere, non res ſacras attingere & in diuinas humanasque leges attentare. Etſi enim à Satana Wierus illud fatetur fieri, minime tamen negaturus eſt eum à Magis incitari, pelli, pertrahi, adiuuari, itemque à Satana Magos, vt ea quæ perpetrantur ſcelera perpetrent: quemadmodum id etiam dici nec iniuria poteſt, populos ardentibus Moſis, Eliæ, Samuelis, aliorumque ſanctorum votis ſeruatos eſſe, cum Deus ad preces eorum inclinans manum ſubduxerit & ab accenſa ira conquieuerit. In eam ergo ſententiam Magi dici poſſunt abominandis precibus & ſacrificiis in cauſa eſſe cur tam multæ calamitates accidant. Fatetur Wierus ipſe *a*, cum famoſæ illius Sagæ Cliuenſis meminit ad Eltanum pagum, Sibyllæ Dinſcops nomine, ſtatim vt cremata eſt illas viatorum infeſtationes deſtitiſſe, qui manu aſpectabili (nihil enim amplius conſpicuum erat) atrociſſime cædebantur: ex quo manifeſtum eſt, hanc primariam illius vexationis cauſam extitiſſe, cum effecta repente ceſſauerint ea cauſa expugnata. Hoc enim commune in omni ſcientia axioma obtinet, ceſſante cauſa ceſſare effectum *b*: quemadmodum ex contrario dici

a Lib. 6. de præſtigiis, cap. 16.

b l. adigere, §.

quamuis. de iure patro- nat. ff.
c l. conditionis. §. pupillus, princ. de condit. & demon. ff. l pen. ex quibus cau. maiores. ff.

potuiſſet iſtam non fuiſſe cauſam c, ſi infeſtationes illæ perſtitiſſent. Nihilominus tamen apud omnes conſtat iudicium aduerſus Satanam à Iudicibus non fuiſſe latum, ſed eo vim ac potentiam illius imminutam eſſe, quod Sagam illam ſuſtulerint quæ manum ſuam ei commodauerat, eum orauerat adorauerat que, eiuſque conatus adiuuerat. Biebranæ Sagæ ſupra meminimus, quæ ad Laodunum cremata fuit anno M. D. L VI. Hæc infirmabat homines, mirificeque diſtortos reddebat, eoſque, beſtias, & fruges perdebat. Sed vt primum fuit exuſta, ceſſauerunt hæc omnia, vt ex Iudice qui de ea quæſtionem habuit cognouimus. Idem mihi prætęrea narrauit, cum iſta cuidam fœminæ comminata eſſet eam nunquam lactaturam, ita accidiſſe & lac eius ſubito exaruiſſe, & quamuis multos liberos pareret, tamen vbera ſemper aruiſſe: Cremata vero Saga ſtatim copioſe lacte abundaſſe, quamuis non propterea Satanas viuere deſtitiſſet. Ex quodam nobili honorato viro cognoui, vxori ſuæ ab amita impedimentum fuiſſe factum ne pareret (ſic illa moriens confeſſa eſt) vt ſucceſſionem liberis acquireret: Illa vt mortua eſt, hanc breui grauidam factam peperiſſe ſemel atque iterum, cum annos iam vndecim coniugati vixiſſent. Satanas vero (quem Wierus ſolum in cauſa fuiſſe dicit) non erat mortuus. Hebræis coram Bahal pehore procumbentibus & orantibus eum, exarſit ira Dei in populum totum, & occubuerunt breui

tempore viginti quatuor hominum millia. Populum autem ad iſtam idololatriam à Satana fuiſſe prouocatum nemo negauerit: Verumtamen Pinhas Sacerdos zelo honoris Dei percitus transfixit ducem cuidam Madianitidi concumbentem, quæ ad iſtam idololatriam eum pellexerat: itaque repente ira Dei ſedata eſt, qui Pinhaſo benedicens amplis benedictionibus, furorem ſuum accenſum contra populum ab eo extinctum eſſe pronuntiauit. At Satanas tamen non erat mortuus, quem Wierus, plane excuſans Sagas, fuiſſe & eſſe autorem aſſerit iſtorum malorum omnium. Ex his igitur concludimus, Sagas συνεργοὺς & impellentes cauſas eſſe morborum & necis hominibus pecoribusque illatæ, cum illis affectis morte omnia iſta deſinant: atque hoc reſponſo argumenta ſingula euertuntur, quæ adduci ſolent, & quæ Wierus deprompſit è Doctorum quorumdam ſcriptis *a*, ſimiliter vt ipſe diſputantium, id eſt, Phyſice de Metaphyſicis, inſigni errore innumeraque abſurda pariente. Nam ſi Phyſice agetur ex naturæ lege, dicendum erit, Sagas nec fruges nec animalia enecare poſſe, quia præditas eſſe potentia oporteret; vt autem potentiam habeant tria ſunt opus, vis & facultas agentis, apta conſtitutio rei patientis, & conueniens quæ poſſit fieri commodaque rei vnius ad alteram applicatio. At mulieri non ineſt facultas conſtituendi de elementis, nec verbis alia facultas quam illius qui ea pronuntiauerit: ſi autẽ ne illa

a Alex. conſ. 128. lib. 1. Alciatus.

quidem poteſt, certe nec illius verba, (quicquid Ioannes Picus in poſitionibus magicis aſſerat) vt ſupra demonſtrauimus, adeo quamuis Sagæ ineſſet potentia, ineptus tamen modus quo vtitur, verborum pronuntiatio, eam carere potentia arguit. Hoc argumentum ratione nititur, Quod ſi negabitur Saga id cum Satana non poſſe facere, quod ſola per ſe non poteſt, vt Wierus ait, id vero falſum eſt. Hoc argumentum captioſum eſt, & elenchus ſophiſticus à ſimplicibus ad compoſita. Eſt enim certo certius, quemadmodum nec ſolum corpus ſine anima quicquam poteſt, nec ſola anima corporeas actiones præſtare, puta bibere, edere, dormire, digerere, & quæcunque naturalia ſunt animæque coniunctæ & corporis communia, ſed alterum cum altero ſuis actionibus optime defunguntur: eadem quoque ratione dici id poſſe fieri, vt nec ſola Saga, nec Satanas ſolus ac ſeorſim poſſit, quod alter cum altero coniuncti poſſunt. Fundamentum rationis huius eſt naturalis cauſarum demonſtratio ad vnum effectum concurrentium & inter ſe adiuuantium, vt progenies à mare & fœmina iunctis, ad quam nihil diſparati poſſunt: & apud veterem quendam Rabinum memini legere corpus & animam ſubire pœnas, quia coniunctæ peccauerint. Iſtorum itaque à rebus diſiunctis ad coniunctas excuſatio tam probabilis eſt, quam illa cæci & pedibus capti, quos accuſabat holitor, ingreſſos fuiſſe hortum & fructus eius comediſſe.

diſſe. Reſpondenti cęco, at nihil video, nec hortum nec arbores, Capto pedibus dicenti, non ſunt mihi pedes quibus iuerim, Regeſſit holitor, cæcus captum pedibus baiulauit, hic duxit illum: ſic coniuncti fecerant quod nunquam ſeorſim potuiſſent. Quinetiam in hac cauſa maior eſt veritatis ſpecies, cum ſolus Satanas res admirabiles (vt ante diximus) poſſit efficere *a*, cædere, necare, fruges perdere, ventos agere, ignes, grandines, fulmina diſiicere, vt Deo permittente caſtiget tanquam carnifex & ſummæ illius iuſtitiæ adminiſter; ac proinde multo Magis ſi iuuetur, rogetur, adoreturque à Sagis vt id faciat, cum ſine precibus earum, inuocatione & adoratione infirmentur vires illius, debilitetur potentia, & ita nocendi occaſio præcidatur: vt ſæpe mortuis Sagis loripedes videas erigi, curari morbos, lucem deſinere, quod ſupra demõſtrauius. Iſtud autem argumentum, Sagas indignas eſſe ſi eis Satanas ad efficiendos conatus ſuos abutitur, nec poſſe actionem ſimul & perpeſſionem eidem rei incidere, ſophiſticum & captioſum eſt. Nam actionem ſimul & perpeſſionem certiſſimum eſt poſſe eodem tempore concurrere, ſed reſpectu vario, vt ſi quis hominem deiiciat in terram qui alterum ſibi adſtantem proſternat ruens. Alterum argumentum quo Wierus adſtruit (vt paſſim nititur) Sagas pœna indignas eſſe, quia Satanas earum opera abutitur, non modo ſophiſticum eſt, ſed impietate pleniſſimum. Etenim ſi huic eſſet argumento lo-

a Iob. 1.

cus, maxima quæque hominum impietas abiret impunita. Nam etſi homines aut vindictæ ſtudio ad occidendum feriendumve adducuntur, aut bruta impotentia ad pudicitiam alterius tentandam impelluntur, non ſunt tamen ex officina hac ſcelera grauiſſima, ſed commiſſa cædes de induſtria, (vt ſunt Magorum homicidia & veneficia) puerorum cędes, parricidia & conſimilia crimina, quæ homines etiam à re magica alieni faciunt, à Satana procurantur, itaque impunita forent. Ne plura ſi Wieri & Doctorum à quibus ſua tela habuit argutiæ obtinerent, ſemper graſſatoribus latronibusque eſſet effugium vindiciæq; à diabolis, in quos nec iuriſdictionem habent Iudices, nec prehenſionis facultatem: itaq; omnes diuinas & humanas leges de ſuppliciis criminum oporteret cancellari. Hoc argumento quidam Academicus aduerſus Poſſidonium Stoicum vtebatur, vt abſurditatem illam demonſtraret, quam efficiebat plane fatalis neceſſitas Stoicorum omnia ex neceſſitate fieri confirmantium. Iureconſultorum enim axiomate l. ſi ſtuprum, de adult. ff. cum ſimilibus, quod diſerte in lege Dei confirmatur, ille abſoluitur cui vis facta eſt, & qui ad faciendum aliquid coactus eſt, quia neceſſitas (quod aiunt) non habet legem, nec ſubeſt diſcretioni legum. Itaq; hanc abſurditatem vt effugeret, à ſententia ſua diſceſſit Poſſidonius *a*. At hæc noſtra cauſa eſt potior: nam inter omnes Magos conuenit, non cogi à Satana quemquam, vt Deo

a Galen. lib. de placitis Hippocratis.

Deo renuntiet, aut ſe diabolo foueat, ſed contra puram liberamque voluntatem à ſuis ſubditis exigit, & cum eis contrahit liberis conuentionibus. Fatali ergo Stoicorum neceſſitati non eſt hic locus, nec edicto De eo quod metus cauſa, ff. cum enim edictum reſtitui iubet, quem metus mortis aut tormentorum oppreſſerit *a*: alius metus quicunque fuerit, doloris, infamiæ, bonorum amiſſionis, non excuſatur lege *b*, ſed eas actiones voluntarias lex eſſe iudicat. Itaque multo magis contractus, conuentiones, ſacrificia, adorationes, & deteſtabilia Magorum cum Dæmonibus conſortia non ſolum voluntaria oportet dici, ſed liberæ ac ſpontaneæ (vt Philoſophi nominant) voluntatis effecta, & ſponte ἑκουσίως ϗ αὐτομάτως (vt Græci loquuntur) facta. Illud ergo minime dicendum eſt, quod Wierus rationem ſequutus Doctoris cuiuſdam dixit, ſi Satanas Magis vt inſtrumentis vtitur, non eſſe plectendos Magos, quia ab inſtrumentis non æſtimantur actiones, ſed in quæſtione de ſuppliciis ad finem ſolum attendi opus eſt *c*: quæ rationes è medio iure petitæ *d* Doctoribus iſtis ex diametro aduerſantur. Saga enim malignos ſpiritus veluti inſtrumenta ad malefaciendum & nefarios ſuos conatus efficiendos adhibet, cum nec puluere, nec verbis, nec carminibus facultas vlla ſit. Nam Magos communicantes cum Satana ante oſtendimus orare Satanam vt hunc interimat, infirmet illum, prout id permiſſione Dei à diabolis præſtari poſſe Tertullia-

a l. metum, de eo quod met. cauſa. ff. *b* l. mulier. eod. ff.

c l. diuus, ad l. Corn. de ſicar. l. aut facta, de pœnis, l. verum, de iniur. ff. *d* arg. l. qui mihi. de donat. ff.

a Cap.22.

tullianus docte exponit in Apologetico *a*, & in ſingulis quoq; Magorum iudiciis videmus confeſſiones ipſorum iſtis rebus abundare. Quamobrem longe grauiora ſupplicia promerentur Magi quam ii, qui certo condictoq; pretio locant prædonum operam vt inimicos interimāt: quos ſine ſpe veniæ iura addicunt morti *b*, quāuis homicidiū prædo non ꝑpetrauerit *c*, & quotidiana iudicia condemnant. Quanto igitur eſt capitalior Magus, qui in rebus iſtis Satanam occupat? qui orat? qui adorat? Non eſt igitur quod Wierus & boni eius Doctores expoſtulent Magos pœnas dare de Satanæ maleficiis, aut indigne calumnientur legem Dei *d* quæ hos vetat illorum pœnas luere: nam tota ſcriptura Sacra documentis iſtis plena eſt, Deum à Magis ſumme abhorrere, eoſque plus quam parricidas, inceſtuoſos, atque Sodomitas abominationi eſſe, imo tantopere eos deteſtari, vt quoties eorum meminit, toties æſtum, furorem, vltionem pronuntiet: quod nuſquam in alio ſcelere ſit præterquam in cauſa idololatriæ *e*. Eodem reſponſo argumentum alterum refellitur, quod Wierus à bonis ſuis Doctoribus mutuatur, confeſſionibus ſtari non oportere niſi verę ſint atque poſſibiles: fateor. Sed aſſumptio qua dicit nihil eſſe ex iure poſſibile quod à natura non ſit poſſibile, hæc ergo aſſumptio falſa eſt & impietatis plena: tollit enim ſingula Dei miracula operaque contra ordinem naturæ facta, adeoq; ipſa religionis & pietatis omnis in Deum fundamēta:

b l. non ſolū. §. nec mandat. de iniur. l. qui mihi bona. §. qui iuſſu. de acqu. hæred. ff. & ibi Bart. *c* l. ſi quis nō dicam rap. de epiſc. C. & ibi Bald. Angel. Salic. *d* Ezech. 21. l. crimē patronum de pœnis. C. l. ſancimus. eod. *e* Exod. 15. 32. Leuit. 20. 26. Num. 11. 25. Deut. 29. 33. Ioſue 7. 23. 1. Sam. 24. 2. Reg. 13. 2. Paral. 12. 28. 29. & 36.

ta : imo ſi huic axiomati daretur locus, omnes articuli fidei delendi eſſent. Verum vt in argumento iuris cõſiſtamus, Hermaphroditas aliaque monſtra contra naturam eſſe nemo negauerit: ea vero admittit atque agnoſcit lex *a*. Nec vero negari poteſt id contra naturam eſſe quod ſe Wierus oculis ſuis vidiſſe narrat, cum homo feras ita ſiſtit verbo vt tandem ad ſe pertrahat. Etiam contra naturam eſt diuinare quis furtum fecerit: capitali tamen ſupplicio afficitur *b* quiſquis Magos de furto conſulit, & quiſquis ex hac præſumptione furem in ius vocauerit. A natura fieri non poteſt, vt homines grandinem tempeſtatemue cieant, frugeſue carminibus enecent: at id leges accipiunt tanquam certiſſimum *c*, quamuis natura ἀδύνατον, & ſupplicium capitale vtentibus hac arte irrogant. Non iura ſolum igitur gentium, ſed diuinæ leges quamplurima agnoſcunt natura quidem impoſſibilia, ſed poſſibilia contra naturæ ordinem & legem : ſed has leges Wierus & conſortes eius è Pandectis & Codice ipſo lubentiſſime eximerent: etiam Dei lege animus eſſet idem faciendi, dum aiunt ſi quarum legum cauſæ non amplius comperiuntur veræ, eas leges corrigi oportere. Scilicet id pro confeſſo habent quod eſt totius diſputationis caput, & principium τὸ ἐξ ἀρχῆς petunt, vt dicitur in re ſophiſtica, id aſſumentes quod fuerat concludendum, errore in Dialectica grauiſſimo. Atqui tantum abeſt vt aſſumptionem iſtius argumentationis eis concedamus, & res

a l. Hermaphroditus. de ſtat. hom. ff.

b l. item Labeo. §. ſi quis aſtrologos. de iniur. ff.

c l. eorum. l. multi. l. nemo aru. & toto titul. de malefi. C.

poſt

poſt omnem hominum memoriã ab annis quater mille de Magis exploratiſſimas nunc demum Wieri & Doctorum eius ſeculo dicamus falſi compertas eſſe, vt contra Auguſtinus ipſe (quod ante diximus) annotauerit omnes philoſophorum & religionum quæ vnquam exſtiterunt ſectas Magiæ pœnas decreuiſſe. Plutarchus etiam in Apophthegmatis à Perſis ſcribit ſupplicio omnium crudeliſſimo affectas fuiſſe Sagas, quarum caput inter duos lapides elidebant. Multos ſcripturæ Sacræ locos annotauimus quibus hoc ipſum inculcatur, & grauiſſima mortis ſupplicia aduerſus Magos in lege Dei decernuntur. Platonis quoque leges annotauimus capitali ſupplicio addicentis Magos. Hiſtorias complures adduximus (at ne centeſimam quidem earum partem) iudiciorum in Magos capitalium, & in eos pariter qui libris Magicis vtebantur. Erroris igitur & ignorantiæ totam antiquitatem neceſſe eſt condemnari, deleri omnes hiſtorias, diuinas & humanas leges antiquari, vt falſas ludicras & falſis nitentes principiis: atque his omnibus opponi Wieri & aliorum aliquot Magorum ſententiam, qui inter ſe ad ſtabiliendum & confirmandum regnum Satanæ conſociati ſunt. Hoc Wierus inficiari non poteſt, niſi verecundiam omnem abiecerit, qui in libro de præſtigiis *a* plus execrabilium magicarum ſortium promulgauit, quam magiſter ipſius Agrippa vnquam fecerit. Ille enim libros ſuos de occulta philoſophia plane

a Lib 5. cap 5. 6. 7. 8. 9. 10 11. 12 14. 15. 17. 18. 21. 25. de præſtigiis.

plane retractauit cap. 48. de vanit. ſcientiæ. Hic vero diſcipulus illius commonſtrat digito & antè oculos ponit quicquid Satanas principes Magos docere poſſit: ſed multas Dei voces ſanctorumq; Doctorum interſerit, vt venenum cũ melle infundat animis, prout hic eſt ſemperque fuit communis ſtylus Satanæ. Quamquam iſti homini mentem ſic ademit Deus, vt non amplius aquæ aduerſetur ignis quam ipſe ſibi. Fatetur enim locis quamplurimis, non Sagas, ſed eum qui artem magicam exercet capitali ſupplicio affici oportere. Confiteor, ait *a*, magicas artes capitales eſſe, ſed Lamiæ non continentur: vt ſi quis dixerit homicidas ſuſpendi oportere, ſed graſſatoribus condonari. Innumera ſunt dicta eiuſmodi. Alibi autem dicit *b* non eo ſupplicium mereri magos quod cum Satana pepigerint & Deo renuntiauerint, quia decepti ſunt & cauſam præbuit contractui dolus: ideoque contractum eſſe irritum, & hominibus deceptis, ac non decipientibus ignoſcendum. Hæc ridicula ſunt Doctorum Italicorum argumenta, qui tam ſtrenue in iſta arte profecti ſunt vt iſta lues Italiam totam peruaſerit & infecerit Galliam, vim facientes legibus, vt iſtud malum induant aliqua probabilitatis ſpecie. Nemo autem tam ſtupidus eſt aut demens, qui inſulſum iſtorum argumentorum non videat ἄτοπον. Si enim à ſubdito facta conuentio ſuaſu alterius qui eius principem odit capitaliter, ſine vlla ſpe veniæ punitur morte, quo tandem iure conuen-

a Lib. 6. c. 24. de præſtig.

b Libr. de Lamiis, cap. vlt.

conuentio facta cum Satana excuſari poſſet inſenſiſſimo Dei & piorum aduerſario? Etenim vt nunquam Magus homines, pecudes, fruges nece maleficioue affecerit, ſed homines ſortibus infeſtos ſemper ſanauerit, & tempeſtatem propulerit (vt quidam Magus Curio Sauillaci ad Tholoſam tempeſtates ſemper à parochia ſua abercebat) cum tamen Deo renuntiauerit & cum Satana pepigerit, dignus eſt qui viuus pereat incendio. Nam conuentio hæc longe eſt capitalior, quam ſi igne gladioue fruges, homines aut pecora enecet, quia hoc maleficium in res creatas intenditur, quibuſcum iniri poteſt conuentio *a*: qui autem cum Satana paciſcitur, maieſtatem Dei oppugnat palam & contemnit eum. Itaq; lex Dei mulierem Sagam ſtatim necari iubet, nō adhibita diſtinctione vtrum fruges an pecudes perdiderit: quem in locum annotauimus Legē vti voce מכשפה, id eſt, præſtigiatricis, oculos faſcinãtis, vt Doctor Abram Aben Ezra, & interpretes omnes conſentiunt. Atque hoc quidem apprime oportet obſeruari (nam lex Dei ita ſe habet vt nulla vox emphaſi ſua careat) vt illud neminem fugiat, Magos non eam ob cauſam præcipue caſtigãdos quod homines pecorave necauerint, ſed quod Satanæ pactum iniuerint. Vt vero naſcuntur ii qui cum Satana pepigerint, Lex vnam ſpeciem oculis exhibet digitoque monſtrat, puta illius qui ſic oculos præſtinguit atque faſcinat, vt id quod non eſt ſæpe videndum præbeat, aut qui incan-

a 1. Sam. 2.

tat

ſtat carmine: itaque ſtatuit certiſſimam hanc & indubitatam inter alias probationē eſſe exiſtimandam pacti cum Satana initi, ſi quis oculos faſcinet, incantet carmine, aut alia committat eiuſmodi: Hæc enim Magi perſæpe faciunt, vt riſum moueant, & induſtrii homines habeantur. Sic Wieri & ſociorum dicta radicitus exſecantur, & Iudicibus materia præciditur amplius quærendi, vtrum Magus cum Satana pepigerit, aut an nociturus alicui ſortem vllam maleficiumue immiſerit: harum enim rerum probationes pene forent ἀδύνατοι, quia non niſi in tenebris & deſertis locis, & modis prope incredibilibus iis qui factum non audiuerint, plurimum committuntur. Non quod alienum ſit ab æquo & bono, ſi de his rebus quæſtio habebitur: ſed Deus lege docere voluit illud ſufficere ſi Magum probabitur carmine fuiſſe vſum, aut oculos faſcinaſſe: quod præſente Rege Triſcalanus fecit, orbes catenæ aureæ quam geſtabat nobilis quidam ad manum ſuam pelliciens intactos, cum tamen integra ad collum nobilis illius catena permaneret: itemque alibi Breuiarium Sacerdotis ita diſſimulans, vt chartarum ludus eſſe videretur. Iſta probatio ſufficit vt ad condemnationem Magi procedatur, quia res iſtas quæ non vllo diuino miraculo fiunt ſed contra naturam veniunt, à Satana præſtari conſtat certiſſime, idque expreſſa conuentione cum eo facta & iuramento confirmata. Hæc eo dicimus vt ad iſtos magiſtros ſortium artificeſ-

que probe attendatur, & tempeſtiue ac ſtrictè animaduertatur. Sic fuit Iudæus Magus nomine Sedechias, qui (vt narrat Ioan. Abbas Tritemius) emittebat hominem in aera, in membra diſcerpebat, eaque recollecta adunabat, vt Simon magus Nerone præſente fecit: currum etiam onuſtum fœno cum equis & agitatore coram toto populo abſorbebat. Wierus ipſe *a* non auditum à ſe in Germania ſed viſum tradit fuiſſe hominem, qui cœlum verſus aſcendebat, & trahebat poſt ſe vxorem atque ancillam hærentes pedibus hanc heræ, illam viri, cum maxima populi admiratione, vt ſupra meminimus. Atque hoc quidem pacto & Wiero & Doctoribus illius reſponderi poteſt, id credendum eſſe negantibus quod natura eſt impoſſibile; cum à ſe Wierus ipſe *b* res eiuſmodi cõfiteatur viſas, quæ natura tamen ſunt impoſſibiles: vt idem ſe oculis ſuis vidiſſe autor eſt cum puella Henrietta nomine à diabolo ſine quiete vlla per aerem ferebatur in arce Laldebrocenſi Ducatu Geldriæ: quæ hiſtoria, vt ſola eſſet, labefactandis omnibus Wieri ſociorumque argumentis ſufficeret. Quamquam totus liber eius exemplis abundat rerum quæ contra ordinem & facultatem naturæ acciderunt, & quas fatetur idem ſpirituum malignorum opera effectas eſſe: vt de cultro extracto è ventre puellæ cui nullum vlceris veſtigium inerat, quod ſe in maxima virorum frequentia vidiſſe narrat, & cultrum adhuc in rerũ natura eſſe: ſimiliter quod ſe vidiſſe ait *c*, cum Vlrici

a Lib. de præſtigiis.

b Lib. 1. ca. 12. de præſtigiis.

c Lib. 4. de præſtigiis, cap. 6.

Vlrici Nuſſenſeri faſcinati corpus ſecaretur, ex eo educi cultros quatuor, baculũ craſſum, clauos multos, & fili plurimum, multis medicis aliiſque præſentibus ſpectaculum illud admirãtibus. Falſus igitur ſermo & impietatis plenus, quod natura fieri non poteſt id credi non oportere. Verumtamen vt miraculoſas iſtas actiones & faſcinationes contra naturã venientes omittamus, id præcipue agitur vt ſummo iure puniantur ii, qui Deo renunciauerint & ſe Satanæ permiſerint, quam actionem eſſe impoſſibilem Wierus non affirmauerit. Quoniam vero difficilis eſt iſtius impietatis probatio, lex Dei mulctari morte faſcinatores iubet oculos phantaſiamq; præſtinguentes, idq; ſine cunctatione: nimirum pro certo habens faſcinatorem eſſe Magum pactionis cum Satana expreſſę taciteue reum. Multo igitur magis ſummo iure cum eo agi opus eſt, ſi aut confeſſionibus, aut teſtimoniis, aut ſcripto patebit conueniſſe cum Satana, aut maleficia exercuiſſe quæ natura committi nequeũt. Illud enim notari (vt dixi) & ſæpe inculcari conuenit, legem Dei, cum de Magis & pœna eorum capitali loquitur, diſerte non meminiſſe necis pecorũ hominumue, aut maleficiorum fruges infeſtãtium (nam hæc minima ſunt mala quæ Magi perpetrent) ſed eorũ qui faſciniant & carminibus oculos præſtinguunt, qui mortuos cõſulunt, qui deniq; res faciunt cæteras quarum interpretationem ante attulimus. Nam quia θαυματουργοὶ iſti cõtra naturã venien-

tes ludibria perſępe exhibent,molliuntur Iudicum animi, & nihil eis ineſſe mali omnes exiſtimant. Sic vir quidam magnus & autoritate valens, qui poſt mortem incuſatus eſt magicarum ſortium, ſolebat ſeueritatem iudicum ad riſum flectere vt Magos eriperet. Sic eleuando impietatis cumulo Satanas riſus excitat: ſic carminibus indulgent Sagæ, & procurant vt denis ſortilegiis vnum aliquod factum agyrticum illabatur, vt quicquid faciunt agyrticæ ſubtilitatis & agilitatis eſſe videatur. Quamobrem Deus nominatim cauit, vt qui oculos faſcinant plectantur morte, & (quod grauius eſt) præcipit ne ſinantur viuere, vt ſtatim eo ipſo die (inquit Hebræus Philo *a*) dedantur morti: quod item autor ait fuiſſe obſeruatum. Quibus ex verbis apparet, iudicia non laborauiſſe de inquirendis aliis Magorum maleficiis, ne probationis grauitas ſupplicia retardaret. Wierus autem vt euertat leges in Magos latas, omneſque hiſtorias in dubium vocet, in refutanda opinione Lycanthropiæ operam conſumit, id meram eſſe illuſionem prædicans. At ne eo quidem pacto reſpondet ad legem Dei, quæ præcipit vt qui ſic illudunt plectantur morte: neque hic quæſtio agitur ſitne vera mutatio corporis humani in lupum ratione integra permanente, an plena corporis & animæ tranſmutatio, an vero ſimplex illuſio & faſcinatio eorum qui ſpectant corpore animoque integris. Amplius tamen Wierus audet *b*, nihilque niſi illuſionem

a Lib. de ſpecialib. legibus.

b Auguſt. lib. 18. de ciuit. Dei, cap. 18. & lib. de ſpiritu & litera c. 26.

nem defendit eſſe. Id vero nec Mathematici hominis nec philoſophi factum eſt, id temere affirmare quod non intelligas: ſed in hac cauſa ad effectum attendi neceſſe eſt, idq; obſeruari quod dicitur ὅτι ἐςὶ, cauſam vero, id eſt, τὸ διότι, permitti Deo. Omnia autem Wieri argumenta nituntur caduco & putri fundamento, cum de ſpiritibus, dæmonibus, & actionibus eorum perinde diſputat ac ſi de rebus naturæ ageret, cœlum terræ miſcens, vt in præfatione operis demonſtrauimus. Hiſtoriam Iobi veram confitetur eſſe, à Satana excitari ventos, fulmina, ignem, inimicos, quibus euertit & conſumpſit domos, liberos, familiam, pecoraque Iobi momento vno, hunc quoque opera illius à vertice ad pedes imos vlcere incurabili afflictum eſſe, quæ omnia factu difficiliora ſunt, quam in lupum transfiguretur homo: at permagnam iſtam potentiam Satanæ Deus tradidit. Nabuchodonozorem quoque Monarcham Aſſyriæ Wierus non negaturus eſt in bouem mutatum eſſe depaſcentem herbam annos ſeptem, verſa pelle, pilo, vnguibus formaque tota, deinde figuram priſtinam recepiſſe, vt Danielis Prophetæ hiſtoria docet. Quod ſi mutationem iſtam Regis Nabuchodonozoris non fabuloſam illuſionem, ſed veram hiſtoriam eſſe cum ſacra Scriptura dixerit, fateatur ergo ęque poſſe fieri vt homines in lupos aliaſque feras transfigurentur: Sin Magorum mutationem in lupos & alias feras affirmet fabuloſam illuſionem eſſe,

çerte hiſtoriam quoque ſacram fabuloſam illuſionem eſſe concluſerit: Nam ſi factum eſt in vno, in aliis etiam poteſt, cum potentia Dei minuta non ſit. Hoc argumento vtitur, vt oſtendat revera Magos à Satana deportari, exemplo veri hominis Ieſu Chriſti ſuper templum & mõtem à Satana exportati. Quod ſi Deus Satanæ in Iobum & Ieſum Chriſtum hanc facultatem dedit, quis dubitet in Magos atq; impios etiam ampliorem dari? Etenim Wierus *a* aſſentitur in libro de Lamiis Nabuchodonozorem à Satana in bouem mutatum eſſe. Rem pudendam plane, Wierum in Nabuchodonozore confiteri (nam inficiari qui poſſet?) transfigurationem in beſtiam in Satana effectam eſſe, negare in aliis. Nam Canon Epiſcopi *b* & conſimiles alii de transformatione eos ſpectant ſolummodo, qui facultatem efficiendi res iſtas Magis aut Satanæ per ſe ineſſe putant. Illud vero dementiæ foret atque hæreſeos, ſi quis facultatem iſtam, cum videtur, Satanæ dari à Deo non putet improbis caſtigandis; blaſphemiæ, ſi terminos potentiæ Dei præfigeret: capitalis temeritatis, ſi de ſecretis eius iudicium faceret. Nam, vt aperte dicam, potentia rerum creatarum eſt potentia Dei, nec minus elucet Dei gloria in potentia quam tradit Satanæ, quam in omnibus creatis quę in terra degunt, cum in Iobo dicatur, non exiſtere in terra potentiam quæ cum potentia illius comparetur: quibus ex verbis cognoſcimus actiones Satanæ ſupra naturam

a Lib. de Lamiis. ca. 16. & lib. 1. de præſtigiis ca. 24.

b 26. q. 5.

eſſe,

eſſe, nec eas ad legem cauſarum naturalium metiri oportere. Magos quoque Regis Ægypti legimus baculos in ſerpentes exemplo Moſis conuertiſſe: Moſem vero nequaquam illuſiſſe certum eſt; fuerunt igitur ſerpentes veri, quod longe eſt difficilius quam vt natura vnius animalis in alterum transformetur. Verum quidem illud eſt Deum creauiſſe omnia, nec alium creatorem eſſe quam Deum ſolum: at illud non dicitur, nec vſquam legitur à Satana aut Magis omnibus creatam nouam ſpeciem vnicam aut formatã eſſe. Sed ſi poteſtatẽ hanc Deus Moſi cõtulit, eam certe potuit, & adhuc poteſt Satanæ & Magis tradere: ea enim ſemper eſt potentia Dei, ſiue ordinaria, ſiue extra ordinem, ſiue ἀμέσως, ſiue per res creatas, vt Aquinas *a* & Scotus conſentiunt, & nos ante demõſtrauimus. Sed Wierus fallitur, cum creationem pro generatione, & generationem pro trãſmutatione accipit. Prima eſt de nihilo, Creatoris propria. Secunda ex eo quod ſubſiſtit, diciturque φύσεως in formarum generatione. Tertia non eſt motus ſiue κίνησις, ſed ἀλλοίωσις ſolum & μεταβολὴ, mutatio & accidentalis alteratio eſſentiali forma remanente *b*. Quod itaque ſemel à Creatore creatum eſt, id creaturæ generãt ſucceſſione, & transformant proprietate ac potẽtia quam dedit ipſis Deus. Hãc Aquinas *c* virtutem naturalem vocat, de ſpiritibus ſic loquens: Omnes angeli boni & mali habent ex virtute naturali poteſtatem tranſmutãdi corpora noſtra.

a Lib. 1.

b Ariſtot. libr. 3. & 5. φυσικῆς, ἀκροάσεως.

c Diſt. 7. art. 5.

Veteres autem inde ab Homeri ſeculo, & quicunq; de Magis mutationem iſtam expertis cognouerũt, conſentiunt (vt ſuo loco diximus *a*) rationem formamq; eſſentialẽ manere immutabilem. Hæc ergo ſimplex accidentalis formæ & corporis eſt alteratio, non vera trãsformatio. Sed Wierus phyſice de rebus metaphyſicis diſſerens, ad fundamenta & principia Phyſicæ impingit paſſim: cumq; ſe infinito diuinarum humanarumque hiſtoriarum numero de transfiguratione hominum in beſtias oppreſſum vidit, dicit corpora à Satana ſoporari. Atq; id quidem in horam poſſet diemue fieri: ſed hominẽ incolumem amplius ſex dies ſine cibo à natura viuere eſt impoſſibile. Id Plinius autor eſt *b* explorauiſſe veteres in iis omnibus qui ſententia lata necabantur fame, iuueneſque magis quàm ſenes fame affici: quamobrem fame in obſeſſis locis priores, teſte Hippocrate *c*, moriuntur. Sed in Liuonia dies minimum duodecim homines in lupos verſi manent, alii tres menſes: etiam veteres annotarunt *d* qui decem annos transformati fuerint poſtquam fluuium quendam traieciſſent. Illud vero obſeruatu dignum, non exſtare exemplum vllum ferarum verſarum in humana corpora, vt Peucerus ſcribit. Prætereà iudicio in Parlamento Dolenſi lato 18. Ianuarii, M. D. LXXIV. contra Ægidium Garnerium Lugdunenſem continetur ipſius confeſſio: nempe puellas duas puerumque vnum ab ipſo voratos eſſe, primam die S.Mi-

a Lib. 3.

b Lib. 11. c. 54.

c Lib. de carnibus.

d Plinius.

S. Michaelis ad Serranam ſyluam in vico Caſtenoii, dimidio milliari ab oppido, eamque occiſam & vnguibus ſpecie lupi fuiſſe laniatam, vt ſupra copioſius diximus *a:* quæ confeſſio puerorum morte, loco, tempore, forma & teſtimoniis eorum qui ſuperuenientes facto ſpeciem viderunt lupi fuit confirmata. Certe aut corpus in figuram lupi verſum oportuit, aut humanam animam in corpus lupi tranſmeaſſe, vt omnia tam accurate obſeruare poſſet. Quamuis ex poſteriore hac ſententia fatendum eſſet, duas ſimul formas in vnum ſubiectum concurrere, quod ex diametro principiis Phyſicæ aduerſatur *b*: Wierus autem, qui de rebus Metaphyſicis diſceptat phyſice, fatetur ſexcentis ſuorum librorum locis diabolos (hi autem ſunt intelligentes formę) ingredi corpora hominum, quos eà de cauſa veteres δαιμονῶντας appellabant. Quamobrem nunquam Ariſtoteles in libris Phyſices de ſpiritibus & intelligentiis diſputauit, ſed reiecit in libros τῶν μετὰ τὰ φυσικὰ, ab iis incommodis rebusq; abſurdis metuens, quibus ſe priores implicauerant, qui Mathematicas quæſtiones cum Phyſica confundebant, eoque nomine reprehenſionem ipſius ſubierunt *c*. In eundem errorem Wierus labitur, & quicunque adhærent eius argumentis. Nam Ariſtoteles phyſicum axioma ſtatuit, formam phyſicam ſeparatam à naturali corpore interire, in Metaphyſicis vero animam humanam excipit, quam in lib. de Partibus animantium ait θύραθεν ἐπει-

a Lib. 2. cap. 6.

b Ariſtot. lib. de ortu & interitu.

c Lib. 1. φυσικῆς ἀκρόας.

ιέναι, id eſt, θεόθεν, οὐρανόθεν, ὑψόθεν, extrinſecus ad hominem venire, & corrupto humano corpore ſubſiſtere. Wierus etiam qui actiones ſpirituum Phyſice conatur exponere, millies in libris ſuis aſſerit diabolos migrare de loco in locũ: & ita res habet, prout in eis cernimus, quos obſident exportantve dęmones: nihilominus ſi vera ſunt principia Phyſicæ, quæ ſtatuit Ariſtoteles, à natura fieri non poteſt, quin res omnes mobiles q̃ locum occupant ſint corpora: id autẽ ſpirituũ naturę plane aduerſatur. Idẽ vero Ariſt. Theolog. id eſt, Metaphyſice diſputans ait *a*, ſeparatos ſpiritus motionis autores eſſe corporibus cœli, & per accidens motum quoq; excepto primo mouente perpeti. Et Deus ipſe puriſſima ſimpliciſſimaq; natura Angelos omnes ſuperãs de ſeipſo dicit, Cœlũ & terrã ego impleo, ac propterea appellatur מקום, id eſt, locus, quia mũdus in ipſo eſt, non autem ipſe mundo includitur, vt Hebræi Doctores in illud Eſaiæ tradunt, Cœlum mihi ſedes eſt, & terra ſcabellum pedum meorum. Quod ſi quis cum Auguſtino dixerit ex Apuleiana definitione dæmonum, quam Academici acceperunt, Dæmonas eſſe corporeos: id vero admirabilius, & à conuenientia naturæque lege alienius futurum eſt. Nam corpus vnum in alterum penetrare poſſet: itaque tota pene Phyſica euerteretur, hoc principio nitens, non poſſe in dimenſiones penetrari, cum dæmones in hominum corpora penetrent, quod Wierus ipſe confitetur paſſim. Ineptum igitur

a Lib. 8. τῶν μετὰ τὰ φυσικά.

fuit,

fuit, fundamenta argumentorum de Magis & actionibus dæmonum ex principiis & hypotheſibus phyſicis petere, iiſque peſſime (vt diximus) intellectis. Hæc ita ſe habere videbit manifeſto, quiſquis Philoſophorum libros ſerio legerit & intellexerit: illis enim, inprimis vero Academicis, in cauſa Dæmonum, bona ex parte cum Theologis conuenit. Nam cœlorum motus & cœleſtium luminum æque à Scriptura ſacra atq; à Philoſophorum grege Angelis tribuitur, vt videmus apud Ezechielem & Pſal. 68. verſ. 18. vbi ait Chaldæus interpres, eſſe vicies mille luminaria, & eis mouendis Angelos totidem. Thomas item Aquinas (quem recentiores Græci pro Philoſopho tanto habuerunt, vt librorum illius præſtantiſſimum fecerint è Latino Græcum) ſingulas ſpirituum Magorumque actiones veras eſſe putat, vt ante demonſtrauimus: nec mirum eſſe aſſerit *a*, quod Simon Magus diabolorum opera fecit vt loqueretur canis. Sic Magi quatuor, qui Pictauii Anno M.D. LXIIII. fuerunt concremati, dicebant hircum quem adorabant de nocte ſecum loqui ſolitum: & Paulus Grillandus *b* ſcribit, Sagam à ſe Romę fuiſſe viſam cum illic eſſet, Franciſcam Sienenſem nomine, quæ coram omnibus faciebat, vt loqueretur canis. Atque hæ quidem actiones omnes & ſimiles aliæ mirificæ, quas Wierus fatetur, contra naturam fiunt. Hic ergo neceſſe eſt ceruices coram Deo demittamus, & tenuitatem confitentes noſtri ingenii principia naturæ

a Clemens in itinerario.

b Lib. de ſortilegiis, ſection. 7. nu. 24.

turæ rationesq; negligamus: quib. toties profe-
cto fallimur, quoties ex eis volumus ſpirituũ a-
ctiones, dæmonumq; ſocietatem cũ Magis ex-
pendere, eoq; pacto παρασυλλογισμὸν iſtum cõfi-
cere, actiones iſtas veras eſſe nõ poſſe, quia con-
tra naturam ſunt, & quicquid à natura fieri non
poteſt, id eſſe impoſſibile. Purũ certe paraſyllo-
giſmum & elenchũ ſophiſticũ: vt ſi quis de ſce-
lerato homine dixerit, bonus laniſta eſt, bonus
igitur: nam à coniunctis ad ſimplicia non valet
conſequentia. Wierus autem *a* omnino volens
quacunq; ratione Sagis præbere effugium, eas à
diabolo poſſideri & vim pati narrat. Atqui ne-
mo tam oculis captus eſt, qui non videat, quan-
tum ſit diſcrimẽ inter eas Sagas, q̃ ſe vouerunt,
dicarunt addixeruntq; Satanæ, & eas quas mali-
gnus ſpiritus obſidet: cũ illas proſtibulis impu-
riſſimis, has pudicis virginibus vim paſſis cõpa-
randas cõſtet. Præterea quis Satanã erga ſuos fi-
deles ſubditos credat tam inconſiderate agere?
Idẽ poſtea confirmat fieri non poſſe à natura, vt
Sagę tã breui tẽporis ſpatio in cœtus ſuos tranſ-
portentur. Nos autẽ ad ſermonem iſtum copio-
ſe ſatis reſpondimus. Hic vero Wierus demon-
ſtrat, quã parum ſit Mathematicus, quẽ perpu-
ſillũ Phyſicæ deguſtauiſſe ſupra oſtendimus. Nã
8. cœlum cũ aſtris omnib. horis 24. videmus cõ-
uerſari, cuius ambitus eſt ſupra q̃ 133000000.
miliariũ, vt bis mille paſſus Geometricos milia-
ri aſſignemus. Etenim licet Archimedes & Pto-
lemæus interuallũ Solis à terra ſolũ demonſtra-
uerint

a Lib. de Lamiis, cap. 16.

ſerint 1209. ſemidiametra terræ cũ dimidio capere, (eſt autẽ ſemidiametrum miliarium 1800. vt miliarib. bis mille paſſus tribuas, ambitus autem terræ ſemidiametrorũ 6. cum 7. parte ſemidiametri, vt collectis Hipparchi obſeruationibus Ptolemæus demõſtrauit) Arabes tñ Alphragã, Albategni, Tebit, Campã vlterius prouehẽtes ſcripſerũt diſtare terrã ab 8. cœlo 20081. terræ ſemidiametris, & minuris viginti octo, quæ efficiunt miliaria 36145800. R. Moſes Rambam lib. 3. More nebocim amplius eſſe ſtatuit, quia demonſtrationes Aſtronomicæ ex ſenſu fiunt. Verumtamen vt minimum ex omnibus numerum retineamus, certa eſt illa Ptolemæi demonſtratio, tantam eſſe proportionem ſemidiametri cum arcu, quanta eſt 52. ad 60. ex Euclidis autem demonſtratione in li. 3. ſex ſemidiametra vnius circuli præciſe faciunt hexagonum: itaque ſemidiametrum à centro terræ ad cœlum octauum vſq; ſexies plane cõperietur in octauo cœlo. Interſunt igitur ſexies 6146800. miliaria, cũ dimidio circuli graduum 48. Quod ſi octo gradus ad vnumquemque arcum hexagoni circuli aſſumpſeris præter ſex illa ſemidiametra, conficiẽtur mil. amplius 28916690. adde q̃ omiſimus minuta 28. miliarium 800. totus ambitus octaui cœli futurus eſt 245991440. miliarium, quæ horis 24. percurruntur. Longe ampliora ſunt nonum decimumq; cœlum. Optime enim Ptolemæus in Almageſto monſtrat, totam terram (cuius ambitus eſt 11160. miliarium) cum Solari tan-

tantum circulo comparatam, qui longe octauô minor eſt, tam exiguum punctum eſſe, vt ſenſu nequeat percipi. Quod ſi horis viginti quatuor ſit octaui cœli conuerſatio, certe minuto horæ (ſexagena autem minuta conſtituunt horam), emetitur octauum cœlum 1706155. mil. motu Angeli diuinitus hac facultate præditi, quem Hebræi *a* vocant Cherubinum verſantem rotam flammantis gladii, id eſt, cœleſtium luminarium. An igitur non poſſet Satanas, quem Deus tanta in terram poteſtate inſtruxit, horæ ſpatio hominem ad centum ducentave mil. tranſuehere? Manifeſtum eſt igitur, non eſſe hunc motum à natura ἀδύνατον. Ioanna Haruilleria (quam viuam die April. vltimo anno M.D. LXXVIII. crematam fuiſſe ſupra meminimus) ſe poſtremo in longinquiſſimas partes fuiſſe exportatam, multumque temporis antequam perueniret ad cœtum conſumpſiſſe fatebatur, reuerſam vero defatigationis plurimum ac laſſitudinis expertam eſſe, vt ex iudicio illius didici, quod mihi Claudius Fayus Procurator Regis apud Ribemontenſes attulit. Illa vero ſpectata eſt Wieri malitia, cum ſcribit cap. 8. de Lamiis, confiteri Sagas id ſibi negotii à Satana mandari, vt dum monſtratur hoſtia, aut terram inſpuant, aut crucem terant pedibus. Quam occaſionem Wierus arripit, vt eos decipiat, qui à miſſa defecerunt, dicens, rem eſſe ridiculam. Sprangerus etiam ſcribit, ſe quæſtionem de Sagis habentem audiuiſſe multos expreſſo cum

a Leo Hebræus li. 2.

Sata-

Satana pacto recipere ſe artus diffracturos Crucifixis,idq; præſertim die antepaſchalis Veneris. Hoc Wierus totum ſtultitiæ imputat. Hic vero non placet quęſtionem aggredi de religionis merito, quam multi Theologi copioſe explicauerunt; neque eſt præſentis argumenti:ſed technas Satanæ affirmo eſſe incredibiles,niſi optime attendatur, quod ille non fecit, qui puerilem admodum conſcripſit librum de Satanæ ſtratagematis. Iſtud enim eſt conſilium Satanæ, vt ipſius ſubditi ad contemptum abnegationemq; Dei ſolum adducantur, ſed etiam omnis religionis & earum omnium rerum,quę putantur eſſe Dii & metu à maleficiis abſterrere poſſunt, & ad Satanam omnino auertantur. Inter Magos itaque conuenit, id primum Satanam à tyronibus nouitiisq; Magis exigere, vt Deo & omni religioni renuntient, pro certo habens, quiſquis religioni cuiuis renuntiauerit, eum ad omnem impietatem & ſcelus proiectum fore. Etenim Romæ in nocturnis etiam Bacchi ſacrificiis innumeri Magi comperti ſunt,qui mille inceſtos & nefarios coitus exercebant, innocentiſſimos quoſque mactabant: quamobrem per totam Italiam in perpetuum fuerunt vetita, & Magi quamplurimi affecti morte a. Sic in primitiua Eccl. (vt Epiphanius teſtis eſt)inſinuauit Satanas damnabilē Magorũ Gnoſticorum ſectã,qui religionis ſpecie ſacrificabãt infantes ex inceſtis congreſſibus ipſorũ natos, tundebãt in mortariis cũ farina&melle,factasq;ex eis placẽtas

a Liuius.

tas

tas ſuis ſectatoribus veſcẽdas dabant, atq; hanc ſuam cœnam eſſe prædicabant. Hi veri fuerunt Magi edocti à Satana, cuius hic præcipuus eſt ſcopus, vt omnẽ religionẽ ex humanis mentib. eximat ad ſtabiliẽdum potentiam ſuam, aut etiã vt ſuperſtitioſa religionis ſpecie tegat omnia ſcelera, quæ fieri poſſunt ad contemptum Dei, vel eius qui putatur Deus. Nam quiſquis aliquid committit ad contemptum lapidis materiæve alterius, quam habet pro Deo, hunc tantundem pene confirmo offendere, quantum is offendit, qui Deum verum æternum quem nouit blaſphemauerit: vt olim Caligula [a] Iouis aſſumens imaginem in aurem eius inſuſurrabat contumelias, & ſtatuam comminuebat Veſtæ, quam Veſtales oſculandam ei præbuerant. Non quod à natura ſit maleficium comminui Veſtalium ſtatuam: ſed in Caligula blaſphemum fuit & impium facinus, cuius iſtud fuerat propoſitum, vt eum contemptu prouocaret, quem habebat pro Deo. Deus enim ad animum ſemper mentemque hominum reſpicit, & geſtus negligit, ideoque ſcrutator cordium appellatur. Sciens itaque Baruc populum in Babylonia captiuum eo impelli, vt coram imaginibus è metallo, ligno, lapide procideret, ſcribit in hanc formam: Cum imagines humeris portari videbitis, vt reuerentia ipſis habeatur, dicite cum animis veſtris, ad te, o æterne Deus, hic honos pertinet. Idem in priſca Eccleſia factitabant multi, qui vi aut metu intererant gentium

[a] Suet. in Caio.

ſacrificiis, aut ad præuertendum ſcandalum ne exiſtimarentur Athei. Et quamuis in genua cõram imaginibus prociderent, Deum orabant tamen vt ſe ab omni pollutione & idololatria integros conſeruaret, bonumque ipſorum animum & conſcientiam ac ignari rudiſque populi accipiat æquo animo & probet. Ex his igitur concludimus cuiuſcunque actionis ſeu bonæ ſeu malæ fundamentum eſſe voluntatem & intentionem hominis in omnes partes: adeo vt ſi voluntas contra id venerit quod bonum ratio iudicat: etiam decepta ratione offendatur Deus. Hæc deciſio Thomæ Aquinatis *a* in tractatu de bonitate actus interioris voluntatis, vbi ſic ait, Quãdo ratio errans ponit aliquid vt præceptum Dei, tunc idem eſt contemnere dictamen rationis & Dei præceptum: quod item Auguſtinus ſenſit *b*. Quapropter videns Satanas Deum ad intẽtionem attendere, vim, metum, iuſtamque ignorantiam excuſare, tentat non veram modo religionem euellere, ſed etiam omnem diuinitatis opinionem ex humanis mentibus eximere: itaque nullum lapidem non mouet vt qui vnicum adorat Deum, plures ei adhibeat ſocios; tũ à creatore ad res creatas auocat, à creaturis intelligentibus ad eas quas ſenſus percipit, à nobilibus cœleſtibuſque creaturis ad elementares, ad immundas vſque animantes, ſerpentes bufoneſque, & à creaturis Dei ad hominum opera. Eſt enim abominabilius ſi idolis quæ fabrefecerint homines honor habeatur,

a In prima ſecundæ, q. 19. ad 5.

b Libr. retractat.

quam ſi ante bufones & crocodilos, quos adorauerunt Ægyptii, creaturas Dei atque operá procidatur. Quamobrem procurat Satanas, vt ſecundum has humanis operibus honos habeatur, puta imaginibus & ſtatuis, quas Græci idola, Hebræi Peſilim appellabant: neque hoc contentus eo tandem homines perducit, vt imaginibus ipſis (quarum metu ab offenſionibus quodammodo abſterrentur) renuntiantes adorent ipſum: atq; vt impediat ſuos, ne redire in gratiam cum Deo poſſint, eos obſtringit maleficiis inſignibus & horrendis blaſphemiis, ne vnquam veniam ſperare audeant. Verbi gratiá, autor eſt eis vt ad Dei contumeliam ſacratas hoſtias præbeant bufonibus comedendas, inſtituto execrabili, quod ab eis ſolum ſeruari iubet, qui pro certo habent hoſtiam eſſe Deum, vt ſupra docuimus: ſimiliter vt ad deſpectum Dei ſagittis configant crucifixos, altero non minus deteſtando ſcelere, quod Magos Sagittarios in Germania dictos antehac Satana duce feciſſe notauimus: iam vero deſiuerunt iſti, ex quo bona pars Germaniæ credidit, nihil in crucifixis diuinum eſſe. Vt enim animos ſcrutatur Deus & conſilia hominũ introſpicit, ſic imitatus Deum Satanas ſe coli pro Deo curat, ꝙ maximi quiq; Magi factitát eum demiſſa in terram facie adorantes, idq; adhibitis etiã ceremoniis & ritibus honorificis, qui Deo putantur grati, vt cum oſcula iunguntur reliquiis, & lucernæ accẽduntur. Sic cultum ſibi Satanas exhiberi iubet, vt in

iudi-

iudicio compertum eſt Magorum quatuor, qui apud Pictonas viui cremati ſunt anno M. D. LXIIII. Hi enim dixerunt, ſe ad crucem quandam cum lucernis ardentibus podicem Satanæ apparentis hircina ſpecie oſculatos eſſe. Si Sacerdotes illi quos Monſtreletus & Froiſſardus meminerunt cum bufonibus baptiſmum communicauiſſe hoſtiamq; illis præbuiſſe, nequicquam diuinitatis in hoſtia eſſe putauiſſent, non fuiſſet id officii deſideraturus ab eis Satanas: neque Neroni Magorum ab omni memoria facile principi, aut Caligulæ iſtius patruo futurus autor, vt ſtatuas Iouis, Veſtæ, aliorumque proculcarent, niſi aliquam eis diuinitatem eſſe putauiſſent. Itaque in ſortilegiis omnibus & abominandis Magorum communicationibus ſingulæ prope voces cruce, ſingulæ orationes Ieſu Chriſti & S. Trinitatis nomine ac luſtrali aqua (benedictam vocant) aſperguntur: & ſi quod ſcelus cereis imaginibus opus eſt perpetrari, eas corporalibus, dum miſſa canitur, Satanas ſubdi iubet (vt permultis iudiciis fuiſſe compertum Paulus Grillandus *a* narrat) baptizari in eorum nomine, quos diris volunt defigere, & horrendas voces myſteriaque vſurpari, quæ profecto non vnquam imprimi ſed in perpetuum ſupprimi oportuit. Illud vero ante omnia opus eſt obſeruari, Satanam ab omni ſeculo Sacrificos, Aruſpices & Sacerdotes ad ſe pellicere, vt omne genus religionis inquinet, eisque plus ſemper quam aliis facultatis ad nocendum conferat.

a Lib. 2. de ſortilegiis, ca. 5. n. 11.

ferat. Itaque Plato lib. de legibus 9. capitale ſupplicium in Sacerdotes decernit, qui ſacrificiis & arte magica occiderunt: quod Rom. Senatusconſult. iudicatum fuiſſe ſupra annotauimus ad legis Corn. interpretationem l. ex Senatusconſulti. de ſic. ff. legis de ſicariis latæ pœna damnari qui ſacrificia iſta fecerit habuerit. Et apud Sprêgerum, Paulum Grillandum, & Pontanum legimus maximos quoſq; Magos ſacerdotes exſtitiſſe, vt populum totum corrumperent: nam quo ſanctiorem atque integriorem miniſtrum Dei oportet eſſe vt populum ſanctificet, orationeſque & laudes Deo acceptas offerat, eo magis abominandum eſt facinus & deteſtabile, cum ſe is addicit Satanæ ſacrificiaque exhibet, qui Deo ſacrificare debuerat. Ipſe enim Porph. à veteribus annotatum fuiſſe ſcribit, ſi quę ſacrificia Ioui, Apollini, & aliis Diis indigne fierent, ſuperuenire malignos ſpiritus & preces in execrationem verti: non quod Deus idololatrias (quas indicta capitali pœna vetat) probauerit, ſed eum probabile eſt ad imperitorum mentem reſpexiſſe, & pro voluntate qua erant de eis iudicauiſſe. Iacobum Peruſinum ſacerdotem Grillandus ait *a* maximum fuiſſe totius Italiæ Magum, qui cum miſſam canens verſus populum ſeſe obuertiſſet vt diceret, *Orate pro me, &c.* die quodam dixit, Orate pro caſtris Eccleſiæ, quia laborant in extremis: eodemq; momēto cæſa fuiſſe caſtra, quæ Peruſio (vbi canebat miſſam) viginti quinque milliaribus aberant.

a Lib. 2. de ſortileg. ca. 6.

Simi-

Similem hiſtoriam in Philippo Comminæo legimus de quodam Italo Vienneſi Archiepiſcopo, qui præſente Ludouico Rege XI. die Epiphaniæ Miſſam celebrans in æde S. Martini Turonenſis, quando pacem Regi oſculandam præbuit, hęc verba pronũtiauit. Pax tibi, o Rex, hoſtis tuus eſt mortuus: & hora eadem compertum eſt Carolum Ducem Burgundię ad Nãceum in Lotharingia occidiſſe. Prophetas alios ſub id tempus quam nunc afferat an pepererit Italia neſcio: equidem valde metuo vt artem illam coluerit quæ ab aliis gentis iſtius frequentatur, quibus Satanas apud Principes vtitur emiſſariis, vt iſta lue inficiat eos: multa enim de hoc bono Archiepiſcopo Comminæus narrat, quæ nihil magis redolent quam veri Magi effecta certiſſima. Atque hæc ad dictum Wieri reſponſio, ridiculum id eſſe prædicantis quod ſuis Satanas imperat Crucifixos effringere, in terram deſpuere cum ſpectanda hoſtia proponitur, aquam luſtralem vel benedictam non attingere. Idem vero Sagam neſcio quam ridet, cui Satanas mandauit vt accurate calceos veteres aſſeruaret qui pro amuleto ab aliis Magis eſſent. Iſtud conſilium Satanæ eſſe duplex aſſero ſignificatione: calcei qui ſemper ſordibus obducuntur, peccata ſignificant: nam edicens Deus Moſi & Ioſuæ, amoue calceos tuos, hic locus purus & ſacer eſt, innuebat (inquit Hebræus Philo) animam optime à peccatis purgandam eſſe vt Deum contempletur & laudet.

Vt autẽ cum Satana conuerſetur, eã opus eſt inquinari & immergi perpetua impietate ſceleribusque atrociſſimis: tum bonis ſuis adminiſtris auxiliatur Satanas. Quod ſi proprium iſtius rei ſenſum præoptaueris, Satanã diximus omnem operã conſumere, vt homines à fide in Deũ ad res creatas abducat, q̃ vera eſt definitio idololatriæ à Theologis tradita: ac proinde ſi quis crediderit, ſe calceis veteribus, periaptis, aliisve magis perlatis conſeruari à malo poſſe, hic in perpetua hæret idololatria. Aliud etiã Satanas ſpectare ſolet, vt ſuos ſubditos ad obſequiũ informet aſſuefaciatq;: ſicut Satanam ſupra oſtendimus puellam ad ſuam voluntatẽ pellecturũ edixiſſe ei, vt ſibi daret de capillitio, quod illa fecit: poſtea mandauiſſe, vt ad ædem S. Mariæ virtutũ proficiſceretur: hoc cum animaduerteret factũ, rogauiſſe vt peregrinationẽ Compoſtellas ad S. Iacobũ ſuſciperet: il neganti poſſe, indixiſſe Satanã, vt in ſinum forcipes inderet: ꝙ poſtquam illa hoc conſilio feciſſet, vt à maligno ſpiritu ſeſe liberaret, cũ longe grauius q̃ ante fecerat inſtitiſſe. Hoc autẽ certo certius eſt blaſphemum illud in Deum fore, ſi præciperet Satanas legem diuinam obſeruari, & illud quiſpiam ſtudio obſequendi præſtaret. Quamobrem illud inprimis cauendum eſt, ne quis vllo pacto Satanæ obſequatur. Quod ad Canonem Epiſcopi, toties à Wiero inculcatum, antea demonſtrauimus, neque generali Concilio, neque Synodali fuiſſe factum, ſed in Conciliabulo: & quod Magorum

rum exportationem negat id à Theologis omnibus improbari *a*: cum eam contra affirment Auguſtinus, Thomas Aquinas, Durandus, Bonauentura, Syluester Prieras, Inquiſitores 5. Paulus Grillandus, & alii innumeri. Nihilominus tamen in canone, nec mirum, §. Magi. 26. q. 5. dicuntur Magi ſolo verbo faſcinare & maleficium violentum committere: idemq; confirmant Hebræus Philo in libro de ſpecialibus legibus, Auguſtinus & Tertullianus in Apologetico. Id etiam Lucanus hoc verſu innuit:

Mens hauſti nulla ſanie polluta veneni
Incantata perit.

Sprangerus ſcribit ſe in Germania vidiſſe Sagas, quæ repente verbo vnico homines enecabant, rẽ multo plus miraculoſam quam ſit trãſuectio: non quod iſtud efficiatur verbo, ſed opera Satanæ; quem adorans Saga de ea re exorauerit. Quamquam non perficitur cædes huiuſmodi, niſi aut Deus iuſte maleficiũ hominis male meriti vlciſcatur, aut etiam permittat, vt ante demonſtrauimus. Poſtremo cap. de Lamiis Wierus cœlum terræ miſcet, vt effugium Magis comparandum eſſe doceat ridiculo quodam elencho, nec abſimili ab eo quem à Corace Tiſiaque prolatum narrat Gellius. Nam ſic ait ille, Sagis pœnitentibus oportet ignoſci, vt hæreticis ignoſcitur: obfirmatis vero condonari, ne corpus & anima perimantur pariter. Sic magiſtro ſuo in iure dicebat Tiſias, ſi perſua-

a Auguſt. lib. 10. & 21. de ciuitat. Dei, Thomas in ſecunda ſecundæ, q. 95. art. 5. tit. de ſuperſtit. & in tractat. 1. part. q. 2. & tit. de miracul. q. 18. art. 5. & tit de dæmon. Bonauentura in 3. ſent. diſt. 19. q 3. Sprang. in malleo mal. Paul. Grilland. lib. 2. de ſortil.

ſero me nihil debere ſoluere, abſoluar ſententia: ſi perſuadere non potuero, ne tum quidem exoluam quicquam: nam effecturum ſe promiſit Corax vt bonus orator fiam, id eſt, quicquid placuerit oratione perſuadeam. Ad illud magiſter dixit, ſi iudicibus poteris perſuadere nihil deberi abs te, mihi tamen ſoluturus es, quia bonus orator fueris iudicatus: Sin autem eo condemnaberis quod perſuadere non potueris, etiam mihi ex ſententia ſolues: Iudices ſentẽtiam ferent, mali corui malum ouum. Ita Wiero regeram, ſi prædones atq; ſicarii, quamuis reſipiſcentes, diuinis humaniſq; legibus addicuntur morti, quia executio iuris & pœna maleficiorũ à culpa & pœnitentia diſtant longiſſime: omnino æquius futurum eſt, vt obfirmatus Magus, omnibus prędonibus, ſicariis, & parricidis peior, reuſque diuinæ & humanæ maieſtatis læſæ, mulctetur morte. Pœnitentia autẽ efficit vt cõdonetur culpa, quam Wierus à pœna neſciuit diſtinguere. Poſtquam Dauidi indicaſſet Deus culpam eius cõdonari, non eo minus pœnas de eo viſum eſt ſumere: & quamuis Deus dixiſſet Moſi peccatum populi condonatum eſſe, ſeuere tamen fuit caſtigatus. Quamobrẽ paulo poſt, Ego ſum, inquit *a*, Deus maximus, æternus, exercens miſericordiam, condonans peccata & iniquitates, ſed impunita non ſinens: vt habet textus Hebræi veritas & Vatabli interpretatio. Non quod peccata omnia pro merito eorũ puniat, nam humanum genus iam olim periiſſet:

Κόραξ, coruus.

a Exop. 34.

verum

verum exercet Deus iudicium, iuſtitiam, & miſericordiam. Iudicium quidẽ, peccata hoſtium coniuratorum ex merito eorum puniendo: iuſtitiam, mercedem cuique benefactorum cauſa tribuendo: miſericordiam vero, tum amplius benefaciẽdo, tum lenius caſtigando quam promereatur quiſquam. Hoc vnum eſt è præſtantiſſimis ſacræ ſcripturę myſteriis, ac fortaſſe minime omnium à pleriſq; intellectum: Ieremias enim has proprietates cum vehementiſſima exclamatione aſſignat Deo. Quod ſi Deus deliberauerat populum ſuum in deſerto morte afficere (is autem erat animarum octies decies centies mille minimum) quod procidiſſent coram imagine contra Legem venientes, ſacrificia ei obtuliſſent, ſi etiam vtcunq; reſipuerint, ex eis tria millia repente enecauit: quid, obſecro, mereantur Magi, Satanam adorantes & ſacrificantes ei? Ecquis igitur Wierum non dixerit à Deo plane reiectum eſſe, qui rem adeo abſurdam ſit auſus ſcribere, condonari eis oportere qui blaſphemant Deum peruicaciſſime & bellũ ἄσπονδον aduerſus eum gerunt? Melius fuiſſet cum Wiero actum, ſi aperte dixiſſet vt Ageſilaus *a*, qui de amici cuiuſdam cauſa ad Iudices ſcribebat in hanc ſententiam, ſi ius cum eo faceret, ſecundum eum iudicarẽt: ſin contra ius ageret, viderent tamen Iudices ne litem amitteret: nam vtcunq; eſſet, amicum in lite volebat vincere. Idem Wierus ſatagit, qui Magis ſi reſipuerint, veniam dari cupit: ſi peruicaces fuerint, itidem

a Plutarch in Apophthegm.

condonari, ne corpus & anima eorum intereãt: itaque reus eſt communis Magorum ſupplicii, prout diſerte cauetur lege *a*, quiſquis Magum reum publicum ſeueritati legum ſubtraxerit, is vltimo cum Magis ſupplicio pereat. Quod autem Wierus ſub finem incaleſcens & ira percitus Iudices vocat carnifices, magnũ certe illud eſt præſumptionis argumẽtum, ab eo valde metui ne quis Magus plus ſatis eloquatur, eumque puerulos imitari qui ex metu de nocte canunt. Res autem omnium abſurdiſſima quæ in diuinis & humanis legibus obſeruari poſſit, perſæpe à Deo in Lege & à Iurecoſſ. *b* adducta, nimirum ne crimina impune abeãt, res inquam iſta argumentis Wieri implicatur, quando voce maxima aſſerit blaſphemis, inceſtis, parricidis, aduerſariis Dei & naturæ, id eſt, Magis cõdonandum eſſe, licet in blaſphemiis ſceleribuſq; horrendis perſeuerent. Animaduertens autẽ Wierus tandem diuinas æque ac humanas leges ſibi obſiſtere omniumque gentium conſuetudinem, vt dicta ſua circumueſtiat aliqua ſpecie, Dei legem in duobus locis ſibi putauit corrumpendam. Primum enim ſcribit *c* lege Dei præcipi, vt falſi teſtes afficiantur morte: deinde mandari vt fur occidatur qui de die domum alterius vi perruperit. Si acta notarius, actuarius, aut Iudex corruperit, dignus eſt ſuſpẽdio. Wierus his duabus lineis Dei corrupit legem. Nam falſum teſtem lex Dei *d* ſupplicio idem addicit quod in alterum fuiſſet importaturus: ſi falſum

a l. vlti. de malefic. C.

b l. conueniri. de pact. dot. l. ſi maritus. §. legis. de adult l. ita vulneratus. ad l. Aquil. ff.

c Cap. 24. de Lamiis, col. 6. num. 10.

d Deut. 19.

pro

pro teſtimonio dixerit ad tollendum vitam, teſti vitam ademptum iri: ſi ad flagra incutienda, perpeſſurum flagra: ſi ad mulctam vnius aurei, aureo mulctatum iri. Impudentius vero altera Lex ab eo corrupta eſt: Lex enim ſiquis interdiu furem occiderit, cum ſancit reum eſſe ſanguinis *a*, contra quam Wierus aſſerit. Capitalius vero falſi crimen illud eſt, cum legem Dei vetantem ne præſtigiatrix ſinatur viuere, de venefica ſolum dicit accipi oportere. Nam lex Dei de ea loquitur quæ faſcinat, quæ præſtinguit oculos, & id quod non eſt videndum exhibet: nempe id pro certo ſtatuens, non poſſe hoc fieri niſi cum Satana fœdus interuenerit. Sed vt tandem aliquando finem ſcribendi faciamus, reſtat vt omnes videant & iudicent, potiusne blaſphemiis & falſis ſermonibus Wieri ſit hærendum quam lege Dei toties in ſacra Scriptura inculcatę, qua pœnę capitales in Magos maxima grauiſſimaque Dei execratione infeſtos decernuntur: potiusne cum tenui Medico faciendum, quam cum libris & ſententiis philoſophorum omnium, qui vno ore condemnauerunt Magos: potiusne tenendæ pueriles Wieri argutiæ, quam Platonis leges, 12. tabulæ, prudentum reſponſa, Imperatorum placita, decreta populorum Legiſlatorumq; Perſarum, Hebræorum, Græcorum, Latinorum, Germanorum, Gallorum, Italorum, Hiſpanorum, Anglorum capitales pœnas conſtituentium aduerſus Magos & eos qui aut receptauerint Magos, aut impunitatem

a Exod. 22.

tem

tatem eorum procurauerint: potiusne habenda Wiero fides quam communi populorum, Regum, Principum, Legiſlatorũ, Magiſtratuum, Iurecoſſ. experientiæ, qui euidentiſſime impia & execrabilia comperta habuerunt ſcelera quibus contaminantur Magi: potiusne eundum in ſententiam illius hominis qui diſcipulus fuit Magi, omnium qui ſuo ſeculo vnquam exſtiterint peritiſſimi, quam Prophetis, Theologis, Doctoribus, Iudicibus, & Magiſtratibus accedendum, qui veritatem explorauerunt permultis millibus violentarum præſumptionum, accuſationum, teſtimoniorum, repetitionum, comparationum, recognitionum, reſipiſcentium animorum, & confeſſionum ſibi ad mortem vſque conſtantium. Habemus quoque Dei

a Deut. 18. ipſius iudicium *a*, qui ſe exponit Paleſtinæ gentes è terra exſtirpaſſe nõ aliam ob cauſam quam propter horrenda ſortilegia quibus vtebantur, qui ſe non Magos ſolum pronuntiauit exterminaturum, ſed eos omnes etiam qui Magos ſi-

b Leuit. 20. nent viuere *b*, qui Ieremiæ edixit *c* quam maxi-

c Ierem. 5. ma voce prædicaret ſe igne cædibuſque euerſurum eſſe Hieroſolyma omneſque incolas ob execranda Manaſſis Regis ſortilegia. Hæc ergo mihi videntur ad Wieri libros reſponderi poſſe. A te autem, vir clariſſime, lectoribuſque omnibus veniam mihi dari poſtulo, ſi quid aſperius forte conſcripſerim: etenim fieri non poteſt, vt quiſquis vel leuiſſimo honoris Dei ſtudio afficitur, tot blaſphemias audiat & legat ſine ſto-

macho

macho iuſtiſſimaque indignatione, prout ſanctiſſimis hominibus Prophetiſque accidit ſi quando rerum tam abominandarum meminiſſent: quarum recordatione totus perhorreſco & zelo accendor, quo omnes inprimis opus eſt inflammari, ne Dei honos ſic teratur & proculcetur eorum pedibus, qui ſcelera, blaſphemias impunitatemque Magorum ſolent defendere.

FINIS.

A.61 1154448

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

C. 30.